





FRANEQUERÆ.
Apud LEONARDUM STRIK, 1693.

ORIGINES HUNGARICÆ;

SEU,

LIBER,

Quô Vera

NATIONIS HUNGARICÆ

ORIGO & ANTIQUITAS,

è Veterum

MONUMENTIS & LINGUIS

præcipuis, panduntur:

Indicatô hunc in finem fonte, tùm vulgarium aliquot Vocum Hungaricarum, tum aliorum multorum Nominum, in quibus sunt:

Scytha, Hunnus, Hungarus, Magyar, Jász, Athila, Hercules, Ister, Amazon. &c.

Opus hactenùs desideratum.

Labore & Studio

FRANCISCI FORIS OTROKOCSI;

Minimi Servi Jesu Christi, nunc in silentii solitudine se exercentis.

PARS PRIMA.





FRANEQUERÆ,

Ex Officinâ LEONARDI STRIK,

Bibliopolæ, MDCXCIII.

Ecclesiastæ, 1. ℣. 4.

Generatio [*una*] abit, & generatio [*altera*] advenit.


Jer. 16. ℣. 14. 15. coll. c. 23. vs. 7. 8.

Ecce dies venturi sunt, dictum Jehovæ; & non dicetur ampliùs, vivit Dominus, qui eduxit filios Israël è terra Ægypti; sed vivit Dominus, qui adduxit filios Israël è terra AQUILONIS, & ex omnibus terris, quò depulerat eos.

Seneca, Quæst. Nat. Lib. 7. c. 31.

Tardè magna proveniunt; utique si labor cessat.

REVERENDISSIMIS,
VENERABILIBUS,
ILLUSTRISSIMIS,
SPECTABILIBUS, AC
MAGNIFICIS, GENEROSIS,
PRUDENTIBUS AC
CIRCUMSPECTIS,
DOMINIS DD. ORDINIBUS
& STATIBUS,
REGNI HUNGARIÆ
& TRANSYLVANIÆ;
UNIVERSÆ denique NATIONI
HUNGARICÆ,
Vitæ utriusque felicitatem
precatur Author.



Reverendissimi, Venerabiles, Illustrissimi, Spectabiles, Magnifici, Generosi ac Circumspecti Domini; Universaque mea Natio Hungarica!

Scrutari ac nosse *Origines* Nationum, quamvis ut plurimùm nihil boni apud Deum conferat, illis, qui per hunc laborem non nisi evanidam sui nominis, aut eam

præcipuè, quærunt gloriam, dum fallacem ingenii sui subtilitatem & qualemcunque industriam, hâc viâ apud alios commendare, nomenque sibi more hujus seculi comparare, enituntur: veruntamen, dum Scrutator earum, Dei gloriam & publicum Ecclesiæ, patriæque suæ bonum, quod & sibi commune est, perpetuò & unicè quærit, non ignarus, Deum, ex hoc quoque laboris genere, admirabiliter ac sapientissimè, suam toto coram Orbe gloriam manifestare cum tempore posse; is sanè securus esse potest, Deo sua studia placere; ut qui rem per se bonam animo sacris devotô, in Dei gloriam & publicum fidelium bonum, tractat, vel tractatam ab aliis, legit & promovet. Esse autem rem per se bonam, Deique gloriæ & Ecclesiæ commodo promovendo congruam, scrutari ac discere *Origines* Nationum, apparet ex sequentibus. Nam (1.) *Originum* hujusmodi scientia, secum fert necessariò & indivulsè Historicam rerum scientiam: quæ quàm sit humanæ vitæ utilis, nulli eruditorum

ditorum eſt ignotum. Hinc rectè de ea ſcribit Diodorus Siculus: *a.* Ἡ διὰ τῆς ἱστορίας περιγινομένη σύνεσις, τῶν ἀλλοτρίων ἀποτευγμάτων τε καὶ κατορθωμάτων ἀπείρατον κακῶν ἔχει διδασκαλίαν. *Comparata Hiſtoriæ beneficio prudentia, aliorum perperam recteque facta intelligens, vacuam* (ſiquis eâ uti nôrit) *à malorum experimentis doctrinam habet.* Quæ nimirum inſtruit hominem, quomodo cum tempore aliena evitare mala, & bona quæ legit in Hiſtoriis, cœleſti ſubſidio munitus, imitari valeat. Item, quod *ad omnes vitæ caſus Hiſtoriæ applicatio utiliſſima* eſt. *Adoleſcentibus enim ſenum prudentiam adjungit; ſenibus experientiam jam adeptam, multiplicat. Privatos Principatû dignos efficit. Principes gloriæ immortalitate ad res pulcherrimas ſuſcipiendum excitat.* Et aliquantò poſt: Ἡ τῆς ἱστορίας δύναμις ἐπὶ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην διήκουσα, τὸν πάντα τἄλλα λυμαινόμενον χρόνον ἔχει φύλακα τῆς αἰωνίου παραδόσεως τοῖς ἐπιγινομένοις. *Hiſtoriæ vis* (ſeu *efficacia*) *per* to-

a. Biblioth. Hiſt. Lib. 1. ſub init.

totum penetrans Orbem, tempus ipſum cætera corrumpens, æternæ ad poſteros traditionis cuſtodem habet. Nec Theophylactus Simocatta dubitavit *Hiſtoriam* appellare, *b.* (κοινὴν ἁπάντων ἀνθρώπων διδάσκαλον, εἰσηγουμένην, οἷς τε ἐγχειρητέον, καὶ ἃ παροπτέον, ὡς μὴ συνοίσοντα.) *communem generis humani Magiſtram, præeuntem nobis, ac præmonſtrantem, quæ capeſſere, & quæ ut inania, nihilque profutura, aſpernari debeamus.* Norunt ſpecialiùs etiam Theologi, quam ſit neceſſaria ad Prophetiarum ac Typorum intelligentiam ſcientia *Hiſtorica.* Cum igitur hanc tractet & excolat, qui *Origines* Nationum vel Nationis alicujus tractat & excolit; ultrò evidens eſt, ſtudium Notitiæ *Originum*, cum ferventi gloriæ divinæ ſtudio, Deo acceptiſſimum eſſe. At vero, (2.) accedit alia hîc ratio longè validior, quæ abſque ullis etiam merè humanis ratiociniis, ab utilitate hujuſmodi ſcientiæ depromptis, directè nos penetrare debet: quod ipſe Dei

b. In Proœm. Hiſt. ſuæ.

Dei Spiritus in Verbo suo, non dedignatus fuerit, per suum Amanuensem, *Origines* etiam Nationum, velut in radice ac trunco fundamentali, describere, Capite decimo *Geneseos*, præter illa, quæ passim in Scriptura S. huic scopo inservientia, occurrunt. Si scire *Origines* Nationum in genere, cum studio gloriæ Divinæ, ipsa Scriptura suo exemplo nobis commendat; obvium est inde concludere, quod etiam dum quis specialiùs suæ Nationis *Origines* in Dei gloriam scrutatur, vel alterius scrutatione erutas evolvit ac discit, præeunti sibi Verbi Dei luci hac in parte se accommodat. Nobis vel maximè Hungaris è re nostra fuit & est, scire distinctius aliquid de nostris *originibus*: de quibus hoc tantùm hactenus novimus, quod essemus in genere *Scythæ*, ac inter Scythas *Hunni*, (quicquid tandem *Hunnicum* nomen esset,) tantumque *Scythicæ* Patriæ filii, à communi Parente tum *Scytharum* tum multorũ aliorũ, *Japheto*, ortum ducentes. At verò, num extra *Scythiam* fuerint unquã

noſtri Majores, ſedibus ac geſtis ſuis inſignes; & num cum Orientalibus lingvis haberet noſtra aliquam memoratû dignam, Eccleſiæque Dei cum tempore profuturam affinitatem, vix vel cogitare præſumſimus: cum tamen hujus rei experimentum aliter quam putaſſemus, nos doceat.

Quapropter, cum Deus, utpote Sapientiſſimus rerum Director, me hoc tempore abſque ulla humanæ Juriſdictionis manu & authoritate, (non tamen abſque hominum ceſpitatione,) velut avulſum à meis Eccleſiis, ad hæc otia non otioſa vocaverit; inter varias meas in Dei gloriam occupationes, non ſine ſingulari Dei providentia & excitatione meî factum hoc eſſe agnoſco, quod dum mens alia elaboranda meditaretur, ad haſce tamen *Origines* ſcribendas, præter omnem præcedentem intentionem velut fato quodam pertractus ſum: quod poſtquam feliciter mihi ſucceſſit, dum rerum tam abſtruſarum de Majoribus noſtris, deque Lingva noſtra, notitiam, aliis etiam communicandam, cœleſti benedictione ſum

hic

hîc consecutus, cum debita Divini nominis laude, gaudeo me in hoc opere fuisse occupatum. At longe majori cum gaudio, àc etiam obsequii humillimi si quod desideretur, pro viribus promptitudine, jam hoc ita exornatum, Vobis Prætitulati Domini, Tibique mea Natio, offero & dedico; optans, ut Deus unumquemque vestrûm, cui cœlitùs est datum ad majora ingenium & facultas, per hoc excitet, ad sublimiores in afflicta Natione Hungarica scientias in Dei gloriam & Ecclesiæ bonum, cum indefessa industria excolendas & promovendas: ut qui videatis in his Originibus, ita nos esse Barbaricæ originis, ut tamen antiquissimos ante Barbarismum Majores, multifariâ rerum peritiâ claros in utroque sexû habuerimus. Maximum hîc motivum esse debet, tempus in quo vivimus, tempus nimirum Euangelii, quô Deus ex immensâ suâ misericordia nos illustrare dignatus est. Hac viâ unicâ remedium afferetis nostræ juventuti, ne deinceps more hactenus consueto, exoticis tantum inhient,
 qui-

quibus ditentur, & alienos justo plus admirentur labores, (salvâ interim semper ac multò magis debitè, peregrinatione ad exteros studiorum & experientiæ causâ,) quasi Deus & Natura longè parciùs ipsis quam aliis, dotes ingenii distribuisset. Hoc est quod hîc requiritur: Juvenes nostri & quique studiis addicti, excutiant animis suis torporem; procul à se ablegent omnem de melioribus desperationem; quin potius precibus & industriâ se munientes, vel in rebus desperatissimis capita in Domino erigant, & ad altiora semper, in sanctâ humilitate aspirent: Patroni autem de mediis externis suâ pietate eis provideant; eos ut filios foveant; ac interim invigilent, ut quos Paternô prosequuntur favore, ii præcipuam semper suis in studiis solidiorum (pro mensura gratiæ) curam habeant. Ita experiemur, quam feliciter nostra Natio brevi admirandâ Historiarum, ac in genere rerum Divinarum & Humanarum scientiâ, locupletabitur. Habent nostri non parvum hîc subsidium,

Lin-

Linguam suam vernaculam, ad multa hactenus ignorata, cum tempore eruenda, ex antiquitate obscura & abstrusa; dummodo quod habent, debitè excolant, & notitiâ aliarum Lingvarum aptum sibi in usus suos reddant. Ego sanè cum admiratione observo adorandam hanc Dei super nostra Natione providentiam, quâ, dum ista caret avitis majorum suorum scriptis ac monumentis literariis, secus quam multæ aliæ Nationes, hæc duo tamen ei benignè contulit. (1.) Alias Nationes olim, suis scriptis huic in multis inservire fecit: ut jam accensâ lucernâ scientiæ & judicii discreti, nostra in illis possimus agnoscere, & in usum debitum, gloriæ Dei illustrandæ & Ecclesiæ ædificandæ, convertere. (2.) Non solum conservavit nobis idioma inter tot mutationes sedium Majorum nostrorum, impermixtum comparatè ad multa alia idiomata, & in essentialibus suis antiquissimo *Magarico* & *Hunniaco* sermoni, extra & intra Scythiam nostris majoribus usitato, conforme; (quod tum

serius

ſeriùs è *Scythia Aſiatica* egreſſorum Majorum idiomatis, cum *Jazico*, *Cunico* & *Pannonico* ſermone collatio, tum vero antiquisſimorum nominum, *Hunnus*, *Magyar*, [cum cognatis,] *Jász*, *Iſter*, *Amazon*, &c. expedita & plana detectio docet;) ſed inſuper multa in nominibus, Familiarum, Urbium, Oppidorum, Pagorum, Fluminum, &c. imò & in obſoletis aut rarioris uſus vocabulis, & in plerisque moribus & loquendi modis Hungaricis, remotisſimæ noſtrorum extra & intra Scythiam progenitorum antiquitatis veſtigia, in medio noſtrî reliquit: quorum ſubſidio, non pauca nec exigua, deſperatisſimæ in Scriptis veterum obſcuritatis, labor & induſtria cum tempore, manifeſtisſimæ luci prodet. His ſermonem abrumpo, voſque demiſſa cum fiducia rogo, ut hæc Patriæ veſtræ filii ſtudia in Patriæ bonum ardentisſima, æqui bonique conſulere, & hoc qualecunque munus, ab oblatore humillimo, nomini veſtro conſecratum, vultu animoque benigno accipere, digne-

gnemini. Deus ille Pacis, donet vobis Pacem (ſub alis & protectione Clementisſimorum noſtrorum Regum,) diu deſideratam, fraternam animorum concordiam, mentiumque demùm unitatem, in nominis ſui gloriam, & univerſæ Eccleſiæ Chriſtianæ bonum, ex animo precor.

Franekeræ; d. 14. Mart.
St. V. An. D. 1693.

Reverend. Vener. Illuſt. Spect.
Magnif. Generos. Prud. ac
Circumſp. D. D. Veſtrar.

Humillimus Servitor, ac fidisſimus
Patriæ filius,

FRANCISCUS FÓRIS OTROKOCSI.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quàm fuerit è re, Origines scribere Hungaricas, ipsa res tam plausibilis, temporumque successu, multis rebus aliis in palestra Literaria lucem allatura, hactenus tamen desiderata, satis superque testatur. Quàm sit hac res plausibilis, quamque futura utilis Literarum cultoribus, attenta ac diligens hujus Libri perlectio, ac repetita evolutio, strenuum Veritatis in omni re inquisitorem docebit; atque etiam paulò post, hac eadem Præfatio, idem ei declarabit. Quàm autem fuerit hactenus desiderata, claret ex eo, quod nullus adhuc ante me hoc laboris, scribendarum nempe Originum Hungaricarum, in se susceperit. Nam qui res scripsere Hungaricas, quorum præcipui sunt, Ranzanus, Turoczius & Bonfinius, (Istvanffius enim, vir, eruditione, experientiâ, & gravi eloquentiâ clarus, de recentioribus tantùm re-

rebus Hungarorum *scripsit, ab exitu decimi quinti, usque ad initia præsentis seculi decimi septimi,) illis non fuit scopus pro merito rei* Originem *Hungarorum describere; sed in genere tantum docere*, Hunnos *ac* Hungaros *è bellicosissimis esse* Scythis, *eorumque gesta, ut per authores & traditionem fieri licuit, non sine magno rerum imprimis* Hunno-Abaricarum *defectû*, Historicè *enarrare. Neque etiam potuêre illi*, Origines Hungarorum *veras ex asse tradere; scilicet è subsidio linguarum, quod hîc maximè requiritur. Ut enim taceam, Hebraicæ lingvæ & Chaldaicæ raram eorum temporibus † cognitionem; id quod principale hic e mediis est, Lingvæ videlicet* Hungaricæ *exacta & vernacula scientia, eos defecit. Nullus enim eorum, purus fuit Hungarus, (quod opera eorum de ipsis produnt,) sed* Ranzanus & Bonfinius *natione Itali fuere;* Turoczius *autem, si non veteri prosapiâ, sermone tamen vernaculo sibique magis familiari,* Sclavus *fuisse videtur: illorum videlicet è numero, qui longò seculorum decursû, per matrimonia, & sedes in medio vel in vicinia Sclavorum, amissum idioma Majorum, Sclavonicô permutarunt. Esse enim non paucos, non solùm inter* Sclavos, *sed & inter* Austriacos, *aliosque ad Occidentem & Septentrionem Hungariæ vicinos, qui linguâ quidem aliâ quam Hungaricâ hodie loquuntur; at verò origine antiquâ, sunt* Hunni *vel* Hungari; *nemo qui penitiori rerum Hungaricarum notitiâ est imbutus, inficiabitur. Ac talem fuisse* Turoczium, *singulari in Nationem Hungaricam;*

cujus ipse, idiomatis plenitudine exceptâ, propago fuit, amore propensum, ex ipsius operum lectione colligo. Cum itaque eorum, qui res Hungarorum, *altiùs inde à Paganismo repetitas scripserunt, nullus sufficientem idiomatis* Hungarici *notitiam habuerit; non est mirandum, quod in Originibus* Hungaricis, *pro merito pandendis defecerint; sed potiùs pro iis quæ ex amore in eam gentem, Orbi Christiano communicarunt, grata eorum apud nos memoria debet perennare. Accedit, præter memorata in illis scribendarum* Originum *obstacula, rei ipsius magna in se difficultas; quæ fatis ita volentibus, non nisi cum tempore, quô Deus excitaturus erat assiduos abstrusissimarum rerum (ultimatè pro detectione successivâ mysteriorum verbi sui,)* scrutatores, *superanda foret. Quàm enim sit res ardua, non quidem dicere tantùm* Hungaros *fuisse vel esse* Scythas *in genere, quod obvium est, sed veram eorum pandere originem, qualesnam* Scythæ, *& quænam Gens fuere antiquissimis temporibus; quas sedes incoluerint, & quibus sint vel fuerint sermone viciniores; paucissimis verbis Græcus Chalcocondylas, Hungaris vicinus, nec rerum Hungaricarum ignarus, luculenter expressit. Qui postquam dixisset quosdam tradere, Hungaros* (Pæones *ipsi dictos,) antiquitus* Getas *exstitisse sub monte* Hæmo, *quosdam verò putare eos fuisse* Dacos, *mox suam sententiam sic de illis profert:* b. Ἐγὼ δὲ ὁποῖον ἄν τι εἴη τὸ γένος τοῦτο, τὴν ἀρχὴν

a. Dan. 12. v. 4.

ἀρχὴν, οὐκ ἂν ῥαδίως εἰπεῖν ἔχοιμι. Ego autem quænam eorum origo (*vel quodnam* genus hoc *de sua origine*) sit, dicere non facilè possum. *Rectè in superioribus dixit*, Linguâ *nostram Nationem* uti peculiari, quæ nihil commercii cum lingva Germanorum, Bohemorum ‡. & Polonorum habeat; (*quod commercium, cum* Turcico *pariter negare poterat idiomate*;) *at verò de altiori Nationis* origine, *nihil quod asserat se habere, fatetur ingenuè. Quod quàm verè fassus fuerit; & quam verè alii quoque hoc ejus dictum ante visas hasce* Origines, *usurpare potuerint*; (*quibus ego sanè ante susceptum harum* Originum *scribendarum laborem, me ipsum annumero*;) *hic Liber cum judicio candoris haud experte perlectus, testetur.*

Quomodo autem & quâ ratione fuerim inductus, ut hoc opus, nemini unquam (quoad præcipuam partem, præcipuumque scopum,) tentatum, in me susciperem; paucis exponere, ad rem hic pertinere arbitror. Testis mihi Deus est & conscientia bona, ac testes esse possunt, quicunque me propiùs norunt, me pro mensura cœlestis gratiæ, sacris semper studiis inde ab adolescentia summopere fuisse delectatum; ideoque Scripturæ sacræ, S. Patribus, & aliis doctis Theologis evolvendis addictissimum; (sicut & nunc principalis meus in omnibus occupationibus scopus est, Sacra

** 2 *magis*

b. Chalcocond. De Reb. Turc Lib. 2. p. 38. ed. Par. 1650. ‡. Subintellige hîc pariter *Sclavos* & *Sclavonicæ* Dialecti populos.

magis in dies undecunque intelligere, illustrare, & promovere;) aliena autem ab his, sive Poëtarum sive Historicorum Gentilium Scripta, non quidem unquam superstitiosè vel scrupulosè refugisse, (ut qui semper studium quærendæ veritatis, undecunque eam vel ejus umbras decerpere possem, pectori altè infixum habebam;) at verò antehac ea perfunctiorie tantum & carptim me legisse fateor, in quantum tenuissimam ex iis quoque lucem meis aspergi conatibus, jam & antea utcunque sentiebam: quod erat, ut ingenue dicam, me jejunum antehac in crisi Scriptorum Ethnicorum fuisse. Ac inprimis scribere aliquas ex fundamento & altiùs petitas Nationis Origines, *easque abstrusissimas, quales mihi fuere* Hungaricæ; *nunquam vel minimâ cogitatione ante Annum D.* 1691. *in animum mihi induxeram; præterquam quod eas scire generaliori mentis appetitû, inde ab olim desideravi. Sed scribere cum tempore* Historiam *Hungarorum* Ecclesiasticam, *cum qualicunque de Hungarorum* Scythicâ *in genere* Origine, *Præfatiuncula, & alia Theologica, vel Theologico-Historica, & Prophetico-Theologica, (non exclusis iis, quæ propius his ancillari a me videbantur,) ac per hæc pro tenuitate mea, cœlesti gratiâ aspirante, Ecclesiis Dei, tum in mea Patria tum alibi prodesse, ab ipsa juventute fixè statutum habebam. Semper enim inde à tenera adolescentia sensi intra me igniculum quendam me ad hoc stimulantem, ut aliquando pro mensura donorum, etiam scripto-tenus aliquid conferam in bonum S. Ecclesiæ; ac signanter, Patriæ & Gregis Christi in*

ea

ex amore singulari perpetuò ardebam, & aliquid ei non ingratum pro viribus præstare, constanter studebam; idque ab igniculo illo continuò stimulatus. Verùm nunquam mihi inter tot conatus ac labores etiam mediis in armis in Hungaria assiduos, menti obvenit, hæc aliquando facere, quæ hic bono cum Deo in finem perduxi. Ita nimirum placuit sapientissimo rerum Directori, me admirabili modo, nec obiter hic dictû facili, à Grege meo, nunc avellere, & mutatis prioribus meis cogitationibus, mentem meam in loco commodissimo (Oxonii *videlicet,) utpote mediis scribendi libros instructissimo, ad ea vertere, quibus nullæ lites foverentur, nec hujus vel illius tantum Partis gustui, sed omnium bonæ Literaturæ amatorum desiderio serviretur. Occasio verò cœpti laboris proxima, suppeditata mihi est à Reverendo & doctissimo Viro J.* Mill, *S. S.Theol.Doct. & Præfecto Aulæ S.Edmundi,* Oxonii; *qui, postquam* Irenicum *ad Fratres Protestantes rudi Minervâ anteà scriptum, plenius illic exornâssem, idque Mense Febr. An.* 1691. *eidem ostendissem, illico me rogavit, ut* Historiam *aliquam de Rebus* Hungaricis *conscriberem; & mox aliâ quoque vice idem mihi seriâ intimatione iteravit. Respondi tum primò tum aliàs, me* Historiam Ecclesiasticam Hungarorum *libenter quidem cum tempore velle scribere, imo jam parata quædam ad eâ apud me habere; at longe majora animo nunc volvere priùs peragenda: (intellexi nimirum* Clavem Propheticam, *quam etiam Deo favente ibidem perfeci; &* Theatrum *quoddam* Antiquitatis & Novitatis Eccle-

siasticæ, *quod Deo ita volente, propter Clavem illam, propter Origines & alia, in aliud tempus differre debui:) postquam ea perfecero, tum Historiam quoque illam aggrediar. At verò ad hospitium reversus, ubi cœpi scribere* Clavem Propheticam, *mox in progressu operis, cogitatio de* Historia *etiam* Hungarorum Ecclesiastica [*inde ab initiis eorum conversionis,*] *non differenda, animum meum seriò occupavit, tali nimirum consilio, ut huic Historiæ, Tractatum de* Originibus Hungaricis *Prolegomenωn instar, paucis præmitterem; cum frustra ejus Nationis inde à prima illius conversione vellem* Ecclesiasticam *conscribere* Historiam, *cujus* Origines *seculares tum mihi tum aliis adhuc essent obscurissimæ.* Clave *in finem perductâ Mense* Maji, *mox sequente* Junio, *accingo me in nomine Domini* Originibus *scribendis. Dum progredior, in dies magis ac magis animadverto, frustraneum esse meum illud consilium, quo tantùm vel* Prologomenωn *loco, vel* Libellô *quàm brevissimo (quod ex ipsa lectione* Originum * *adhuc patet,) statui apud me tradere* Origines *Hungaricæ Nationis. Quo plus enim in his progrediebar, eo plura & majora mihi in dies occurrebant, quæ anteaplane ignorobam, (super quorum tam luculenta, tam ultronea, nec unquam humanitus antea sperata detectione, ipsemet subinde multum obstupescebam,) & quæ nullo modo poteram ab hisce* Originibus *excludere, si revera* Origines *mihi pro rei merito scribendæ essent. Integer*

ergo

* Part. 1. 155. lin. 1. & p. 309. l. 7. & p. 424. l. 1.

ergo mihi Liber in duas partes divisus, de his scribendus erat, secus quam antea disposueram, [*ita ut mole suâ* Historiam *nostram* Ecclesiasticam, *uti eam,* Oxonii *bono cum Deo absolutam, in scriptis penes me habeo, bene superaret;*] *sed longe majorem scribere poteram, si omnia illa, quæ ad hoc argumentum in progressu & exornatione operis, ubertim mihi se se offerebant, huc inserere voluissem. Sed tum brevitatis studium, ne Liber nimis excresceret & suâ mole fastidium Lectori pareret, tum alii sacri conatus, multa quæ hîc adhuc ex amplissima Philologiæ messe passim adjungi poterant, resecare, aliisque relinquere, me monuerunt: Non dubito tamen, quin essentialia* Originum *nostrarum hîc comprehendantur; super quibus nostri Juvenes, qui literaturâ penitiori delectantur, Patriamque & in ea Dei gloriam amant, multa in dies ædificare possint. Hæc itaque fuit prima & generalior ratio conscribendarum* Originum, *pristinum nempe propositum prodessendi aliquo modo Patriæ, et specialius Historiam Ecclesiasticam nostræ Nationis concinnandi; occasio etiam proxima ea, quam indicavi.*

Ulteriores vero rationes motivæ, quæ in progressu operis majorem atque majorem mihi stimulum addiderunt, ne ab incepto vel desisterem vel imperfectas Origines *ederem, hæ fuerunt.* (1.) *Fides ipsa, quâ ex interno ad hoc opus continuandum impulsu, mentisque intentissima suî ad hoc exornandum devotione, certo mihi persuasi, Deum me hoc tempore ad hosce labores vocasse; ideoque debere me strenuè progredi in omni eo, ad quod sentirem me internè*

divinitus vocari. Ut nimirum antea ejus solius gratiosâ dignatione factum est, ut unice ac principaliter res Theologicas tractarem; ita nunc ejus esse voluntatem, ut Origines *meæ Nationis tum* Historice *tum* Philologice *investigem; cui, officii mei est, obsequentissimum me æque in his ac Theologicis, exhibere. Ex hac vero fide Deo data, simul & hoc apud me certò conclusi, velle Deum cum tempore, eô modo qui ipsi est notus, se se in* Originibus *meæ Nationis ita detegendis & publicandis, glorificare. Cum enim Deus hanc suam in me firmaverit gratiam, ut omnem vanitatem (quà dignoscere eam valeo,) toto pectore detester, è contra verò meliora semper & solidiora (pro mensura eiusdem gratiæ,) indefesso labore sectler, imprimis cum ipse animum meum, in amorem Verbi sui ceu meo palato dulcissimi edulii, arctissimo nexu defixerit; nullo modo mihi persuadere possum, eum ita me deseruisse, ut meram in his me agere vanitatem permitteret. Meram nempe vanitatem hic esse censeo quoad authorem omne id opus, non solùm quod suâ naturâ, longe abest à solido & permanenti bono, sed præcipuè quod ex intentione agentis seria, ac in verbo Dei ejusque amore fundata, in Dei gloriam & Ecclesiæ bonum non est ordinatum. Liberum quidem Deo est, nos aliquando ob peccata nostra* vanitatibus *nostris tradere,* c *vel avellere à solidioribus, & ad inferiora detrudere; quæ comparate ad majora, videntur esse vanitas; & ad jucundissimum animæ edulium, lachryma, pulvis &* d *cinis;*

c. Eccl. 1. v. 13, 14. c. 2. v. 24. &, c. 3. v. 9. 10.
d. Psal. 102. v. 10. coll. Prov. 27. v. 7.

cinis; *veruntamen non finit ejus bonitas, ut iis qui cum studio Dei gloriæ, vere contrito & humiliato sunt corde, ea quæ ex occupationibus eorum in se videntur esse aut mera vanitas, aut comparate ad solida, proxima vanitati, maneant semper in forma vanitatis aut proximorum vanitati; sed ut sapientissimus rerum Director & medicus animarum peritissimus, admirabili modo ea ita dirigit & temperat, ut mutatâ formâ vanitatis, induant* aureæ * *doctrinæ valorem in pectoribus cum pietate veritatem quærentium.*

Etsi enim omnia Creaturarum opera sub Sole, quà earum in iis nuda spectatur intentio, mera sunt e. vanitas; *nihil tamen respectû Providentiæ Divinæ est in Mundo vanum; quin potius omne rebus magni momenti sub cortice occultatis, ac opportuno tempore inde depromendis, plenum. Atque hinc* (2.) *ex fide Deo data, alia mihi, eaque gemina profluxit ratio motiva: Observatio nimirum in hoc opere hausta, rebus Theologicis multum ancillatura.* Primum *enim, plenius atque plenius animadverto, Deum non solum in rebus quibuscunque Naturalibus, quæ in Cœlo, Terra, Marique, oculis nostris occurrunt, quantum libet ad aspectum vilissimis, sed etiam in mininis Nationum voculis, uberrimos, suæ sapientiæ recondidisse thesauros, cum tempore credentibus aperiendos; ut sciant demum ipso experimento, veritatem generalissimæ illius ad credentes promissionis propheticæ,* (*Marc.* 16. *v.* 17. *col. ult.*) *de consequenda vel maxime ultimis temporibus* novarum linguarum *notitiâ, non illâ nude corticali, sed multifariâ rerum scientiâ divite, sub typo veteris linguarum*

* Job. 28. v. 6. *e.* Eccl. 1. v. 2.

doni adumbrata; ac per hoc, eo amplius habeant argumentum celebrandi Dominum, juxta verba Psalm. 147. *v.* 5. Intelligentię ejus non est numerus. Deinde, *alterum hoc etiam praeclarum Sapientiæ & providentiæ Dei arcanum medias inter hasce occupationes, (dum tot Authores tamque admiranda in iis veterum partim gesta, partim figmenta occurrerent,) incipit mihi in dies magis & magis clarescere, quod præterita memorabilia sint futurorum magnæ umbræ, fataque Nationum de futuris, lateant in præcedentibus earum gestis: ut quemadmodum res Judaici populi olim gestæ Scripturâ f. docente sunt* typi *futurorum, nimirum speciales, accuratiores, & distinctiores ad Ecclesiam N. Testamenti; sic res antiquæ Mundi Nationum, non ex ullius Genii mali qui in illarum mentibus (postquam Deum deseruere) diversabatur, provida de electis cura; sed ex solius Dei sapientissima atque occulta gubernatione, generaliores, crassiores & confusiores adumbrationes sint eorum, quæ posteris earum fuere vel sunt eventura. Quæ ut ex suis corticibus & obscuritatibus erui possint, necessarium est, ut oculos mentis Spiritu Dei, & per eum intelligentiâ sacri verbi Prophetici, illuminatos habeamus. Secus enim in vanum, magnum aliquid in iis quæremus. Si non illico nobis pro voto pateant arcana tot obscuritatum; fide & patientiâ nosmet munire debemus. Ille qui summâ suâ sapientiâ etiam in opacissimis tenebris magna suæ sapientiæ occultavit vestigia, (quam ob causam g.* tenebras *dicitur* sibi posuisse latibulum, & *h.* nubes currus,) *reteget tunc successces-*

f. 1 Cor. 10. 6. 11. *g.* Psal. 18. 12. *h.* Psal. 104. 3.

cessivè & gradatim arcana illa, lucemque è tenebris educet, ut i. appareant profunda aquarum, *cum ipse opportunum judicaverit. Nisi hoc Divinæ in rebus anteactis Providentiæ admiseris arcanum; nunquam plenè Sapientissimi* Ecclesiastæ *simul & Prophetæ doctrinam intelliges: qui cum semel dixisset, k.* Generatio [*una*] abit, & generatio [*altera*] advenit; *mox iterum quasi mutatâ sententiâ docet: l.* Quid est quod fuit? Id ipsum quod ERIT. Et Quid est quod fit? (*vel* factum est?) ipsum, quod FUTURUM est. Et NON EST quicquam NOVUM sub Sole. *At verò agnitò illo Divinæ Sapientiæ arcano, facilè intelliges sensum verborum hunc esse: „ Omne id quod fuit in Mundo „ ante Salomonem inde à Creatione inclusivè, & „ quod ejus etiam temporibus gerebatur, & quod deinceps usque ad umbrarum amotionem gerendum erat, „ ita fuit res, ut tamen umbra fuerit futurorum; nec „ quicquam inde à Salomone futurum erat in Mundo, „ nec deinceps futurum sub Sole, quod antea in suis „ umbris non fuisset, vel umbraticè repræsentatum non „ exstitisset. Viderunt de hoc aliquid, sed obscurissimè, & (instar m.* Cajaphæ) *sine ulla intelligentia vel consideratione divini consilii, ipsi quoque Gentiles. Atque hinc prodiit illud Virgilii:*

n. Iam REDIT & Virgo, REDEUNT SATURNIA Regna.

Item

i. Psalm. 18. v. 16. *k.* Eccl. 1. v. 4. *l.* Ib. v. 9. Conf. c. 3. v. 15. *m.* Joh. 11. v. 50. 51. *n.* Eccogl. 4.

Item; *o*. --Erunt etiam ALTERA bella;
Atque ITERUM ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Et istud Horatii:

p. Trojæ RENASCENS alite lugubri
Fortuna, tristi clade ITERABITUR.

Quæ tam magnificè, arte tamen comparatâ ad decipiendum incautos, prolata, Simiæ Dei in Oraculis & Vatibus Gentilium loquentis vaticinia, explicare, non est hujus loci. Lumen saltem aliquod ex ante dictis, etiam ad hæc mutuare potes: non esse nimirum hîc quicquam vel ex parte ad literam intelligendum, ac multo minus integrè hoc de cortice accipiendum, *q*. juxta Epicurum; qui asseruit, per innumerabiles periodos eadem & eisdem in locis & per eosdem fieri: *sed sensum tum horum tum aliorum apud Ethnicos similium, eum quem Supremus rerum Director in iis intendit, ex vera verborum Salomonis ante memoratorum intelligentia esse eruendum. Nam ut rectè Agathias animadvertit*; *se r*. non putare quosdam *veterum* aut pericula pro patria adituros, aut alios labores suscepturos fuisse, cum scirent, quantumvis res maximas gessissent, perituram una cum ipsis atque emorituram omnem earum gloriam solâ ipsorum vitâ circumscriptam; (εἰ μήτις, ὡς ἔοικε, θεία προμήθεια τὸ ἀσθενὲς τῆς φύσεως ἀναῤῥώννυσα, τὰ

ἐκ

o. Ibid. *p*. Carm. lib. 3. Od. 3. *q*. Apud Hieron. Comm. in Eccles. c. 1. v. 10. *r*. Præfat. in Hist. de Reb. Iustinian.

ἐκ τῆς ἱστορίας ἐπεισήγαγεν ἀγαθὰ, καὶ τὰς ἐνθένδε ἐλπίδας.) nisi quædam uti apparet, DIVINA PROVIDENTIA naturæ humanæ fluxibilitatem fulciens, HISTORIÆ (*cujuslibet sive sacræ sive profanæ*) BONUM, quæque ex ea effulget SPEM, esset elargita: *sic ubi hanc providentiam serio in omnibus veterum gestis, nec non Historicorum & Poëtarum scriptis agnoveris; non potes non agnoscere, eandem Providentiam in iis gestis & scriptis suam gloriam, & cum sua gloria indivulse bonum Ecclesiæ futurum, intendisse: h. e. secuturam ultimis temporibus tum piorum tum impiorum sortem diversam, velut crassiori umbrâ delineasse. Nec enim f.* Deus Judæorum tantùm, (*quanquam horum erat specialius,*) *sed &* Gentilium *fuit & est Deus: nec solum ex Judæis, sed & ex Gentilibus habet electos. Et ut Christianum alloquar; quem quæso adeò insignem sentis in legendis laboriose & excolendis plurimis Gentilium scriptis usum, si non hunc quem hîc insinuo, in iis præcipuè quæsieris? Quapropter generaliorem & confusiorem (ut jam innui,) futurorum etiam in rebus Gentilium præmisit Deus adumbrationem.*

(3.) *Ipsa rerum quoque quæ hîc tractantur jucunditas, in ipso progressu animum meum rapuit; ne in his quantumlibet laboriosissimo labore exornandis, etiam inter tot corporis infirmitates langvescerem. Quo ulteriores enim in his progressus feci, eò majora de die in diem mihi ex subsidio lingvarum ac Historiarum spe-*

f. Rom. 3. v. 29.

aperiebantur: ita ut mens infirma nonnunquam ferè obrueretur multitudine noviter occurrentium; & quidem veritati apprimè consonantium, aut certè ulteriorem ad veritatem viam pandentium. Lege judicio candoris & æquitatis compote, nomina hic a me explicata, (quorum multa, utpote originis abstrusissima, à nemine è fundo rei hactenus sunt tentata,) ac insuper considera, in quarum rerum notitiam ea vel jam nunc deducunt lectorem, vel inposterum deducere possint; non dubitabis me res hic jucundas atque etiam utiles pertractasse. Ita videbis in præcipuis præsertim, velut sponte omnia mihi pro scopo obvenisse. Taceo quæ de nominibus s. Hunnus, Magyar, Jász *& aliis multis ita sponte ubertim menti offerebantur; in nominibus t. saltem* Deucalionis, Alcathoi, Alexandri, Istri, Cimmeriorum, Colchorum, Parthorum, Byzantii *&* Amazonum, *etiam vel maximè* Momus *inveniet, quo bilem suam reprimat. Inprimis in nomine* Cimmeriorum, *u. vides eximium vetustissima sobolis Scytharum nomen, quomodo hic à nugis vindicatur; vides quomodo ejus fons* Czimer, *cum Hebraico* Czemer, *& per hoc cum decantato* Vellere aureo *conspirat. Vides ipsum quoque furtivum* pellis aureæ *Græcis nomen* κῶς, *esse purè Hungaricum* kos, *in significatione scopo congruentissima. Vides ad minimum etiam vestigia adhuc collectorum olim* [illegible] auri [illegible]

s. Vide hæc in Prim. part. Orig. c. 8. 9. 10. *t.* Vide hæc suis locis part. 2. c. 12. 13. & 14. *u.* Part. 2. p. 156. & sequ.

auri ramentorum *in fluminibus* Colchidis, *apud nostræ Nationis subditos* Ciganos. *Longum esset omnia hujusmodi recensere, quæ judiciosus Lector ipse, me non monente etiam passim observare poterit.*

Quæ vero utilitas ex notitia Originum *Hungaricarum in Ecclesiam Christianam redundare cum tempore possit; etsi jam è proximè dictis ac multo magis è libri hujus attenta lectione, Lector eruditus magna ex parte animadvertet; placet tamen hic etiam specialius aliquid de ea dicere.* (1.) *Qui* Origines Hungaricas *cum sufficienti idiomatis notitia familiares sibi reddiderit, is observabit in dies, Linguarum post antiquam illam ad* Babel *confusionem, successivè divisarum, miram ad invicem, etiam vel maxime ab invicem elongatarum, habitudinem. Quam fateor nemo unquam pro rei merito intelliget, absque subsidio linguæ Hungaricæ, quantumlibet sit peritissimus in aliis Linguis Orientis & Occidentis; sed oportet ut illam quoque his conjungat. Quid autem in rem conferat scire illam lingvarum ad invicem habitudinem; non est eruditi in quæstionem ponere. Nam hac viâ noscetur, tum quomodo pœna hæc divina, confusio nimirum & divisio Lingvarum, successu temporum est propagata; tum etiam quæ Nationes nunc quidem longe ab invicem dissitæ, fuerint olim sibi propinquæ. Quod scire, iterum adjumento erit unicuique suæ Nationis Origines exactius perscrutari volenti. Imò dum lingvæ se mutuo illustrant, paulatim via aperitur, ad magna arcana in Scriptis veterum detegenda. Aliquot exem-* plis

plis rem hic illustremus. Sic v. gr. quis primâ fronte vel cogitaret, nobis cum Britannis *toto orbe divisis, iisque antiquissimis, quadam esse communia? At re penitius inspectâ, aliter comperimus. V. gr.* Tregor *veteribus x. Britannis est* Superfluitas: *nobis etiam* Trágár, *est* Vanus, a, um; *imprimis de sermone* impudico *usurpari solitum. Et* Trágyás (*à* Trágya) *nobis est* delicatè *vel* superfluè ornatus, a, um. *Item* Baban *est illis* Pupa; *nobis etiam* Bábu *est* pupa. *Est quoque nobis* Bábony *nomen loci, &* Bába *obstetrix; &* Baba, *per* a *breve, infantulus; estque vox hodie tantum pro infantibus. Item,* Wttra *est illis* via publica; *nobis vero simplicius* Ut *est* Via; Utra *autem significat* Ad viam. *Et* Teru *illis est*, Purgare, elimare; *nobis quoque cum paragogico,* Törül *&* Törli, *est* Tergere. *Item,* Cosi, *est illis* Pruritus; *nobis pariter* Kosz, *est* scabies *fœtidissima & pruriginosa, præsertim capitis.* Ebran, *est illis* Pabulum equorum: *nobis quoque* Abrak *idem.* Bele, *illis* Martes bestiola: *nobis vero* Béllés, *est non solum in genere* | *intima & subnexa pars vestis, sed specialius* pellis, *sive ex Martibus sive ex aliis constet.* Gwyar, *est illis* sangvis: *nobis etiam sine G (quod quam facile apud Occidentales litera* w *vel* v *præponatur, ut* Guer *pro* war, *norunt in his periti,)* Wér, (*vel* Vér) *est idem. Quod deduco à* בריא (*Vari,*) *Hebr. Pingve, Optimum. Sic* Sais, *illis* Saxo; † *nobis etiam* Szász *est* Saxo; *unde tum nostrum*

† Et *Anglus* illis idem.

strum, *tum Britannorum propius accedit ad Ptolemaei y.* Sasones *Scythas Asiaticos*, (*qui mihi sunt ipsissimi nostrorum* Szászonum *populares*, *ac utrique Alanorum progenies*,) *quàm vulgatum illud* Saxo. *Item*, Pafais *Britannis*, & *Gallis* Pavois, *est* Scutum. *Nobis quoque* Pais *est* Scutum. *Radix est Chald.* פִּיס, (Pajjes,) *Securum*, *tutum reddere. Ipsum verò* Pais *Britannis* Tunicam & Pallam *significat.* Abar *autem Britannorum, h.e.* corruptus, marcidus; *puto convenire cum nostro* Avar, *de quo vide z. in Originibus. Sed maximè dignum memoratû est*, *quòd* Lleian, *Britannis est* Virgo Vestalis *seu sanctimonialis*; *nobis verò* Leány, *communiter* Puellam *notat: imò olim in genere sexum fœmineum potuisse notare*, *ex radice ejus ostendi. Sed & mutatio specierum apud Britannos in nominibus hujus generis reperitur. Sic* Ló *nobis est* Equus; (*cujus radicem vide a. in Orig.*) *Britannis verò* Llo, *est* Vitulus, Buculus. *Armoricanis* Lue. *Et*, Vad *nobis est* Fera; (*cujus rad. vid. b. in Orig.*) *Britannis autem* Huad, *est* Canis Venaticus. *Observo etiam literam aliquam nunc mutatam*, *nunc omissam apud Britannos. Sic* Hên, *est illis* Antiquus, Senex; *nobis verò* Vén. *Et* Adar *illis* aves *in plur. Nobis verò* Madár, *Avis in sing.* W cher *autem h.e. Vesper*, & *nobiscum quidem habent quodammodo commune*, *eo quod* Vacsora, (*h. e.* Vachora,) *est nobis* Cœna, & Vecsernye, *Tempus verspertinum*: *sed cum Sclavi*,

* * *

y. Georgr. Lib. 6. c. 14. z. Part. I. p. 147. a. Part. I. p. 303. b. Part. I. p. 297.

vis multò magis, quibus etiam Wecher, (*vel* Wecser,) *est* Vesper. *Ita etiam* Mor, *h. e. Mare, cum illis commune habent: sed* Morsa, *Britan.* Palus, (udis,) *nostro* Morotva (*quod* palustrem, aquosum & uliginosum *nobis* locum *significat*,) *est cognatum. Eiusdem sunt fontis, etiam* Jor, & Ur; *h. e. Dominus, tum Brit. tum Hung. Item* Bual *Brit.* & Bial. *Hung. h. e.* Bubalus. *Hac autem indicant nobis, olim vetustissimos* Britannos & Hungarorum *majores, sibi vicinos fuisse; cum tam peculiaria, non autem aliis communia vocabula, eadem aut fere eadem utrique habeant. Similiter Anglorum* Barge *h. e. Linter, scapha; item* A little Barck, (*quod commune ipsis cum Gallico* Barque,) *h. e. Navigiolum*, & *nostrum* Bárka, *h. e. Cymba, ac præcipuè* Arcam Noë *nobis exprimens, sunt cognata. Deduco à rad.* ברך / Barak, *in significato receptaculi, reclusorii, eodem modo, quô Judæi suum* Bereca, *h. e. Piscina; vel Arabes suum* Barakijjathon, (*Cymba*,) *inde deducunt. Et* Belly, *Anglis est* venter; *nobis autem* Bél, *intestina.* Kid, *Anglis est* Hoedus; *nobis quoque* Gedó *est* Hoedus, *ab Hebr.* Gedi. Lag, *Anglis est extremus: nobis* Leg, *est extremi gradûs (h. e. Superl.) nota.* Leap *Anglis est* Saltat, *nobis verò* Leép. *est* Graditur. *Non procul sunt ab invicem, etiam* Lazie & Lazing *Angl. h. e.* Piger, Otiosus, & *nostrum* Lezengö, *h. e.* Otiosè vagabundus: *Item* Mead & Meadon *Angl. h.e.* Pratum, & *nostrum* Meöz, *h. e. Campus. Sic* Vaj (*seu* Waj) *nobis est* bu-

butyrum; & Whay *Anglis*, Serum lactis. *Mitto alia. Ita etiam Gallis* Monedula *est* Chucas; *nobis vero* Cſóka, *ſeu* Chóka. *Et* Chanfrain *de cheval d' armes*, *est ipſis* Frontale ferreum equi armati; *nobis autem* Czaffrag, *vel* Czaffrang, *est* Ornamentum Equi *militare ac Nobilitare hinc & inde usque ad femora protenſum.* Chappon *illorum*, *h. e.* Capo, *nobis est* Cappan. Se Chemer *illis est* Angere ſe; *nobis autem* Chemer & Chömör, *morbus ex nauſea contractus.* Chopper *illis* Offendere; *nobis* Cſap, *ſeu* Chap, *est Cedit, plagam infligit.* Guerre, *Gallis* (*quod Anglis* War) *est* Bellum; & *nobis* Ver *Percutit. Sic* Harangue, *Gallis est* oratio ad populum, & *inde* Haranguer, *Concionari*; *nobis autem hodie* Harang, *est* Campana: *quod eâ homines convocentur. Item*, Ouy *Gallis*, & *nobis* Ugy, *ſignificat* Ita. Coche *Gallis est* Porca, *nobis verò* Csöcs & Csôcske, *vox quâ* ſues *convocantur ad paſtum.* Biez *Gallis* Obliquitas; *nobis etiam* Viſzſza, *est tum obliquè, tum retrorſum.* Las *Gallis Laqueus*; & *nobis* Les, *nominaliter Inſidiæ*; *verbaliter verò*, *Inſidiatur. Sileo hîc* Dard, *aliis* Dart, *nobis verò* Darda, *h. e. Iaculum, lancea. Prætereo etiam brevitatis causâ, quæ cum Belgis, Germanis, Sclavis, Polonis & Turcis utpote loco-tenus propinquioribus, habemus communia; ex Latinis tantùm & Græcis pauca hic ſubjungam. Antea re nondum exploratâ ne cogitare quidem præſumſiſſem, nos habere non pauca vocabula, ita cum Latinis communia, ut tamen nobis domeſtica ſint, non verò*

ab aliis mutuata. Quod mihi argumento eſt, olim noſtros & Latinorum majores, propinquâ ſibi familiaritate fuiſſe junctos. Sic, v.gr. Anus (*ûs,*) *nobis eſt* Anyós, (*formatum ab* Anya) *h.e.* Vetuſta mater. *Item*, Mancus; *ſi vox ipſa ſpectetur*, *nobis eſt* Mankós; *h.e. Qui ſubſidio fulcrorum incedit*; *quod eſt adjectivum à* Mánkó, *h. e. ſignificante fulcrum pedibus impotentium. Ejuſdem radicis eſt mihi cum Hebr.* מַכָּה Macca, (*quod eſt more Chald.* Manca) *Plaga*, *Contritio*, *Percuſſio. Non quòd lignum quod vulgò vocatur* Mankó, (*quaſi dicas*, Calamitas, defectus,) *ſit per ſe* plaga; *ſed quia eſt teſtimonium* plagæ & defectûs *in corpore*, *ideò plagæ vel calamitatis nomen ei tribuitur. Item* Portus, & *noſtrum* Partos, *h.e. Ripoſus*, *benè inter ſe conſpirant.* Portus *enim ex hoc eſt revera* Portus, *ſi habeat* Ripas *ſtationi commodas. Sic* Mundus & Módos (*pro* Móddos,) *h.e. Ornatus a*, *um*; *item*, Funis, & Fonott, *h.e. Contortum*, *à* Fon; (*quod eſt tùm* Net, *tùm* Torquendo coagmentat, *canabem*, *virgam & aliud*;) & Funus *atque* Fonás, *h.e. Contorſio, à contortis* Funalibus *in Funere accenſis*; (*adde hìc* Fonnyat, *h.e. Emarcidus*;) *nec non*, Vanus, & Vánnyat, *h.e. Evanidus*; *item* Homo & Hamu, (*pro* Homu,) *h.e. Cinis*; Humus & Homok, *h.e. Terra arenoſa*; Pellis & Béllés, (*idem ferè*;) Rogus & Rakás, *h.e. Strues*; Capit, & Cap, *h.e. Arripit*, *Captat*, *Acceptat*; Carpit & Cárpál, *h. e. Redarguit*, *ſunt inter ſe cognata. Et* Lupus, *vel eſt* Lopós,

(*h.e.*

(*h. e. Furax, item, Insidiosè clancularius, aliàs* Lappangó, *ab eadem utrumque rad.* לף, Lap, *Abdidit;*) vel Lompos; (*Lupi apud nos epithetum á* villositate;) Lepus *autem fortè* Lépös, (*quod benè* gressus componere valeat,) *è prima sui origine. Apud Græcos etiam, invenimus eum, vocabulorum ejusdem fontis de rebus iisdem cum nostris, numerum, qui certo argumento esse possit, olim Hungarorum & Græcorum majores, easdem sedes unà incoluisse. Ex iis pauca hìc delibabimus. Sic* Ἀζαλέος, *Græcis est* Siccus, aridus. *Ita etiam nobis* Afzal, *est* Exsiccat, *& ex fonte suo*, Indurat. *Est & Græcis simplex* Ἄζω, Exsicco; *at nobis adhuc simplicius*, Afz; *Siccatur, Indurescit.* (*Radix* עז / Durum.) *Ipsum quoque paragogicum* l *in fine, quô etiam hìc* Afzal *est ab* Afz, *formatum, nobis est plane domesticum & familiare, non verò Græcis; nisi hoc unicè ad imitationem aliorum faciant. Item*, Φαίνω, Splendeo, *& nostrum* (*simplicius*) Fény, *h. e.* splendor, *cognatissima invicem sibi sunt.* Ραγόω *Gr.* Scindo; *nobis* Rág, Rodit, atterit. Ἱερὸς (*Hieros,*) *Gr.* Sanctus, Magnus, *cum nostro* Hirös, (*seu* Hires,) *h. e. Famosus, Excellens, tum re tum sono bene convenit; præsertim quòd* i *nostrum hìc sit valde acutum, ac si scriberem* Hiíros, *vel* Hiéros. Νέος, Juvenis; *valde concordat cum* Nevös, *vel* Növös, (*& contractè* Neös, *imò contractiùs* Nös,) *h. e.* Crescens, Succrescens. *Propriè, qui adhuc* est in statu crescendi. Οὐρανὸς, (*Uranos*) *Gr.* Cœlum; *quod & re & sono optimè conveniat cum*

noſtro Aranyos, † (*quaſi* Oranyos,) *h. e.* Aureus, a, um, *ob auream nempe & fulgidam Cœli faciem. Eſt proximè ab* Arany, (*Aurum*,) *& hoc ab Hebr.* אוֹר (*Or*,) Lucidum eſſe, *more noſtro acceſſione paragogici factum.* Δῖος, (Dios) *Generoſus, Divus*; *nobis rectè dicitur* Dijos; *h. e. Valore præſtans, ſeu Dignisſimus.* Ηδὺς, *ſuavis*; *nobis* E'des, *Dulcis.* Μυχὸς, *Gr. Sinus, penetrale*; *nobis* Méh, *eſt Uterus mulieris, eo quod ſit intimus receſſus. A rad.* מוח Muah, *quod Hebræis* Medulla; *quia hæc eſt in intimis.* Ζίγγος, (*Zingos*,) *Gr.* Sonus, Stridor; *nobis* Zengös *eſt Reſonans*, & Zengés, *Sonitus, à* Zeng, *Sonat. Sic* Kaliba, & καλύβη (*h. e. Tugurium*,) *eadem ſunt.* Γερανδρυον, *a Græcis ita formatum, ut τῷ δρῦς*, (quercus, arbor,) *quod etiam videtur mutuatum à Sclavonico* Drevo, *eſſet in fine ſimile, cum tamen in genere* antiquum lignum *c. iis ſignificet*; *videtur noſtro* Gerenda, (*h. e.* Trabs,) *cognatum eſſe. Hac ſanè æquo judicio expenſa, & cum iis quæ in hiſce* Originibus *explicantur, collata, docent quadrare partem etiam in Hungaros ceu* Scythas, *obſervationis illius, quam* Hornius, *poſt* Boxhornium *nobis in hæc verba* con-

† Nota hîc veram rationem, cur Perſæ olim *Regias aulas* & Regum Tabernacula ὀργυιὰς (ut Græci loquuntur,) vocaverint. c. Apollon. Lib. I. 1117. 1118. *antiquum ſtipitem* ſolidum *Vitis Sylveſtris*, γεράνδρυον vocat; ex quo *ſimulacrum*, montanæ Deæ (matris Deorum,) factum. Conf. Not. Schol.

consignavit: *d.* Longè visum *est* convenientius Boxhornio à Scythis Origines, ut Gentium in Occidente, (*quibus accensendi etiam Græci*,) ita Linguarum petere, neque in Orientem ad Phœnices recurrendum. *Item*, *quod* Antiquissima linguarum Occidentis matrix est Scythica, illa *nempe quam cum Boxhornio* communem quandam *veterum Scytharum vocat*, *quamve* matrem Græcæ, Latinæ, Germanicæ & Persicæ statuit *Boxhornius. Quam verò & quantam communis illius & antiquæ* Scytharum *Linguæ partem*, Hungarica *faciat*, *& an mereatur antiqua dici*; *usus & exercitatio cum tempore docebit. Non dubito*, *quin* Hungarica *cum* Sclavonica *& ejus cognatis*, *non mediocriter hic profuturæ sint. Atque hæc de prima* Originum *Hungaricarum utilitate.*

(2.) Originum *harum cultor experietur in dies*, *insignem idiomatis* Hungarici *usum*, *in explicandis plerisque abstrusissimi sensûs & originis nominibus barbaris*, *quæ apud Græcos & Latinos Scriptores passim leguntur. Argumento sint in hanc rem ei qui candide veritatem quærit*, *illa*, *quæ in hoc Libro explicata dedimus. Impossibile enim est tam miras consonantias*, *quales hîc offendes*, *tot nominum & rerum*, *aut fingere*, *aut casû eas provenire. Sic etiam*, τὸ Pallas à Pállyás, * (*in subsidium vocatô lucis causâ etiam* Pallos,) Venus à Vénös, † Semele à Személy

*** 4

d. Præf. in Origin. Gallic. Boxhorn. *Stadii ac certaminum Præses. † *Senio* honoranda: Vel *Prudentiam senilem* habens; a rad. בן / *intellexit.*

mély & Személlyes; Parnaſſus à Párnáſſ; Helicon *ab* Hajlék; Ὠκεανὸς, *(qua vox Ægyptiis ſignificabat* e. Alimoniam Matrem, *ſeu Elementarem cauſam Matrem,) ab* Ok-anya, *vel propiùs,* ‡ Oki-anyós; Centaurus *à* Cantáros; *& alia his ſimilia non pauca non ineptè explicabit ille ex idiomate Hungarico, qui de hujuſmodi nominibus, Hiſtoricæ ſcientiæ, Philologicam ſcientiam conjunxerit. Facilè quoque perſpiciet,* τὸ Kiki *f. Ægyptiorum, (vilis plantæ cujuſdam nomen,) Hungarico* Kükény, *(hodie fructus* Spinarum,) *origine cognatum eſſe. Atque ex hoc & ſimilibus junctim, colliget, antiquiſſimorum idioma Hungarorum, ſi non idem, cum vetuſtiſſimo Ægyptiorum idiomate, ei tamen in multis cognatum fuiſſe. Cum item legit,* Bekkos *g. Phrygibus, &* Bek *h. Paphlagonibus,* Panem *olim ſignificaſſe; nec ignorat, veteres primùm i.* glandibus, *iiſque k.* faginis *(h.e. Panibus è glande fagina l. paratis) præcipuè victitaſſe; non temerè conjiciet* τὸ Bek *eſſe* Bikk, *h. e. Fagus, (Angl.* Beech, *Germ.* Büch [baum,] *Belg.* Buecken boom,) *&* Bekkos *idem quod* Bikkes, *ſeu* Bikkös, *h. e. Faginus, a, um. Eſt etiam* τῷ Bick *cognatum* Makk, *h. e. Glans in genere; & inde adj.* Makkos, *h. e. Habens glandes. Ubi pri-*

mor:

e. Diod. Sic Lib. 1. p. 12. ‡ Q. d. *Cauſativa Mater antiqua.* f. Apud Herod. Lib. 2. g. Herod. Lib. 2. ſub init. h. Scholiaſt. Ariſtoph. in Nubib. p. 149. i. Plin. Lib. 7. c. 56. & Lib. 16. in Prœm. k. Pauſan. in Arcad. ſeu Lib. 8. ſub init. p. 456. l. De *farina glandis & pane,* vid. Plin. Lib. 16. c. 5.

more quibusdam usitato, potuit M *mutari in* B. [*Utriusque radicem dare paratus, nunc prætereo. Videtur & Belg.* Backen, (*cum cognatis,*) Panes Parare, Frigere *aliquid,* Torrere, *cum alterutro horum ejusdem aut cognati fontis esse, ob vetustum illud vivendi medium.*] *Non multum etiam laborabit de eo, quid sit* Saracenus; *cum perspiciat nihil aliud hoc esse, quàm Scythicum* Szereclen, *sive* Szerechen; *h.e. Niger vel valde fuscus corpore, ut* Æthiops *vel* Maurus. *Cogitabit etiam, annon* Osiris *quoque,* (*qui* Multoculus *m. Ægyptiis,*) *fuerit dictus, quasi* Ezeres, *h.e. Millenarius, vel* O-Szeriis, *h.e. Vetustus, ac ideò multa videns; atque etiam* Isis (*Antiqua n. Ægypt.*) *sonârit quasi* Eszes, (*Prudens,*) *vel* Öszes, (*sive* Üszes) *h.e. Cana; eò quod tum* Prudentia, *tum* Canities *sit penes longam ætatem. Si una viâ votum forte non assequatur, non deerunt ei plerumque aliæ quoque viæ ex eodem idiomate. Atque hinc non sine ratione considerabit etiam, annon* Hungarorum *aliqui o. Majores, fuerint ex illis Samothraciæ incolis, de quibus sic scribit Diodorus: p.* Ἐσχήκασι δὲ παλαιὰν ἰδίαν διάλεκτον οἱ αὐτόχθονες, ἧς πολλὰ ἐν ταῖς θυσίαις μέχρι τοῦ νῦν τηρεῖται. Proprium loquelæ genus indigenæ illi quondam habuere; cujus multa etiamnum in Sacris (*Græcorum & Latinorum*) vestigia retinentur. *Si quis super his miretur hæsitabundus, quo-*

*** 5 *modo*

m. Diod. Lib. cit. p. 10. *n.* Ibid. p. 11. *o.* Conf. quæ de Samothraciæ nomine veteri habes, Orig. Part. 2. p. 79. 80. *p.* Biblioth. Lib. 5. p. 322.



modo ex tam obscuro & ignoto Occidenti hactenus idiomate, uti est Hungaricum, *talia detegi possint; is consideret non deesse Deo modum, quô media magnarum illustrandarum obscuritatum, præter omnem exspectationem inde depromat, indeque humano generi, velut* ἀπὸ μηχανῆς *subveniat, unde humana solertia nunquam cogitasset.*

(3.) *Experietur insuper, non contemnendum hujus idiomatis subsidium, in multis vocabulis Scripturæ Sacræ V. T. illustrandis. Sicut enim Hebraicum & Chaldaicum idioma, nostrum illustrat; sic vice versâ aliquid lucis etiam ex hoc in illa redundabit. Speciminis loco dedi aliquot exempla, in Secunda Parte* Originum. *Quibus adjunge sequentia. Sic v. gr. Vocabulum* סֶלָה, Sela, *seu* Szela, *putant Judæi per se nihil significare, cum tamen & ipsi explicent, nunc per* Elevationem *vocis, nunc per* pausam. *Frustraneum non esse, certum est ex eo, quod Spiritus Dei eô utitur. Rectè ergò censeo per* Pausam *id explicari posse; ubi etiam* elevatio *hoc sensu locum habet, quà animi nostri devotio maximè circa finem Orationis solet intendi. At jam ratio hujus expositionis hæc dari potest: Quia* Szél, *significat nostris, (qui hoc & alia ab Oriente habent,)* extremum *seu* oram *cujuslibet rei, ac per consequens, etiam versûs periodi, Capitis, vel Tractatûs; ubi locus est* Pausæ. *Cum affixo dicimus* Széli *vel* Széle; *h.e. Ora ejus. Item, Quid sit* אַיָּה, (Ajja) *Job.* 28. *vers.* 7. & *Lev.* 11. *vers.* 14. *appositè illustrabis per Hungaricum* Héjja, *h. e.* Milvus. *Quòd Doctissimus Bochartus,*

q. ver

q. *per Arabicum* Aljuju, *Accipitris speciem, explicat non multum a nobis distat: cum & Milvus* r. *sit* ex Accipitrum genere. *Insuper etiam* τὸ Aljuju, *propius ad radicem, dicitur nostro sermone* ölyü; *quod est*, Accipiter, *qui hyeme etiam apparet. Sic* Bohu, *Gen.* 1. *vers.* 2. *exponitur* Res inanis. *Nobis quoque* Bohó, (*ab ead. rad.*) *significat hominem* inanem, inconsideratum, *quasi humanâ* formâ. *h. e. mente* careret. *De* Tó, *quod ejusdem fontis est cum* Tohu, *dixi* s. *in Originibus. Observavi etiam, quod* τὸ אִם / (*Im*,) *nonnullis in locis, longè rectiùs per* τὸ Ecce *verteretur, uti nobis* τὸ Im *significat, quam per.* Si, quum, *vel*, quandoquidem. *Vide inter alia, Job.* 17. *vers.* 2. & *c.* 19. *vers.* 5. & 22. *vers.* 20. & *Jerem.* 14. *vers.* 7. *Item, cum Hebrais* Natar *sit, Custodivit*, & Mattara *Custodia, ac nobis quoque* Mátra, *Matrix, quia fœtum in interno recessu custodit & fovet*, (*unde & Montium quorundam nomen* Mátra *in Hung. quod sint in umbilico Hungariæ*;) *hinc* (*collatis etiam Lat.* Mater & Matrix, & *Græcorum* Μήτηρ *ac* Μήτρα,) *non ineptè conjicies, non tàm Hebr. Heemanticum* M *hîc esse, quàm potiùs*, & Natar & Matar, (*mutuo* nun & mem, *ut in* Noph, & Moph, *permutatis*,) *certo respectû, apud diversos olim idem significasse. Non est etiam in Criticis sacris contemnendum, quòd cum* כְּסִיל, *s.* (Chesil,) *præter* stolidum,

q. Hieroz. Part, 2. L. 2. c. 8. r. Plin. Lib. 10. c. 10. s. Part. 2. p. 143. s. Vid. Job. 9. vers. 9. & Amos. 5. vers. 8. Ubi consule etiam Hieron. version.

dum, *significet Iudæis etiam* Stellam, *quæ communiùs* Orion *vertitur*, *& in plurali*, *ab Hieronymo* t. splendor stellarum, *ab aliis* Sidera; *ratio ex idiomate Hungarico congrua de* stella *dari potest*. *Nam nobis* keſely, *ſeu* keſel, *(quod in re idem cum Hebr.* Chesil,*) significat id*, *quod est* flammei coloris, *medii nimirum inter album & merè flavum. Plura in dies uſus & exercitatio docebit: ut non dubitem*, *dictum illud* Rabbi *Iſaaci* Sangar, *quò ſtatuit* u. tres hasce linguas *eſſe* affines, Aramæam, (*ſub qua procul dubio Chaldaicam & Phœniciam implicitè comprehendit*,) Arabicam & Hebræam, *cum tempore latiùs extendendum eſſe Iudæis*; *quò agnoſcant*, *non pluribus neque majoribus ab Hebræa lingua diſtare gradibus Hungaricam*, *quam diſtat Arabica*, *tametſi in linea longè diverſa. Non eſt numerus vocum*, *in idiomate Hungarico*, *quæ vel ipsâ forma ſuâ (v. gr.* Vakar, Kapar, Hamar, Hámor, Sodor, Fodor, Bokor, Reped, Tſerép, Kaſzap, *&c.) illicò exercitatis tum in noſtro tum in Hebraico & Chaldaico idiomate*, *produnt orientalem ſuam originem. Dies non me ſinet in ſpe mea falli*, *uſum* Hungaricæ *linguæ*, *circa Hebræa non minorem aliquando futurum*, *quàm* Arabicæ. *Accedit*, (4.) *quod penitior* Originum Hungaricarum *notitia, non ſolùm illuſtrat nobis haud mediocriter*, *admirandam illam Dei gubernationem*, *quâ is multos* Japheti *poſteros*, *primùm velut ad Cœlum uſque in amœniſſimis aliquot* Regio-

t. Iſa. 13. verſ. 10. u. In Libr. Cozri, Part. I. p. (mihi) 132.

Regionibus evexerat; deinde verò inter frigora tum literalia tum mystica Barbaræ Scythiæ, ad Tartara usque detruserat; unde rursus partem eorum demùm educendo, per Evangelium illustravit, facieque benignâ intuitus est; sed insuper cogitandum nobis dat, annon decem tribus Israelis, *olim in viciniam* Scythiæ, *imo quadantenùs partem antiquissimæ* Scythiæ, *per* Assyrios *deportatæ, æquè (si non magis) in* Hungarica *Natione, eique vel olim vel nunc propiùs adhærentibus, quæri debeant, ac quidem Docti jam eas in* Turcica, & *præsertim* Tartarica, *x. quærere y. cœperunt. Non ea mihi mens hìc est, quasi hæc vel illa Natio memorata, vel junctim earum aliqua, penitùs ex* decem *illis* tribubus † *ortum duceret; (quod absit ut vel cogitem;) sed quod decem illæ tribus, in Nationibus* Scythicis, *earumque propaginibus ac viciniis, potiori ex parte sunt absorptæ; (tempore opportuno admirabili Dei sapientiâ ex iis manifestandæ;) ideoque eas non minùs in* Hungaris, *quam in aliis* Scythis *esse quærendas. Dies docebit, quid præsagii cœlitùs in eo sit, quod hodie nostra Natio, stylo Ecclesiastico, longè frequentiùs alioque penitùs modô, quam ceteræ faciunt*

x. Habes de utrisque apud Mornæum. de Verit. Relig. Christ. c. 26. p. 423. y. Vide Tract. Anglic. Fletch. de Tartaris, seu 10. Trib. per totum; & conf. Sam. *Lee* de 10. Trib. p. 55. 56. 57. Sic Mornæus loc. cit. putat. *Colchos*, *Tartaros* ac *Turcas*, & Fletcher, [Tract. cit.] *Tartaros* ex 10. Tribubus ortum habere. Vide etiam hanc quorundam de Turcis sententiam, apud Cæl. Aug. Curion. Lib. 3. de Sarrac. p. 56.

cium Nationes Christianæ, vocat se ipsam, Magyar Izrael, *&* Magyar Sion: *H. e. Hungaricus Israël, & Hungarica Sion. Quod an recentiùs tantùm inde à seculo præterito invaluerit, aut secus, mihi nondum liquet. Est etiam nobis, non* Samarchian; z. *(sive* Samarchand,) *quod etiam unum erudito* Fletchero *pro* Tartaris *in suum de* decem Tribulus *scopum, est argumentum; (quasi nomen hoc ex* Samaria *corruptum esset;) sed planè* Samaria, *nomen notissimi Oppidi in inferiori Hungaria. Quod an Scythicum nobis sit, vel potiùs ab Israëlitis mutuatum, non facilè hîc paucis dici potest.*

Ut verò recognoscimus, nos successivè & gradatim in hoc studio profecisse, ita ut multa in progressu ac præsertim sub finem nobis patuerint, quæ in prioribus aut ignoravimus, aut non adeo clarè vidimus; sic ultro fatemur, esse quædam in his, quæ cum tempore pleniùs exornari; esse etiam minutula, (in voculis quibusdam à me animadversa,) quæ melius quoque aptari & illustrari possint. [Quicquid autem in his, amicâ veritati manu, vel corrigetur, vel plenius exornabitur, id omne juvabit potius & perfectiorem reddet scopum Libri hujus de Originibus Hungaricis, *quàm ut aliquid de eo diminuat.] Nemo candidi pectoris lector mirabitur super talibus, aut nobis de iis succensebit, quicunque consideraverit, neminem mortalium unquam nobis in hoc opere quantum ad* Philologica *Hungarica (in vocibus ac nominibus exponendis,)*

z. Cit. Tract. Angl. De Tartar, seu Decem. Trib. pag. 12.

dis,) praivisse; sed Deo assistente, nostram tenuitatem, glaciem hic primum fregisse. Sic v. gr. nomen fratris Athila Bleda, (*quod ita legitur apud* Priscum *eis coævum,) cum ipsemet ignorarem, quid in illa positione literarum* Hungaris *significaret, aliud vero simile tunc non occurreret; studio nullam ejus Etymi inter Nomina feci mentionem. Forte illud aut* Béldi *nostris fuit, (quod Hungaris notum cognomen,) aut* Beleda, *in cognata cum* Béld, *significatione. Ita etiam nomina* Utiguri *&* Uturguri, *a. putabam prius unica tantum syllabæ mutatione, a nomine* Unoguri *vel* Hunoguri, *differre: at re penitius perspectâ,* Utiguros *quidem &* Uturguros, *(qui re ipsa sunt iidem,) Gentem* Hunniacam, *ac specialius* Huno-guricam *seu* Hungaricam *exstitisse comperi; at vero nomina ipsa, postrema eorum parte exceptâ, plusquam syllabæ mutatione ab invicem differre, animadverti. Nempe* 'Uti-'Ur-Gór, *certa familia fuit inter Hunnos, ab una excellenti persona (filio Domini b. Hunnorum) sic denominata. Significat autem proprie:* Dominus de Via, *ex familia* Gór, *vel nomine* Gór. *Nimirum* 'Ut *aut loci seu possessionis certæ nomen fuit, aut personæ illius* itinera *frequentia expressit Et pariter* 'Uti-Gór, *omissione* 'Ur *in medio, idem tantum notat, sive de persona sive de populo usurpetur, nempe* Gór *de* Via, *vel* Itinerarius. *Cum porro* Cuturgur, (*quod Hungaricè est* Kúti † 'Ur-Gór,)

a. Orig. Part. 1. p. 160. *b.* Procop. de Bell. Gotth. Lib. 4. c. 5. † Præter *putei* significatum potuit *Kút* recte nostris certum locum significasse.

Gór,) *dicatur frater germanus fuisse* Uturguri *c. apud Procopium;ex eo clarius fit,cur* Bulgari *etiam dicti fuerint olim* Hunni. *Ratio est; quia insignem aliquando Ducem, nempe* Cuti-Ur-Gorum, *ex Natione* Hunniaca *habuerunt. Sic de nomine quoque* Ungarus, *seriùs mentem cogitatio subiit, ex nostro nomine composito*, Ung-vár, *& alio simplici* Onga, *collato etiam Scythico montis juxta Istri ostia nomine*, Anguros *apud Apollonium, d. annon hoc nomen, quia* o, u, *vel* i, *caret in medio, præter viam compositionis ex* Huno *&* Gur, *vel* Gor, *aliâ etiam viâ fuerit olim à nostris formatum, (ad formam*, Kádár, Buvár *vel* Buják,) *nempe* Ungár, *vel* Ongár; *quod uti ex* ingó *conjicere possum, significaverit*, Se subinde moventem, *quales erant* Nomades *Scytharum? Sed quia tùm obsoletæ nostræ voces, (quæ sanè multæ sunt,) tum variæ veterum formandarum vocum rationes, (in quibusdam adhuc vestigiis superstites,) in dies meliùs innotescent; ideo sufficiat nunc qualemcunque hanc lucem paucis hic memorasse. Porro, de Hunnis etiam* Abaribus, *seriùs demum quippiam occurrit ex* Suida, *quod tamen seriem nostræ narrationis minimè evertit. Narrat ille, (ceu rem ut videtur nondum medii seculi octavi,) quasi e.* Bulgari, Abares penitus delevissent; *quod falsissimum esse, docet cruentissimum & gravissimum illud bellum, quod* Carolus *M. sub finem seculi octavi, &*

c. Loc. cit. *d.* Lib. 4. vers. 323. 324. *e.* Vid. Excerp. Suid. inter Script. Byzant. in voc. Βυλγαροί.

vi, & initium noni, contra Abares *f. gessit. Ergò juxta Nicephori C. P. verba à nobis explicata, g. de certis quibusdam Dominis terrestribus, ac inprimis eorum exactoribus, hoc Suidæ intelligendum est. Insuper, fieri potuit, quod etiam Ducem aliquem Hungarorum unà cum sua familia & consanguineis, consentientibus etiam Hungaris quibusdam, ob crudelitatem, injustitiam & alia, quæ Suidas narrat, crimina, in illo tumultu deleverint. Sed Nationis integræ alia est ratio. De minutiis verò est, v. gr. quod* τὸ Haszon, *(Utilitas,) verius nunc ab Hebr.* חסן / (Hoszen,) *h. e.* Opes, Facultas, *derivari putem, quam ab* חויע / *Congregari. De talibus, partim* Addenda & Corrigenda, *sub finem utriusque Partis, consulat Lector; partim vero modestâ eorum quæ minùs primâ fronte placerent, tolerantiâ, erga Authorem docilem, pacificum & candidum dehinc etiam Veritatis inquisitorem, utatur. In erratis Secundæ Partis, inprimis pag.* 53. *lin.* 7. ion *pro* on *reponere, & p.* 134. *l.* 22. τὸ Herodotus *loco suo inserere, ne negligat. Nemo de erratis Authoris si quæ hic vel alibi occurrant, perquirendis, ac cum tempore detegendis & corrigendis, magis est sollicitus, quam ipsemet Author, quantùm perspicere potest: quod ipsum facere, serium veritatis studium urget. Unus est inprimis locus præ omnibus, (sed & is de minutulis,) qui sicut mihi displicet, sic alium quoque in lectione Auctorum exercitatum, me non præmonente offendere posset. Invenitur is in* Oraculo

**** *de*

f. Vid. Orig. Part. 1. p. 230. 231. & seq. g. Orig. Part. 1. p. 223. 224.

de Hunnis (Part. 1. p. 91.) *ex Ammiano producto in medium, duabus in vocibus. Ubi pro divisis vocibus* ἄςυ χορείαις, *posita est à me quasi composita una vox,* ἀςυχορείας *in Acc. plur. (imo & accentus per inadvertentiam relictus in prima syll.) ad formam* ἀςυλογία, Urbanitas, *vel Urbanus mos, &* ἀςυνομία, Ædilitas: *& versu ultimo pro* δῆεις, *editum* δῆσις, *(quasi* δῆνσις *a* δέω, ligo, necesse habeo,*) h. e. vinculum, fatum, necessitas. Quod unicè mea peregrinationis status, in quo non semper possum ad manum habere eundem authorem, quô semel usus sum, hoc modo mihi peperit. Postquam versus illos dicti* Oraculi *ita ut sunt editi, in* Oxoniensi *Bibliotheca publica, in obscuriore quodam ejus angulo, (ut ordo ferebat libri situm,) currenti calamo, ex editione Ammiani* Francof. 1588. *publicatâ, descripsissem, atque mox in hospitio vertissem illico eadem in Latinum quæ properanter excerpseram; demum ubi in progressû impressionis, versus illi hic* Franekeræ *jam jam inprimendi essent; illico ex collatione editionis* Lindebrogii, *valida mihi suborta est suspicio, me aberrasse Oxonii in descriptione vocum illarum textûs Ammiani. At vero quamvis diligenter quæsiverim statim eandem ipsam* Francofurtanam *editionem, quam ex lectione Hadriani & Henr.* Valesii *didiceram, pro meo scopo (de* Uniis tribubus,*) cum editione* Accursii *concordare; non tamen potui eam tunc habere. Nam D. Bibliothecarium, sub cujus cura dictam editionem habere poteram, pro illa occasione non inveni. Et cum animus mihi esset juxta lectam à me editionem,*

quæ

quæ nimirum in Oraculi versibus cum editione Accursii *concordaret, exhibere integros versus; at què autem ante revisionem dictæ editionis incertus adhuc essem, an in memoratis vocibus,* Lindebrogiana *editio, cum* Accursiana *consentiret; placuit scriptum meum relinquere, cum proposito deinceps corrigendi, si in aliqua ejus parte erratum esset. Erratum vero esse,* Francofurtanæ *edit. inspectio, me deinceps edocuit. Jam ergo nunc, (ut & in serie Corrigendorum habes,) lege in primo versu ut editiones habent Ammiani,* ἄστυ χορείαις, *& in ultimo pro* δῆσις, *lege* δῆρις. *Atque hinc priori loco, versio sic jam disponenda erit:* At cum &c. per Urbem choreis, Lętantes circumagentur. *In ultimo sic:* Huncque &c. etiam contentio, (*illis*) imponet. *Scilicet, (si benè mentem Oraculi capio,) ipsa eorum contentio & ardor pugnandi, hoc ipsorum fatum esse declarabit, ut illic cessent á furore bellandi, ubi votum suum assecuti fuerint. Sic videmus nec in his commissam esse cespitationem aliquam graviori censurâ dignam. Facilè & illud benignus animus benignè excusabit, quod uno in loco, (Part.* 1. *p.* 381. *l.* 25.) *pro Luca* Holstenio, *ejus in Steph.* Notarum *eruditum editorem* Ryckium *festinanter posuerim. Jam ergo verus Author in illius locum ponatur.*

Si quis interim non in minutulis, sed in præcipuis, atque inprimis in scopo Operis mei de vera Origine & antiquitate Hungarorum *detegenda, hîc proposito, (quem non dubito me esse assecutum,) vellet mihi adversari; (quod tamen de nullo pacifico & veritatis*

amante, vel suspicando præsumo;) ei, quamvis sim homo pacis, nec vellem cum ullo meo proximo in arenam litis condescendere, legem hanc de jure pono; ne prius hæc nostra invadat, sed ubi suo Historiarum & celebrium Orientis Linguarum apparatui, (de quo nihil doctis præscribo,) etiam idiomatis Hungarici pleniorem ac sufficientem notitiam conjunxerit; (secus enim, potiori ex parte, de ignotis hic judicaret;) quod si fecerit, non dubito eum citius hic vel palam manum daturum, vel silentium sibi impositurum, quàm victoriam reportaturum. Ad minimum, afflictissimæ nunc & cum infinitis propemodum malorum adversis diu colluctanti meæ Nationi, (cui nisi Deus Gloriosissimos & Clementissimos Reges præfecisset, longè adhuc, quàm est, miserior esset,) hoc unum unusquisque, habitâ penitiori rerum Hungaricarum notitiâ, largiri debebit; Hungarorum Majores, non solùm adfuisse illis, qui nomina abstrusissimæ originis, ex Hungarico idiomate (ab Orientis tamen penû illustrato,) hîc explicata, primi usurpare cœperunt; sed etiam idioma, vel idem, vel cognatum cum iis habuisse: idque adhuc hodie in essentialibus suis apud Hungaros superesse. Secus enim impossibile eßet, multa obscura tam feliciter ex dicto idiomate illustrari, quàm hîc sunt illustrata, & adhuc illustrari possunt. Et revera multo adhuc faciliùs & feliciùs obscura mihi hîc patuissent, si instar aliorum de sua Natione scribentium, Antiquis quibusdam Manuscriptis Hungaricis uti potuissem; quæ ut rarissima nostris κειμήλια esse non dubito; ita si qui habent aliqua, ea ut in usum feliciùs excolendi idiomatis Hungarorum

&

& amplius illustrandæ Originis *eorum hic detectæ, convertant, consultissimum duco. Tantum abest, ut talibus me hic ego sublevare potuissem, ut neque* Dictionarium Hungaricum *mecum habuerim; sed post Deum, labore subacta memoria labilis; & post hanc, ipsa* Biblia Hungarica *nonnunquam, sæpius vero viva cum meis Popularibus (hic loci sua studia excolentibus) colloquia, ubi de usu vocis cujuspiam* Hungaricæ *forte hærerem, aut minus securus essem, mihi subvenerunt. Obiter hic insinuo. Quod ætatem Scriptorum, ut plurimum currenter hic consigno; in eo studiosæ juventuti, ac cuicunque Lectori minus exercitato, at veritatem studiose quærenti, qui non semper pro illorum antiquitate vel novitate discenda, alios Authores ad manum habet, consulere volui. Quam enim sit proficuum, rerum hujusmodi studiosis scire ætates auctorum; is ignorat, qui nondum scit, primum etiam ad auctores felicius in hoc exercitiorum genere legendos, id requiri, atque ex ista ætatis auctorum notitia, gradatim etiam ad rerum ætatem noscendam esse perveniendum. Ut, si quis legat mentionem* Istri *apud Scriptores esse antiquissimam, eamque exstare apud* Hesiodum, *(qui juxta Chronicon Marmoreum etiam* Homerum *aliquanto præcessit,) is protinus de* Hesiodi *ætate debet esse sollicitus; [quam hic (subsidio Indicis,) facile inveniet;] ut inde concludat, quam antiqui usus nomen illud possit esse. Non defuit & ad hoc mihi consilium, quod non raro verbis auctorum in scopum meum spectantibus, volui potius conspectui sistere ea quæ narranda erant, quam propriis. De stili autem humilitate, non est ut ulla vel apologia, vel deprecatione (in hoc præsertim argumenti genere,) apud quempiam utar. Locutus hic sum, uti Deus infirmitati meæ largitus est, vel balbutire, vel nonnunquam aliquanto expeditiore uti sermone. Si h.* qui flumen eloquentiæ, *(ut verba*

**** 3 *Hiero-*

h. Hier. Procem. in Oct. Lib. Comm. in Esa. ad Eust.

Hieronymi mea faciam,) & concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Tertullianum, Cyprianum, Minutium, Arnobium, Lactantium, Hilarium. *Nobis sufficit ad tranquillandam conscientiam, quòd omnia, quantùm per nostras vires & studium brevitatis fieri potuit, clarè & perspicuè conati hîc sumus exprimere. Si quid interdum uni non est clarum, clarum erit alteri. Optaret fortè hîc Lector, ut aliquid etiam de Linguarum omnium parente, interſererem: Sed ob gravitatem argumenti illius, non vacat hîc aliud ea de re dicere, nisi hoc; quòd, ut hactenùs saltem nôsse potuimus, Hebræam esse existimo, quæ de primigenia lingua (in essentialibus ejus) plus quàm aliæ, retinuerit; atque hoc respectû matrem aliarum dici posse. Quantam verò hîc partem, etiam aliæ quædam habeant, dies & industria dehinc docebunt.*

Porrò Lector benevole, damus hîc tibi Opus, non ex angulo aliquo, furtim & inconsultis aliis publicatum, (quanquam quibus notam Deus dedit auctoritatem, diligentiam & fidem inter suos, non semper necesse habent alios de suis publicandis consulere,) sed priùs cùm Viris Doctissimis, utpote cum Celeberrimis Academiæ hujus Franekeranæ Professoribus, Clar. Dn. Joh. Vander Waeyen, *Cl. Dn.* Camp. Vitringa, *Cl. Dn.* Jac. Perizonio, Jac. Rhenferd, *communicatum; quos eò lubentiùs honoris causâ hic nomino, quòd sine illorum, ut & Venerandorum Collegarum eorundem, favore fuisset, ut adhuc privata inter Scripta, hæ* Origines *delitescerent. Quod ergò antehac An.* 1691. *breviùs & rudiori Minervâ inter* Oxonienses *Amicos conscripseram; nunc jam inter* Francequeranos *pleniùs exornatum, & plusquam tertiâ sui parte auctum, Deo favente do in lucem: D.* 24. *Mart. st. v. An.* 1693. *Vale mi Lector, & studiis meis in Dei gloriam fave.*

Tuus in Domino,

FRANCISCUS FÓRIS OTROKOCSI.

INDEX CAPITUM

Primæ Partis.

CAP.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.

ORI-



ORIGINES HUNGARICÆ.

CAP. I.

In quo, *Scopo Libri, primùm propoſito, antiquitas & celebritas* Scytharum, *teſtimoniis* Æſchyli, Herodoti & Diodori *Siculi aſſeritur. Mentio* Amazonum, *interſeritur; Amplitudo* Scythiæ. *Linguæ olim in* Scythia *præcipuæ, ſeptem apud Herodotum; ſicut & hodie in* Hungaria. *Primi* Scytharum *progenitores indicantur; & quod à* Japheto *ortum duxerint, adſtruitur; non obſtante quod potuerint aliqui temporis ſucceſſu e* Chami & Semi *poſteris, illis admiſceri. Eâ occaſione* Promethei & Deucalionis *mentio injicitur, ac ætas utriuſque refertur. Itur ad* Etymon *nominis* Scytharum; *oſtenditurque, ex linguis Orientis ſuam illud habere originem. Detecta origo nominis,* Joſephi *etiam teſtimonio fulcitur.* Sacæ & Catajæ *incolæ, unde dicti. Antiquiſſimum nomen Scytharum,* Aramei, *ex ſua origine explicatur: unde &* Armenia *venit. Quid ſint* Arimi *apud* Heſiodum & Homerum, *exponitur. Mores & in-*

A *genia*

genia veterum Scytharum *referuntur. Itur ad* Deos *eorundem. Omnibus antiquitatis & celebritatis* Scytharum *argumentis externis, unica* Apoſtoli *de* Scythis *mentio longe præfertur.*



uandoquidem is ipſe Cœli Terræque Dominus *a. altiſſimus*, qui *poſſeſſionem diſtribuit Gentibus*, dum *ſequeſtraret* ab invicem *filios Adam*, ex iiſdem diſperſis ac diviſis ſibique ad tempus *b.* relictis Nationibus, ſtatuerit colligere Eccleſiam per Euangelium, idque non mediocriter conferat ad immenſam Dei miſericordiam & ſapientiam celebrandam ac deprædicandam, ſcire nimirùm, quibus ex Gentibus, *natura filiis iræ*, captivis Diaboli, *d. ſine ſpe, ſine Deo* vero *in Mundo*, immenſâ peccatorum mole onuſtis, brutis, barbaris, crudelibus & truculentis, colligit dietim, & collegit ab initio, ſuam illam Sanctam Eccleſiam, facitque *e. ſibi Populum peculiarem*, vere nobilem in cœleſtibus, ſapientem, manſuetum, & *bonorum operum ſtudioſum:* hinc ad majorem Divini Nominis laudem & gloriam in noſtra Natione Hungarica, ac feliciorem rerum etiam Eccleſiaſticarum ejus Nationis notitiam, ſtatui apud me, Deo ex altis opitulante, pau-

a. Deut. 32. verſ. 8. *b.* Act. 14. verſ. 16. *c.* Eph. 2. verſ. 3. *d.* Ibid. verſ. 12. *e.* Tit. 2. verſ. 14.

paucis Originem & priſtinas ſedes Nationis hujus, quantùm in tanta caligine, & vetuſtatis hac de re perplexitate, aſſequi licet, pandere; ad minimum ſaltem tradere aliquid de his accuratius & diſtinctius, quàm hactenùs à quiquſdam rerum Hungaricarum Scriptoribus, non ſine multiplici hallucinatione eſt traditum. Ubi etiam conabimur non tantum geminum, ſed & ternum Hungarorum in Daciam & Pannoniam adventum, penitiùs & enucleatiùs (ſuccinctè tamen,) rimari & enarrare. His peractis, progrediemur Deo duce peculiari Libello ad ea, quæ ſunt Ecclesiaſtica.

II. Hungaros Scythicæ eſſe originis, nemo qui Hiſtorias vel mediocriter novit, negare poteſt: atque hoc in ſequentibus, ea quæ de Majoribus hujus Nationis narrabuntur, unicuique indubitatum reddent. Scythas autem inter antiquiſſimas & geſtis celebres Mundi Nationes, recenſeri debere, monumenta veterum Scriptorum, *Æſchyli*, *Herodoti*, *Diodori* Siculi, aliorumque, luculenter teſtantur. Nota eſt celebris fabula Gentilium, de *Prometheo*, ad Jovis imperium in Scythia vincto, juxta montem Caucaſum, vel veriùs, in Tractu Scythiæ Europææ remotiùs à Caucaſo. † *Æſchylus* Poeta Græcus Athe-

†Colligi hoc poteſt ex perplexa itineris deſcriptione quæ verbis *Promethei* ad *Io* datur. Æſcyl. in Prom.

Athenienſis, qui jam annis ante natum Chriſtum, 490. florebat, ſuam de *Prometheo* Tragœdiam, incipiens, ſic *Scythiæ* facit mentionem:

f. Χθονὸς μὲν εἰς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον
Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβατον εἰς ἐρημίαν.

In extremum quidem venimus Terræ ſolum,
Scythicam in viam, aviam in ſolitudinem.

Quando autem vixerit, & quis fuerit *Prometheus*, paulo poſt dicturi ſumus. Poſſem hîc etiam celeberrimi, (annis ante natum Chriſt. circiter 1200. & octo poſt captam Trojam,) *Oreſtis*, referre exemplum; qui in *Scythia.* *g.* dicitur à quibuſdam †, *ab inſania* ſua, ex cæde Matris adulteræ contracta, *ſanatus* eſſe: verùm cum præter hoc, longe validiora nobis ſuppetant, celebritatis & antiquitatis Scytharum argumenta, ideò ſufficiat illud obiter tantùm hîc memoraſſe.

III. *Herodotus* Halicarnaſſeus, annis circiter 443. ante natum Chriſtum ſcribens ſuam Hiſtoriam, refert de potentia veterum Scytharum, quòd illi, imperante Medis Cyaxare, (h.e. circiter annis 633. ante Chriſti Natalem,)

Vinct. à verſ. 706. ad verſ. 734. *f.* Æſchyl. in Prometh. Vinct. in princip. verſ. 1. & 2. *g.* Vide Marmora Oxonien. & Arundelliana, uti ſunt edita, an. D. 1676. Oxon. pag. 165. & confer Notas editoris, in eum locum. † Addo hoc ideo, nam aliis aliter placet. Vid. Pauſan. in Laconicis, ſeu Lib. 3. pag. 204. edit. Haniv. 1613. Qui refert illic non longè à *Gytheo*, Oreſtem ſanatum.

lem,) Asiæ imperium per 28. annos tenuerunt, quâ occasione etiam ulteriùs progressi sunt. Verba ejus sic sonant. *h.* Οἱ μὲν Μῆδοι συμβαλόντες τοῖσι Σκύθησι, καὶ ἑσσωθέντες τῇ μάχῃ, τῆς ἀρχῆς κατελύθησαν. Οἱ δὲ Σκύθαι, τὴν Ἀσίην πᾶσαν ἐπέσχον. Ἐνθεῦτεν δὲ ἤισαν ἐπ' Αἴγυπτον. καὶ ἐπεί τε ἐγένοντο ἐν τῇ Παλαιστίνῃ Συρίῃ, Ψαμμίτιχος σφέας Αἰγύπτου βασιλεὺς, ἀντιάσας δώροισί τε καὶ λιτῇσι, ἀποτρέπει προσωτέρω μὴ πορεύεσθαι. ---- ἐπὶ μὲν νῦν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἔτεα, ἦρχον τῆς Ἀσίης οἱ Σκύθαι. καὶ πάντα σφι ὑπό τε ὕβριος καὶ ὀλιγωρίης ἀνάστατα ἦν. h. e. *Medi cum Scythis congressi, prælioque victi, imperium Asiæ amiserunt. Scythæ autem universa potiti Asia, hinc in Ægyptum contendunt. Et quoniam essent in Palæstina Syriæ, Psammitichus Rex Ægypti, occurrens illis muneribus & precibus, effecit ne ulteriùs progrederentur. ---- Iam quidem viginti & octo annos imperabant in Asia Scythæ, & omnia ipsis ab injuria* (seu violentia) *& negligentia eversa erant.* Repetit hoc imperium Scythicum in Asia Herodotus, etiam in sua Melpomene. *i.*

IV. *Diodorus* Siculus, annis ante natum Christ. circiter 58. hæc de Scytharum initiis, antiquitate & incrementis, inter alia scri-

b. Herod. in Clio, p. 22. 23. Gr. ed. Bas. 1541. al. ed. c. 104. & 105. *i.* Sub initium.

pto consignavit: *k*. Περὶ δὲ τῶν Σκυθῶν τῶν οἰκούντων τὴν ὅμορον χώραν, ἐν μέρει διέξιμεν. οὗτοι γὰρ τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ὀλίγην ἐνέμοντο χώραν, ὕστερον δὲ κατ' ὀλίγον αὐξηθέντες, διὰ τὰς ἀλκὰς καὶ τὴν ἀνδρείαν, πολλὴν μὲν κατεκτήσαντο χώραν, τὸ δὲ ἔθνος εἰς μεγάλην ἡγεμονίαν καὶ δόξαν προήγαγον. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον παρὰ τὸν ἀράξην ποταμὸν ὀλίγοι κατῴκουν παντελῶς, καὶ διὰ τὴν ἀδοξίαν καταφρονούμενοι. ἕνα δὲ τῶν ἀρχαίων ἔχοντες βασιλέα φιλοπόλεμον, καὶ διαφέροντα στρατηγίᾳ, προσεκτήσαντο χώραν, τῆς μὲν ὀρεινῆς ἕως πρὸς τὸν καύκασον, τῆς δὲ πεδινῆς τὰ παρὰ τὸν ὠκεανὸν καὶ τὴν μαιῶτιν λίμνην, καὶ τὴν ἄλλην χώραν ἕως ταναΐδος ποταμοῦ. h. e. *De Scythis autem habitantibus finitimam* Indis *regionem, ex parte dicendum. Hi enim primitùs parvam regionem possidebant; deinde paulatim per vires & virtutem aucti, regiones quidem multas subegerunt, Gentem verò ipsam* (Scythicam) *in magnum imperium & gloriam sublimarunt. Primùm itaque juxtà Araxen fluvium, pauci omnino, & propter ignobilitatem contempti, habitabant: nacti autem quendam ex antiquis Regem, bellicosum, & militari virtute præcipuum, Regionem acquisiverunt, montanam quidem usque ad Caucasum, campestrem vero usque ad Oceanum*

k. Diod. Bibliot. Lib. 2. pag. 89. ed. Gr. Hebr. Steph. & ed. Han. p. 126. 127.

num & Mæotida paludem, aliaque loca, ad Tanaim usque flumen. Idem cum *Diodoro* sentit *Herodotus*, ‡ de primis Scytharum ad *Araxen* sedibus. At sciendum est, apud utrumque, non Persiæ, sed Armeniæ *Araxen*, intelligi.

V. Mox tactâ obiter fabulâ putidâ, de Origine Scytharum è Virgine, desuper ad umbilicum homine, infernè autem viperâ, (quam nec ipse ut sibi approbatam refert,) & quod Regiones *ultra Tanaim*, & inde, *ad Thraciam usque sibi subjecerint*, sic pro porro pergit Diodorus: ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη στρατεύσαντας, διατεῖναι τῇ δυνάμει μέχρι τοῦ κατ' αἴγυπτον νείλου &c. *Versis autem ad alteram partem armis, potentia* (suâ) *extensi sunt usque ad Nilum Ægypti*; † *redactisque multis & magnis Nationibus hîc intermediis in potestatem, protenderunt imperium Scytharum, illic quidem ad Orientis Oceanum, hinc autem ad Caspium mare, paludemque Mæotidem. Aucta enim est valde hæc Natio, habuitque Reges* † *memoriâ dignos*, * *à quibus quidem partim Sacæ cognominati sunt, partim Massagetæ; aliqui autem Arimaspi, & his similes alii multi. Sub his Regibus, ex Provinciis à se bello subactis, multæ quidem & aliæ coloniæ deductæ sunt, sed duæ* earum *maxi-*

 mæ;

‡ Lib. 4. c. 11. † πολλὰ δὲ καὶ μεγάλα τῶν ἀνὰ μέσον τούτων ἐθνῶν καταδουλωσαμένους. † ἀξιολόγους. * ἀφ' ὧν τοὺς μὲν Σάκας προσαγορευθῆναι, τοὺς δὲ μασσαγέτας, τινὰς δὲ Ἀριμασποὺς, καὶ τούτοις ὁμοίους ἄλλους πλείονας.

ma; una ex Assyriis, inter Paphlagoniam & Pontum posita; altera ex Medis, ponè Tanaim flumen, cujus populum Sauromatas appellarunt. Paucis interjectis, progreditur deinde ad mulieres Amazonas. *Post hæc* (inquit) † *Principatu deficiente in Scythia, regnarunt mulieres robore præclaræ. In his Gentibus exercentur fœminæ ad bellum similiter ac viri, viris nihilo virtute inferiores. Quapropter etiam mulierum illustrium multa & magna acta, gesta sunt, non solùm in Scythia, sed & vicinis ei locis.* Paulo post. *Adeo autem Amazonum vires claruere, ut non solùm vicinas gentes, sed magnam etiam Europæ Asiæque partem subegerint. ---- Penes Thermodonta fluvium primùm gens Amazonum fuit; quæ viris similes, bellicis artibus, viribusque corporis præstabant. Earum Regina exercitû Mulierum* ‡ *coacto, exercuisse traditur eas militari disciplina, ac nonnullas ex vicinis gentibus expugnasse.* Quod subjicitur ibidem, *Viros ad texturam, muliebriaque* deputavit *exercitia*, Reginà Amazonum; intellige de viris tantùm quibusdam, nempe imbellibus. Addit. *Maribus, * qui ex eis nascebantur, crura ac brachia debita-*

† ἀναρχίας γνομένης ‡ Hoc, meram esse fabulam, si sine viris mulieres intelligantur, rectè olim etiam Gentilium eruditi animadverterunt. Sed intellige simul cum viris; & quidem viros majori numero. * Hanc crudelitatem Amazonum, ignorare se fatetur *Hippocrates*, an vera sit nec ne. Ego non dubito merum hoc esse figmenrum. Nisi fortè quædam rariùs, bestias sævitie superantes, ausæ

bitabant, quo bello inutiles fierent. Fœminabus dexteram inurebant mammam, † ne pugnæ essent impedimento; ex quo & Amazonum eis est inditum nomen. Item. *Regina* (Amazonum) *urbem præclaram, ‡ in ostiis Thermodontis, quam appellavit, Themiscyram, inque ea, Regiam insignem, condidit.* Hæc Diodorus.

VI. Harum Amazonum reliquiæ, adhuc supererant tempore Platonis, hoc est, annis circiter 380. ante natum Christum, satis virtute bellandi celebres. *l. Nostris etiam* (inquit) *temporibus, novi circa Pontum innumeras esse mulierum myriadas, Sauromatidas dictas, quibus non equorum modo, sed & arcuum & reliquorum armorum communis cum viris exercitatio sit instituta.* Hoc testimonium ipsâ tanti Philosophi experientia suffultum, prohibet nos, ne meram penitùs fabulam putemus, omnem de Amazonibus illis narrationem. † Fabulosa in his, judiciosus lector facilè discernet ab illis, quæ seria potuerunt esse. Similiter Hippocra-

στοργῆς penitùs oblitæ, id præter morem reliquarum fecissent. † Putidum, hoc mendacium infrà sub finem Libelli, penitus evertemus. ‡ περὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ θερμώδοντος. *l.* Plat. de Legib. 7. pag. 634. edit. Lugd. 1590. τὰ δὲ νῦν &c. οἶδα ὅτι μυριάδες ἀναρίθμητοι γυναικῶν τῶν περὶ τὸν πόντον. &c. † Vide quanti sit hoc testimonium, etiam erudito Bochart. Geogr. Sac. Part. I. Lib. 3 c. 13. Item, Consule Dissertation. eruditam, P. *Petiti* de Amazonibus.

tes, annis circiter 434.† ante natum Christum, hæc de illis tradidit: *m. Horum* (nempe Scytharum,) *mulieres equitant, & arcû utuntur, & jaculantur ex equis, & cum hostibus congrediuntur, quamdiu sunt virgines, neque viris copulantur, priusquam tres ex hostibus confecerint.* Item. *Dextram autem mammam non habent; Puellis enim adhuc infantibus, matres aneum instrumentum in hunc usum paratum, igne candefacientes, dextram mammæ applicant, & exuritur.* Non tamen omnes veteres, in hac ratione & origine nominis *Amazon* convenerunt. Nam eruditus & vetus *Scholiastes* in Æschylum, (memorantem quidem Amazonas, ut virorum adversatrices, sed non ut mammas, exurentes,) hæc de Etymo vocis *Amazon*, scribit: *n.* λέγονται δὲ Ἀμαζόνες, ἢ ὅτι μαζοῖς καὶ ἄρτοις οὐκ ἐχρῶντο, ἢ ὅτι ἔκαιον τοὺς μαζοὺς, ἢ ὅτι οὐδ' ὅλως εἶχον μαζοὺς, ἢ ὅτι μαζὸν οὐκ ἐθήλαζον, ἀλλὰ φορβάδων γάλα ἤσθιον, οὖσαι νεογνοί. *Dicuntur autem Amazones, vel quia mammis & panibus non utebantur, vel quia penitus neque habebant mammas, vel quia mammam non suxerunt, sed lac equarum comederunt, existentes tenellæ.* (Ob iteratam mammarum hîc mentionem, conjicit Clar. D. *Perizonius*, priori loco pro μαζοῖς legendum esse μάζαις, *placen-*

† Hæc ætas colligitur ex Plinio. Al. 494. *m.* Hippocr. de Aërib. locis & Aquis, cap. 30. pag. 439. edit. Colon. 1590. *n.* Ad vers. 722. in Prometh. Vinct.

centulis; quod è privatis cum eo colloquiis accepi.) De conjugiis autem *Herodotus*, (tacens de exustis mammis,) non determinat numerum interficiendorum ab ipsis hostium, antequam nubant, sed hæc solùm scribit. *o.* *Quod ad conjugia pertinet, ita est ab eis institutum, nulla virgo nubit, priusquam aliquem hostium interemerit; ideoque nonnullæ earum decedunt, jam vetulæ, antequam nubant, quod legi satisfacere nequeant.* Hæc de gestis & robore veterum Scytharum, sufficiant.

VII. Quàm late autem patuerit Scythia, quæ partim est *Asiatica*, partim *Europæa*, partim intra, partim extra *Imaum* montem, apparet ei, qui Herodotum, Diodorum, Strabonem, & præcipue Ptolomæum, de vastissimo hoc Terrarum tractu legerit. Quia vero per Dei gratiam habemus nostris jam temporibus, præsertim duobus his seculis, Geographos tùm in veteribus versatissimos, tùm nova experientia claros, ideo compendii ergo, non à longe petam totius terminos Scythiæ, sed verbis unius, seculi hujus Geographi celeberrimi, *Cluverii* nimirùm, illos describam. Sic autem ille hac de re scribit. *p.* *Terminatur Scythia Europæa, ab occasu* † *Patisso flumine, ab Septen-*

o. Herod. in Melpom. *p.* Cluv. Introd. Geogr. Lib. 4. c. 17. † Tibiscus aliàs, fluvius notissimus in Hungaria. Nec miretur quispiam, quod *Cluverius* sequendo veteres, eo usque Scythiam extendat.

ptentrione linea à Patissi fontibus per Amadocam paludem, (quæ est in Litvania,) ad Borysthenis fonteis, atque inde alia linea ad Tanais ortus ductâ: ab ortu, ipso Tanai & Ponto Euxino; à Meridie Istro, & ubi is ad Nicopolim inflectitur, recta linea ab occasu in Orientem ad Pontum ducta. Totum hoc Terrarum, variis gentibus ac populis distinguitur; quorum clarissimi, præter Troglodytas in inferiore Mœsia commemoratos, Daci; quorum regionem nunc tenent Moldavi, Valachi, Transylvani, & Hungarorum pars inter Patissum amnem & Transylvaniam; Getæ, quos ad utramque Istri ripam in Mœsiam & Daciam extendi ante diximus; nunc Bulgarorum & Moldavorum pars: Tyragetæ & Arpii inter Tyram flumen & Istrum: nunc inferior Moldaviæ pars Ponto objacens: inter Tyram & Hypanim amneis, Carpiani, Callipides, Istrici, Axiaces, & Jazyges Enoecadlæ, quorum omnium solum nunc Podolia: Bastarnæ, iidem & Peucini; quorum pars una in Germania, pars altera in Scythia Europæa: nunc Russia minor, seu Nigra: Borysthenitæ, inferior Lithvania pars versus Pontum: Neuri, ad Borythenis fonteis: inde Geloni, Thussagetæ, Budini, & Agathyrsi, in Moscovia inter Borythenis fonteis,

&

Nam Strabo scribit, olim ante sua tempora, Nationes notas versùs Septentrionem, ab illis qui in Græcia & alibi longùs remoti habitabant, Scythas, vel Nomadas fuisse in genere dictos. Vid. Strab. Geogr. Lib. 1. p. 22. juxt. ed. Casaub. An. 1587. Et confer Ortelii Thesaur. seu Lexicon Geograp. in voce *Scythæ*.

& Tartariam minorem; *Alani ac Roxolani in Moscovia, ad sinistram Donetz, id est, minoris Tanais ripam: Hamaxobii sive Hamaxobitæ, ad Gerrhi fluminis fonteis in Tartaria minore: Georgi*, (h.e. agricolæ,) *Nomades, Basilides, & Tauroscythæ, sive Scythotauri, itidem in Tartaria Minori. Tauri sive Taurici, qui Tauricam sive Scythicam Chersonesum incoluerunt: in his Bosphorani, utrinque Bosphorum Cimmerium accolentes: Jazyges Mœotæ, juxta Mœotim paludem ad Tanaim usque protensi: Arimaspi & Essedones ac Tanaitæ ipso Tanais flexu cincti.* Hæc de Scythia Europæa ejusque populis.

VIII. De Asiatica autem Scythia sic scribit: q. *Scythia Asiatica, fines habet ab occasu eosdem quos ipsa Asia atque Europa*; (h. e. Europæ & Asiæ limites intermedios, Tanaim videlicet, & Pontum Euxinum, intelligit,) *ab Septemtrione mare Scythicum, sive concretum ad Tabin usque promontorium, ab Ortu mare Eoum & Auxatios Casiosque montes, quibus à Serica, hodie Cataja Regno*, (quod magnus Tartarorum Cham possidet) *disterminatur: & Ottorocoram montem, quô â Sinis, sive Chinensibus discernitur: à Meridie Emodos montes, quibus ab Indiis; & Sagdia Oxiaque juga, quibus à Persarum submovetur imperio; dein Mare Caspium*, † *mox Caucasum montem*, *quo-*

q. Lib. 5. c. 2. † Hi termini Austro-occidentales dicendi potius sunt Scythiæ, quàm directè Australes.

quo ab Albania; *& Coracem*, *quo ab Iberia & Colchide*, (& Armenia,) *separatur*: *Complectitur autem hodie*, *totum Tartariæ Asiaticæ nomen*, *si Regnum Cataiæ excipias*, *quod Seres populi olim tenuere*; *& Zagataiæ partem nomine Ocrage*, *quam Sogdii*. *Divisa fuit in Sarmatiam Asiaticam*, *Scythiam intra Imaum montem*, *& Scythiam extra Imaum montem*. De parte Scythiæ Asiaticæ, quæ Sarmatia Asiatica dicitur hæc tradit: r. *Sarmatarum Asiaticorum regio*, *includitur fluminibus Tanai & Rha*, *sive Volga*, *mari Hyrcano Ponticoque*, *& montibus Corace Caucasoque*. *Nunc Tartari Czerkassi eas Terras tenent*. *Populi in ea à veteribus Geographis recensentur innumeri*; *at clari Turcæ*, *sive Turci*, *qui Turcicum condiderunt imperium*. *Præterea Amazonum* ‡ *muliebre genus*, *omnium clarissimum*. De Scythia intra & extra Imaum, ipsemet Geographorum Antesignanus Claudius *Ptolomæus*, hæc habet: *s*. *Scythia intra Imaum montem terminatur ab occasu Sarmatia Asiatica*. *A Septentrionibus terra incognita*. (Jam nunc scitur, quod mari Scythico, seu septentrionali terminatur.) *Ab Oriente vero Imao monte*, *ad Septentrionem vergente*, *secundùm meridianam ferè*

r. Ibid. ‡ Jam suprà dictum est, quod hæ mulieres primùm juxta Thermodontem fluvium (in Cappadocia,) fuere; cum & Scythæ primùm juxta *Araxem* fluvium consederint. Inde penetrarunt in Interiores ac superiores partes Scythæ. *s*. Ptolom. Geogr. Lib. 6. c. 14.

mè lineam. * -- *A Meridie ac etiam Oriente Sacis quidem & Sogdianis, & Margiana, usque ad Ostia Oxi amnis, in Hyrcanum mare exeuntis, ac inde etiam parte Hyrcani maris, ad Rha usque amnem.* Et capite sequenti. *s. Extra montem Imaum* (inquit) *Scythia interiori & Sacis, juxta totam montium* (Imai) *diversionem ad arctos. A Septentrionibus terra incognita.* (Hodie scitur jam, quod mari.) *Ab Oriente Serica, secundum lineam rectam, cujus fines gradus habent,*

150. (long.) 63. (latitud.)
& 160. 35. †

A meridie vero parte India, quæ extra Gangem est fluvium, juxta lineam æquidistantem. - Jacet autem in hac parte occidentalis Auxaciorum montium pars, cujus fines, (gr.)

149. (long.) 49. (latitud)
& 165. 55. ‡

IX. Sic

* Apponit hìc grad. longit. 140. & latitud. 63. usque ad terram, quam vocat in cognitam. Ubi Latin. interpres correxit lat. per gr. 62. nam apud Ptolom. habentur, grad. ξγ. h. e. 63. s. Cap. 15. Lib. 6.
† Ita secundùm correctionem eruditissimi interpretis ac Geographi P. *Bertii:* at in Ptolomæo habetur λθ. 39. ‡ Hìc ubique correctum, juxta ac accuratiorem nostri ævi Geographiam. Nam Ptolom. habet, ρνγ. λς. & ρξβ. μδ. Hoc est. 153. (long.) 36. (lat.) & 162. (long.) 44. (lat.)

IX. Sic jam juxtà enumeratos hactenus Scythiæ universæ terminos, inveniemus distantiam *Patissi*, seu *Tibisci*, inde à *Tokaj*, ad paludis *Mæotidis* medium, milliar. Germanic. 206. † A medio vero Mæotidis, ad medium *Iuchoriæ* seu *Iubræ*, mill. Germ. circiter 340. Item à Tokaj, ad *Tanais* curvaturam, qua incipit se flectere versùs Mæotidem, (in vicinia loci *Tuia* in Globo,) milliar Germ. 313. Itidem à *Tokaj* ad extremos in Oriente terminos Scythiæ, nempe usque ad *Sericam*, seu Regnum Cataiæ, (versús confinium Sinensium,) Milliar. Germ. 871. Ab eodem loco Hungariæ, ad *Imai* Montium meditatem supra Olbium, è regione Iuchoriæ, milliar. Germ. 750. Rursùs à Tokaj, ad Septentrionale Mare Tartaricum, ad angulum, inter Bajdam & Novam Zemlam, mill. Germ. 540. Si vero tota ejus longitudo inde à Moesia, usque ad extremos inter Boream & Ortum terminos, desideretur, jam annotavit eam celebris Geographus Cluverius, in his verbis: *t. Scytharum* (inquit) *Gens omnium toto orbe vastissima, quippe ex Moesia inferiori, in Asiam ad Tabin usque promontorium, & fretum Anian, longitu-*

† Ad Hungarica hæc redigere, facile est. Nam quælibet quinque milliaria Germ. faciunt. 4. milliaria Hungarica, cum stadia 40. faciant Hungaricum milliare, & stad. 32. Germanicum. Sic ergo 206. Germ. mill. faciunt Hungaric. mill. 174. & 32. Stadia. *t.* Introd. Geogr. Lib. 4. c. 17.

gitudine terrarum, mill. Germ. mille amplius occupat. Item, à medio Mæotidis, uſque ad confinium Mediæ & Scythiæ, mill. Germ. 262. lineâ inter ortum & meridiem, ductâ. Item ab ejuſdem Mæotidis medio, ad Perſiam uſque (lineâ inter ortum & meridiem) mill. Germ. 300. Si quis porrò, uberiùs quàm hic recenſuimus, vult videre, velut in cumulo, multos & diverſi nominis populos, veteres Scythiæ incolas, inveniet in Theſauro Geographico Abrah. *Ortelii*, ex Herodoto, Plinio, Ptolomæo, aliiſque congeſtos. Hæc de latitudine veteris Scythiæ ex memoratis authoribus.

X. His tamen hoc unum addendum cenſeo; quòd ſi quis *Strabonem* & *Dionem* Caſſium, de incolis ad Danubium & ultrà Danubium, diligentiùs legerit, animadvertet, olim à quibuſdam, partem illam Hungariæ (ubi *Iazyges,*) quæ eſt inter Danubium & Tibiſcum, ad Scythici nominis ac generis partem pertinere potiùs quam aliorſum fuiſſe exiſtimatum; ad minimum ſaltem à Germania diſtinctam. Strabo enim ſic loquitur: † *Quid ſit ultra Germanos, & alios iis confines, ſive ii ſint Baſtarnæ, ſive alii interjecti, ſive Iazyges, ſive Roxolani. - non eſt facile dictû.* Hi autem omnes ſunt Scythici generis. Dion verò ſcribit: * *Dacos ex utraque*

B *parte*

† Strab. Geogr. Lib. 7. pag. 203. 204. edit. An. 1587. * Dion Caſſ. Rom. Hiſt. Lib. 51. pag. 527.

parte Danubii habitare. Ubi apparet, tam latè sumi ab eo *Dacorum* nomen, ut etiam *Iazyges* comprehendat.

XI. De varietate autem linguarum, veteris Scythiæ incolarum, ex *Herodoto* hîc annotandum duco; is dum describeret quosdam Scythas calvos & simos, ad septentrionem, quos *Sacros* vocat, aliàs *Argippeos* dictos, refert, quod dum *Scytharum* aliorum *nonnulli*, ad ipsos venirent, tanquam à quibus *doceri* vellent, *u. Septem interpretes, totidemque linguas* hunc in finem adhibuerint. Undę apparet, diversis etiam olim Scythas linguis usos fuisse. Et credendum, quod si forte septem fuerint præcipuæ ac nominatiores inter illos linguæ, aliæ tamen minoris famæ, multo plures etiam sine dubio exstiterunt. Unde non mirum, tam variarum linguarum populos, seculis deinde sequentibus, è Scythia, erupisse. Certè vel in sola Hungaria, præter dialectos quasdam, septem hoc & præterito seculo linguæ à se invicem diversissimæ, numerari poterant & adhunc possunt. Nempe, in umbilico, item ad ortum, & ad meridiem Hungariæ, *Hungarica* propriè sic dicta; vetus *Germanica*, seu *Gotica*, vel etiam Dacica: *Sclavonica*; (& hæc utraque in montosis præcipue partibus Hungariæ

ver-

edit. Henr. Steph. *u.* Herod. Lib. 4. in Melpom. Σκυθέων ἢ οἳ ἂν ἔλθωσι ἐς αὐτοὺς, δι' ἑπτὰ ἑρμηνέων καὶ δι' ἑπτὰ γλωσσέων διαπρήσσονται.

versus septentrionem; Sclavonica tamen in latere Occidentali Hungariæ, versus meridiem etiam extenditur.) *Walachica*, (quæ præcipuè in Transylvania abundat;) *Græca*; mercatorum ex Græcia, in Hungaria jam considentium; *Ciganorum*, seu *Zigarorum*, per totam Hungariam, per Civitates & Pagos, latè dispersorum, qui veterum Hamaxobiorum more, suas domos semper in currubus portant, exercentes artem fabrilem, & fortè ipsissimi posteri *Hamaxobiorum* Scytharum specialius sic dictorum; de quibus etiam intelligendum illud puto, quòd aliqui describunt Scythas, fuisse valde nigri seu fusci coloris, atque deformes: nam ceteroquin in aliis Scytharum reliquiis in Dacia & Pannonia, hoc nequaquam verificatur. Septima est *Turcarum*; quæ, præsertim antequam Deus illos repressisset, & horrende confudisset, copiosissima erat inter suos, per majorem Hungariæ partem. *Jazyges* vel *Cunos*, seorsim non numero; quia & ipsi Hungarico utuntur idiomate. Nec *Thraces* vel *Rutenos* quosdam in Hungaria sparsos; nam eorum linguæ, sunt Dialecti quædam Linguæ Sclavonicæ. Hæc velut in digressû, occasione diversitatis linguarum in veteri Scythia. Pergo ad Scytharum progenitores.

XII. Primum post diluvium, Scytharum progenitorem quod attinet; cum jam multi

alii, utpote Josephus Historicus, cum Judæis, S. Hieronymus, Theodoretus, ceterique præcesserint in asserendo, Magogum Japheti filium, esse Scythas; ac præter hanc authoritatem alia etiam mox dicenda, Japhetum hîc ut primum progenitorem suadeant; omninò in ea sum sententia, Scythas a Japheto per duos filios, *Gomer* & *Magog*, ac præcipuè per *Magog*, fuisse progenitos. Id suadet (1) vicinitas aliorum *Japheti* filiorum. Gen. 10. vers. 2. Post *Gomer* enim & *Magog* ponuntur, *Madaj*, h. e. Medi; *Iavan*, id est, Græci; *Thubal*, h. e. Populi versus Pontum Euxinum, præsertim Chalybes dicti in Tibarenia; x. *Mesech*, h. e. veteres Moschi inter Iberiam & Armeniam; à quibus sunt Moscovitæ: ultimus *Thiras*, hoc est Thraces. Atqui hi omnes populi fuere vicini, aliqui in hac, aliqui in alia plaga, veteribus Scythis. Conveniebat, ergô, ut etiam posteri *Gomer*, & *Magog* præcipuè, (utpote vicinioris ad *Madai*,) illis vicini fierent; hoc est partem Mundi, qui decursu temporum *Scythia* dicta est, occuparent. Ut nempe *Sem* præcipuè versus Syriam, Mesopotamiam, Arabiam & Chaldæam recessit; *Cham* autem Chananæam, Ægyptum, & alia ulterius loca una cum parte Babyloniæ & viciniarum ejus, occupavit; sic *Iaphet* partim ad Orientem, partim ad Septentrio-

x. Vid. Bochart. Phaleg. Lib. 3. c. 13.

trionem, & Occidentem Septentrionalem Montium Armeniæ *Ararat*, (in quibus Arca resedit,) in suis se posteris conferret. Summa etiam vicinitas modo dictorum montium *Ararat*, ad Scythiam veterem, id ipsum nobis suadet, quod hic assero. Imò ex Diodori Siculi & Herodoti testimonio, † clarum & hoc est, quòd Scythæ in suis primordiis juxta fluvium *Araxen*, in Armenia suas sedes habuerint; scilicet in Regione, arcæ consistenti, vicinissimâ: inde deinceps, dum *à Massagetis*, (h.e. ipsissimis suis cognatis Scythis ex eodem *Iapheto* ortis,) *bellô vexarentur*, ‡ in superiores *Scythiæ* partes, versus Pontum Euxinum, Paludem Mœtidem & Tanaim, recessere: sic nihilominus, ut inde iterum latius versus Australes partes, suum imperium dilatarint.

XIII. (2) Ipsi Gentiles quoque vetutissimâ suâ fabula, agnoscunt *Prometheum* fuisse Scytharum progenitorem. Cum enim eum tradiderint quidam in Caucaso, quidem vetustiores procul a Caucaso, in Scythia fuisse vinctum, seu illi loco † affixum; per hoc signi-

† Vid. suprà §. 4. ‡ Herodot. Lib. 4. c. 11.

† Vetus Æschyli *Scholiastes*, hanc cruciationem Promethei exponit Græcè, per, ἐσταυρώθη, quod significat, *crucifixus est*. In Not. in Promet. vinct. vers. 718. Ita etiam *Lucianus* in Prometheo. — ὑπὲρ τῆς φάραγγος ἀνεσταυρῶσθαι. *Super vallem* (seu barathrum) *cruci affigatur*, scil. Prometheus.

ſignificabat Diabolus qui in mythologis loquebatur, *Promethei* illius poſteros, ſuas ſedes habituros, miſerrimas in Scythia. Cui adjunge, quòd filius Promethei Deucalion, *Scytha* dicitur à Luciano, † ex ſententia ſuorum Ethnicorum. Si filius *Scytha* fuit, ergo & Pater. Imo quod amplius, jam annotarunt viri docti, ‡ ex quodam *Herodori* Libro de Vinculis Promethei, à Scholiaſte Apollonii citato, *Prometheum Scytharum Regem fuiſſe: qui cum res ad victum neceſſarias, propter continuas Aquilæ fluminis inundationes præbere non poſſet, ab illis vinctus ſit.* (Vides hic veſtigia, literalis etiam ſenſûs, de *Prometheo* in Scythia vincto.) Atqui ſcribunt apertè Græci, (retento Scripturæ vocabulo,) hunc Prometheum fuiſſe *Iapeti* filium; qui *Iapetus* Ethnicorum, non alter certe potuit eſſe, (ut recte jam doctiſſimi viri obſervarunt,) ſed ipſiſſimus *Iaphet*, Noachi filius in ſcripturis. Sic antiquiſſimus Poëtarum Græcorum *Heſiodus*, annis ante natum Chriſtum, 935. de hoc ſcriptum reliquit:

y. Κȣ́ρην ὁ Ἰαπετὸς καλλίσφυρον Ὠκεανίνην,
Ἠγάγετο Κλυμένην.

Ἡ δὲ

† Vid. Lucian. de Dea Syria. ‡ Ryckius Diſſert. de primis Ital. Coloniis. cap. 2. pag. 411. & Hump. Prid. Notis in Chron. Marmor p. 105.
y. Heſiod. Theogon. verſ. 507. 508. 509. 510.

Ἡ δὲ οἱ Ἄτλαντα κατερόφρονα γείνατο παῖδα.
Τίκτε δ' ὑπερκύδαντα Μενοίτιον, ἠδὲ Προμηθέα.

Puellam autem Iapetus pulchros † *talos habentem Oceaninen*
Duxit Clymenen.
Ipsa vero ei Athlantem magnanimum peperit filium.
Peperit præterea gloria præsignem Menoetium atque PROMETHEUM.

Et infra vocat eundem, *Iapetionidem* z. *Prometheum*, dum describit eum, non sine suo peccato, *vinculis*, jussû Jovis, *coërcitum* esse. Atque hinc, viri docti, *Salmasius* & *Bochartus*, existimant *Prometheum* Gentilium, ipsissimum fuisse *Magogum*, secundum nempe *Iapheti* filium. Ego verò dico, quòd & si proximus *Iapheti* filius non fuerit *Prometheus*, (nisi quis conjiciat duos fuisse hoc nomine olim à Gentibus vocatos; unum seniorem, qui esset *Magog*, alterum verò juniorem, ac utriusque gesta, ut in aliis factum ab Ethnicis, confusa esse in unum;) tamen ejus per *Magogum* nepos aliquis, v. gr. quintus ab eo, circa mediam ætatem Patriarchæ Josephi, potuit fieri,

† Verti etiam posset, *bonos* vel *decentes talos habentem*; ut significetur strenuitas mulieris. Sic nos dicimus aliquando *Sarkon forgododó aſz ſzony*; facilè se vertens in talis mulier; i. e. strenua. z. Vers. 614. 615. 616.

& per hoc, filius. Non esset hoc nimis laboriosum nobis docere, si longiorem calculum hic Libellus pateretur. Paucis tamen rem expediemus. Cum enim certò supponendum sit, ob Dei benedictionem, Gen. 9. vers. 1. Patres post diluvium Gen. 11. recensitos, non solum illis, qui designantur annis, sed & sequentibus aliquot, nec solum illos, qui nominantur, sed & plures genuisse liberos, (in iis enim qui nominantur, scopus erat Scripturæ genealogiam texere ad Christum,) certò etiam constet, *Semum* vixisse annos 600. *Heberum* autem (quartum à Semo) 430. attigisseque hunc ad minimum, annum Jacobi 19. num; neque etiam defuerit par, imo major vitæ longitudo † ac fœcunditas illo tempore, hominibus à segregato Dei peculio alienis, quàm erat Sanctorum excellentiorum; hinc facilè perspicimus, quamdiu & *Iaphetus* Semi frater, & quartus ab eo vivere, & quintus etiam aliquis ab eo, quando nasci, quamdiu hic vitam ducere, & num mediâ Josephi ætate florere, potuerit. Antiquitas certe *Promethei* apud Græcos Scriptores, hoc ultrò permittit & suadet. Nam *Deucalion* Scytha, filius *Promethei*, cujus temporibus magnum in Thessalia diluvium exstitisse scribitur, evasit diluvium, Athenasque profectus, anno ante natum Christum, 1528. ‡ hoc est, circa an-

† Job. 21. vers. 7. 8. ‡ Calculum Lyditati hic

annum ætat. Mosis 69. num; ut hoc facilè colligitur ex antiquissimo *Chronico Marmoreo* Græco, annis 263. ant. nat. Christ. erecto, nunc vero jam in ruderibus suis inter Marmora *a.* *Arundelliana* ceteraque, Oxonii reposito: idemque patet, ex Chronico Eusebii. Imò cum regnare primum Lycoriæ in Parnasso cœpisset, fuit id tempus, circiter *b.* annis 1573. ante natum Christum; ut etiam hoc perspicue ex eodem *marmoreo Chronico*, elicitur. Ipse verò Prometheus, Deucalionis progenitor, dicitur vixisse tempore † Triopæ Regis Argivorum; h. e. circiter annis 1795. ante natum Christum. Hæc velut in digressu de antiquitate Promethei. (3) Aperte vetus quidem Populus, *c.* *Chalybes* à copia & bonitate chalybis ejus terræ, & a cultura chalybis, denominati, Scytharum coloni vel a Scythis egressi, dicuntur apud Æschylum, *c.* poetam e numero vetustissimorum, post Hesiodum & Homerum. Atqui cum *Chalybes* sint à *Iapheto*, id manifeste arguit, quòd etiam Principales ipsorum, præsertim in

sequor. Not. in. Chronic. Marmor. *a.* Vid. Marm. Arund. & Oxon. edit. Oxon. pag. 159. *b.* Ibid. in Marm. † Tatian. Orat. contr. Græc. ‡ Tragœd. Septem contra Thebas, vers. 733. & 734. *ξένος δὲ κλήρους ἐπινωμᾷ χάλυβος Σκυθῶν ἄποικος.* *Advena verò sortes distribuit Chalybs, Scytharum colonus*, vel *Scythia egressus.*

in eadem vicinia, & in iisdem locis cum illis primum nati, ejusdem sunt cum iis originis. Quòd verò dicitur apud Strabonem, * *Chalybes* suo ævo *Chaldæos* fuisse dictos; hoc evenisse puto, propter commixtionem è vicinia, Chaldæorum, imprimis fabrorum, cum Chalybibus. Profliganda ergo est inepta illa & Scripturæ Sacræ contraria, Genealogia *Almi* & *Athilæ*, (relata a Bonfinio, ‡) quâ is ita dicitur descendisse a *Iapheto*, ut tamen etiam ad *Chamum* referatur, ac per hoc, Nepos magni *Nimrod*, vocetur. *Nimrodi* tamen eum nepotem fuisse, adhibita hac explicatione, forte admittere possumus: si nimirum statuamus, Athilam linea sexus fœminei antiquissima descendisse a *Cham*, sicque *Nimrodi* nepotem maternum fuisse. Poterat nempe aliquis è majoribus Scytharum, uxorem duxisse e *Chami* & *Nimrodi* prosapia, ac per hoc utriusque

*Strab. Georg. Lib. 12. pag. 378. ‡ Verba apud Bonfin. Dec. 1. Lib. 9. sub initium, hæc sunt: *Almus ex Elende.* &c. Deinde. *Attila ex Bendecuco, Bendecucus ex Turda &c. Boras ex Hunore; Hunor ex Nembrotho, Nembrothus ex Chuse; Chus ex Cham; Cham ex JAPHET; Japhet denique ex Noë natus est.* Quis ferat detestandum ejusmodi mendacium adversùs Scripturam? Scilicet *Cham ex Japhet*! Sic perbelli illi Scriptores, turpiter errare faciunt etiam alios simpliciores; qui cum Sripturam, ne vel obiter fortè aspiciunt, attamen audent ex Scripturis contra Scripturam mentiri.

que è posteris, *Attila* exstitisse. Poterant etiam alia viâ e *Chami* posteris ob vicinum in Assyria Nimrodum ejusque progeniem, Scythis se cum tempore immiscere, unusque cum iis populus fieri. Nam etiam e *Semi*, posteris aliquos, immixtos olim fuisse Scythis, alias in hoc Libello † dicenda demonstrant: manente interim principali origine Scytharum, a Japheto deducenda.

XIV. Porrò nomen Scytharum quod attinet; quando illud primò sit illis impositum, ex Scriptoribus nondum certò liquet. Satis tamen esse antiquum, testimonia vetustissima in hanc rem id ostendunt. *Herodotus*, eô nomine ita plane utitur, ut cujus primæ impositionis memoria eum latuerit. Nisi illud huc referamus, quô tradit, à quodam *Herculis* filio, nomine *Scytha*, ‡ Reges Scytharum progenitos esse. Ubi nota obiter, *Scythen* quendam *Iovis filium*, vocari a Plinio, * cui juxta quosdam *arcus* & *sagittæ* inventionem tribuit; qui idem videtur esse cum eo, quem Herculis filium dicit Herodotus. Ante Herodotum verò *Æschylus*, (annis ut jam dictum 490. ante natum Christum florens,) snbinde nomine illo utitur. Imo etiam *Hesiodum* (longe ante Æschylum, ut qui floruit, An. ant. nat. Christ. 935.) usum fuisse aliquan-

† Infra, cap. 9. & 10. ‡ Herod. Lib. 4. c. 10.
* Plin. Lib. 7. c. 56.

quando vocabulo illo, testatur Eratosthenes, (ante nat. Christ. circiter 238. annis,) & post eum Strabo (post Christ. an. circ. 20.) insignis Geographus, dum Scythas dicit vocari Σκύθας ἱππημολγοὺς, *Scythas c. equas mulgentes, vel equa-mulgas.* (Hungaricè, *Ló-fejö*; sed non *Ló-fejü.*) In hodiernis tamen quæ exstant *Hesiodi* operibus, nullibi quod sciam, mentio *Scytharum*, (h.e. vocabuli hujus,) occurrit; licet sæpe agat de rebus, quæ in Scythia credebantur olim contigisse. Quod argumento est illo adhuc tempore nimis novum illud vocabulum fuisse, ut etiam ex verbis ejus ab Eratosthene & Strabone citatis, paulo post integre producendis, colligere possumus. Sed eo magis arguitur novitas vocabuli illius, *Hesiodi* adhuc temporibus ex eo, quod *Homerus*, qui juxta Chronicon *Marmoreum d.*, annis aliquot floruit post Hesiodum, h. e. 907. circiter ante nat. Christ. nullibi in suis operibus, vocabuli hujus meminit; quamvis subinde meminerit Nationis illius, quæ demum Scythica dicta est, ut dudum jam Strabo aliique, in ipso notarunt. Non enim solum *Nomadum* & *Lactivororum*, (h. e. veterum Scytharum,) sed & *Amazonum* suis in operibus meminit; at sine vocabulo τῶν Σκυθῶν.

XV. No-

c. Strab. Georg. Lib. 7. pag. 208. ex edit. Casaub.
d. Vid. Marmora Arundell, edit. Oxon. An. 1676. pag. 166.

XV. Notationem ſeu Etymologiam nominis quod attinet; multi à Græca voce σκυθρὸς, eum qui *tetrico* & *triſti vultu* eſt, ſignificante, deducunt. Sed quiſque videt, hanc notationem minis coactam eſſe; hîc enim integra capitalis litera, ρ, ſine fundamento perit, alia vero, nempe ο, in η mutatur. Nulla certe hic eſt, congruentia, ut Σκύθης, à Σκυθρὸς veniat. Imo plane aliud docet verſus Heſiodi apud Strabonem; vocem nempe Σκύθης, non eſſe Græcæ originis. Propius prima fronte videntur accedere illi ad verum, qui à Germanico vocabulo, (ut hodie in inferiori Germania eo utuntur) *Schieten*, *jaculari* vel *ſagittâ petere*, derivant; eo quod fuerint Scythæ (ut notum,) artis jaculandi peritiſſimi. Sed propinquior adhuc origo quærenda eſt, quæ magis potuit derivari ad Græcos, & inter eos uſu roborari, quam ſi a remotioribus Germanis vel etiam Gothis eam accipiſſent. Ex verſu unico *Heſiodi*, ab Eratoſthene, & poſt hunc a Strabone citato, non parva lux huic dubio affulget. Sic enim ſonat ille verſus.

e. Αἰθίοπας τὲ Λιγυςὶ δὲ Σκύθας ἱππημολγὺς.

Æthiopeſque, *Ligyſticè autem Scythas equas mulgentes.* (ſcil. dictos, vel quid ſimile.) Latinus interpres † non aſſecutus mentem authoris, eo quod unicus tantum hic verſus in hoc

paſ-

e. Apud Strab. Lib. citat. (7) pag. 208. ed. An. 1587. † Xylander.

passu adducitur, sub nomine *Hesiodi*, isque quoad sensum pleniorem, ab aliis a Poëta circumpositis ei versibus hodie non exstantibus, pendeat, ideo maluit hunc versum sine translatione, in textu Græco relinquere, quam dicere aliquid, quod nec ipse intellexisset. Verum ut sonat Græcus textus, nil dubitavi, ita genuine vertendum esse Latine, uti verti; indeque germanum eruendum sensum & scopum authoris, quantum paucitas vocum sine vinculo verbali junctarum, patitur. Dico ergo, scopum in his Poëtæ esse, dicere de Natione quadam, quæ gemino suo tempore nomine vocabatur. Uno communori & notiori (Athiopum nempe) apud Hesiodum & ejus populares suo ævo: altero, nempe Scytharum, peculari apud certam Nationem, nempe *Ligysticam*, ejusdem adhuc seculo. Nemo autem mirabitur si quis veteres legat authores, Scythas aliquos olim dictos fuisse *Æthiopes*. Non enim locum in Africa, nec proprie dictos hodiernorum Æthiopum majores per hoc designabant; sed solummodo nigredinem faciei in quibusdam Scythis, nempe Australibus, & ferrariam artem, versus Armeniam in regione Chalybum exercentibus, & per hoc similitudinem habentibus externam quodammodo cum Æthiopibus, hac denominatione alienæ Nationes, exprimebant. Ipsorum autem nomen intra suum po-

populum, nequaquam illud fuit; cum illud ludibrii caula eis sit impositum. Sic accipitur *Æthiops* in illo Hieronymi dicto (a doctissimo Bocharto jam notato,) de Matthia Apostolo: *f. In altera Æthiopia, ubi est irruptio Apsari & Hyssi portus, prædicavit Euangelium.* Ubi Sophronius vertens in Græcum verba Hieronymi, pariter habet. Ἐν τῇ δευτέρᾳ Αἰθιοπίᾳ. Ad quæ verba, recte subjungit eruditiss. *Bochartus, id est in Colchide.* Atqui ut patet ex verbis *Pindari*, ejusque Scholiastæ Græci expositione, a *Bocharto* ibidem productis in medium, & proprio ejusdem adjecto calculo, *Colchis*, olim intra ambitum populorum Scytharum nomine vocatorum, comprehendebatur. Non patitur studium brevitatis in hoc libello, omnia testimonia huc spectantia hic subjicere. Sed si quis ea, pro hac re congesta videre vult, consulat Bochartum *g.* Hoc certum est etiam ex Herodoto *h.*, quod is dum distincte enarraret Gentes, quæ erant in expeditione Xerxis adversus Græcos; ad Æthiopes veniendo, triplices eos recenset. Primi generis vocat *Æthiopes ultra Ægyptum.* Secundi generis vocat, *Æthiopes ad ortum solis*, in eadem acie cum Indis ordinatos: (quos utrosque, ab Arabibus distinguit.) Tertios appellat *Æthiopes* (ἐκ τῆς Ἀσίης) *Asiaticos*: qui

f. Bochart. Phaleg. lib. 4. c. 31. *g.* Loc. cit.
h. Herod. lib. 7. in Polymnia.

qui ut ex descriptione patet, eandem terram inhabitabant, quam vetustissimis temporibus Chalybes & alii Scythæ circa Armeniam, & partim in Armenia. Hæc de prima versus Hesiodiani voce.

XVI. Habemus ergo hic primò, Scythas, quosdam olim, (nondum invalescente hoc communiori nomine,) vocatos fuisse ab exteris, *Æthiopas.* Secundo habemus & hoc quod iidem a quibusdam, lingua *Ligystica* vocabantur jam tempore Hesiodi, *Scythæ.* Ut origo vocis clarior fiat, videndum qui nam, per (Λιγυας) *Ligyes*, apud Hesiodum intelligantur. Ego intelligo, *Ligurum*, qui sunt in Italia, majores Asiaticos. Fuisse autem olim *Ligures*, in Asia, [ita enim Græcum illud, Λίγυες, (quo etiam Itali *Ligures* efferuntur,) usu obtinet apud Latinos,] apparet ex perspicuo *Herodoti* testimonio. Qui cum Nationes Asiaticas in Xerxis expeditione enumeraret, *Ligyes*, (h. e. Λίγυας,) inter Paphlagonas & Syros recenset. i. Λίγυες δὲ κ Ματιηνοὶ, κ Μαρυανδηνοί τε, κ Σύροι τὴν αὐτὴν [σκευὴν] ἔχοντες παφλαγόσι, ἐστρατεύοντο. *Ligyes autem & Matieni, & Maryandeni & Syri, eandem* (armaturam) *habentes cum Paphlagonibus, militabant.* Ubi vox ipsissima est, (in singulari, Λίγυς,) quæ apud Hesiodum, quo nomine etiam *Ligures* Itali

i. In Polymnia lib. 7.

Itali à Græcis indigitantur; nisi quod Hesiodus adverbialiter usurpat vocem; λιγυςὶ enim significat, *Ligystice*, sicut Ἑλληνιςὶ *Hellenicè*, seu Græcè. Herodotus autem, ut res postulabat, nominaliter ponit. Fuerunt ergo hi *Ligyes* ab Hesiodo insinuati, vicini Syris, Paphlagonibus, Armenis; ideoque linguam etiam illis vicinam habuisse censendi sunt; cum non adventitius aliquis populus, hi inter illos fuerint. Nec dubitemus vocabulum prædictum, aliquibus Asiaticis domesticum fuisse; cum τὸ *Scythes* vel *Scythis*, etiam Lydi teste *Plinio*, †. ut domesticum usurpaverint. Sic igitur jam origo vocis investiganda.

XVII. Σκύθης, si radicales duæ initiales literæ spectentur, venit ab Hebraico סכך *Sacac*, Texit, protexit, operuit. Unde סכה (Sycca,) *Tugurium*, *Tabernaculum*; & in plurali סֻכּוֹת / (Syccoth,) Tuguria. Item, סִכּוּת/ (Siccuth,) & Hebr. & Chald. itidem, *Tugurium*, *Tabernaculum*. Et סכתא (Siccetha,) Chald. *Clavus*, *Paxillus*. Hinc jam Natio illa vetus Ligystica, conformando peculiari suo loquendi modo, vocem originalem, (quod infrà de nostra Lingua, in multis vocibus, perspicuè patebit,) ex *Sycca* vel *Siccuth*, potuit simplici *Caph* dicere *Scuth*, vel *Scyth*, sive potius cum *k*, *Skuth* vel *Skyth*, abjectâ priori vocali

† Lib. 7. c. 56.

brevi, ſive *Kibbütz.*, ſive *Chirek* parvo, & duabus conſonantibus concurrentibus in una vocali, ut ſæpe fit in linguis multis extra Hebræam & ejus cognatas propiores; quod ſignificaret ipſi, *opertorium* aliquod. (Unde fluxit etiam ad Latinos *ſcutum*, quod Itali hodie *ſcudo* dicunt; eò quod tegat & protegat hominem, contra tela & alia belli nocumenta. Inde etiam derivari puto Græcum *σκύτος*, *corium*, *pellis*, *cutis*, eo quod, tegat aliquid.) Additâ autem quadam ſyllaba in fine, (uti à Græcis acceptum habemus *ης*, ut inde fieret *Scythes*,) poterant tanquam epitheto aliquo deſcribere illos, quibus valde in uſu eſſet habitare in tuguriis vel tentoriis. Sic nos Hungari, dicimus conſidendi vel aſſidendi locum *Szék*; (non certè à ſedendo; nam *τὸ ſedeo*, longè aliter exprimimus, nempe per *ülök*, ſed ab ipſiſſimo Hebraico סכך *Sakak*, unde *Sek* vel *Sak*, cum leni ſibilo ſ Samech, (ceu cum *z*,) olim noſtris, quaſi *tectorium*, & ſimul *requietorium*; vocales enim *a* & *e*, apud Orientales ut notum Philologis, facile inter ſe permutantur; quam derivationem etiam Origo Sedium Siculicalium, vulgo *Szék-Helly* dictarum in Tranſylvania, quòd tentoria olim caſtrenſium, illic ſubinde figerentur, facile mihi comprobaret, ſi in ea deſcribenda & ventilanda immorari poſſem;) dicimus inquam *Szék* ſubſtantive; at ubi addimus Syllabam in fine *es*, illico,

illico fit, adjectivum *Székes*; (quasi cathedrosum;) Civitatem, vel locum, consessui vel residentiæ destinatum, significans; ut *Székes* Fejer vár, *Alba Regalis*. Quod credo manasse à stationibus, seu tentoriorum fixionibus, veterum Hungarorum subinde militantum.

XVIII. Jam applicemus supra dictam notationem, veteribus Scythis. Constat de illis, quòd potiùs in Tuguriis habitaverint, quam in domibus; eò quod continuo ferè bella gerere solebant; ideo saltem de maxima parte illorum, non solùm qui dicebantur *hamaxobii*, in curru viventes, sed & aliorum ejusdem nominis, facile nobis veterum scripta persuadebunt, illos plus in tuguriis ac tentoriis, quam in domibus habitasse. Sic enim de illis Herodotus, postquam communem eorum, mentionem præmisisset, aperte scripsit: *k*: Τοῖσι μήτε τείχεα, ἢ ἐκτισμένα, ἀλλὰ φερέοικοι ἐόντες πάντες, ἔωσι ἱπποτοξόται.

k. In Meldom. Lib. 4. Pag. 123. edit. Græc. Bas. Consentit huic Æschylus, (de multis, saltem Scytis.) in Prometh. vinct. vers. 708. 709. & 710. Σκύθας δ' ἀφίξῃ νομάδας, οἳ πλεκτὰς στέγας πεδάρσιοι, ἐπὶ εὐκύκλοις ὄχοις &c. *Accedes verò ad Scythas Nomadas, qui casas vitiles, incolunt sublimes super rotundis curribus, arcubus longe jaculantibus instructi.* Item *Trogus* apud Justin. Hist. Lib. 2. c. 2. *Nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas Solitudines errare solitis.*

His neque Urbes, neque ædificia sunt, sed omnes domorum suarum portatores existentes, sunt equestres sagittarii. Quod ut dixi, de maxima parte illorum intelligendum est, etiamsi universalitatis notam addat. Nam ipsemet refert, exstitisse inter illos etiam *agricultura* deditos. Subjicit ibidem. *Quidni, imbelles alioqui futuri, & ad dimicandum inhabiles?* Si scilicet, ædificia studiose curassent. Ex his patet jam, quàm convenienti ratione poterant hi dici Σκύθαι, Scythæ, a radice Hebraica, quasi *tentoriosi*, vel *tuguriosi*, eo quod potiùs in tuguriis, vel tentoriis habitabant, quàm in ædificiis bene roboratis. Atque hinc dicti etiam sunt olim Nomades, (saltem multi illorum,) quod campestrem vitam, ac sine fixa statione viverent. Poteram hîc addere aliquid etiam de armatura veterum Colchorum, *l.* partis Scythicæ Nationis; (qui primi cum Chalybibus denominati fuere Æthiopes & Scythæ, à quibus ad reliquos etiam hoc posterius nomen communiter dimanavit;) qualiter nimirum illi in bello se tegebant, † *scutulis e crudo bovis tergore*; sed priorem rationem existimo dedisse hanc nomenclaturam Scythicæ Nationi.

XIX. Juvat autem nostram illam *Scythici* nominis originem, occasione testimonii *Hesiodiani*, à סכך (à *tegendo*) deductam, testimo-

l. Vid. Herod. Lib. 7. in polymnia. † Græc. ασπίδας ὠμεβοίνας μικρὰς.

monium Josephi de prædicta Scytharum denominatione; qui simul docet nos suis verbis, non penitus incognitum fuisse ipsis quoque Scythis olim, suum illud nomen de vera ejusdem origine, illis præsertim, qui viciniores Syris habitabant. Quod facile credere possumus, cum jam innuimus supra & ostendimus, nostram quoque vocem *Szék*, (unde loca castrorum *Szék* helly,) in cognata significatione, ab eodem verbo סכך habere originem. Sed Josephum audiamus sic scribentem: †. Μαγώγης δὲ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ Μαγώγας ὀνομασθέντας ᾤκησε, Σκύθας δὲ ὑπ' αὐτῶν προσαγορευομένους. *Magoges autem* (seu *Magog*,) *MAGOGARUM à se denominatorum fuit author, qui ab ipsis vocantur SCYTHÆ*. Habemus in his, (1) quod Magogi posteri, h. e. Scythici populi, dicti sunt olim Judæis, lingua eorum, ab ipso progenitore, *Magog* in singulari, & *Magoga* in plurali, (terminatione tamen plurali, ad Hebrææ Grammaticæ leges flexa;) sicut & Syris Judæorum vicinis, eodem nomine appellabantur. Teste enim Plinio, Syri Urbem ‡. *Hierapolim* vocabant *Magog*; eo quod esset Scythicæ in Syriam expeditionis monumentum; sive adhuc tempore Deucalionis, qui dicitur illic Templum Deæ Syriæ consecrasse, sive citerius factæ; qua de

†. Joseph. Antiquit. Lib. 1. c. 7. ‡. Plin. Lib. 5. 23.

re poteſt videri mens celeberrimi *. Bocharti. (2.) Habemus, quod eosdem *Magogas*, Magogi poſteri, (h. e. ipſi ſe ipſos,) vocaverint *Scythas*. Quibus in verbis non obſcure innuit Joſephus, id Scythis nomen hoc (*Scythes*) ſignificaſſe, quod Judæis *Magog*. Eſt autem *Magog*, idem quod *de tecto*; ut jam dudum obſervavit S. Hieronymus. ‡ Atqui etiam *Scythes* juxta ante datam originem, idem ferme eſt. Qui enim *tentorioſus* eſt, ſeu *ſub tentoriis* habitans, is *de tecto* eſt hoc ſenſu, quod ſuum *tectum* ſecum portat, ac de ſub eo ſolet in medium prodire. Scire tamen hîc velim, quod licet hoc nomen antiquis Scythis, de ſua origine fuerit bene notum; non tamen id ipſi primum ſibi impoſuerunt; quod Heſiodus Joſepho †. multis ſeculis antiquior, nos docere poteſt: ſed ab aliis vicinis, v. gr. *Liguribus* Aſiaticis ſibi prius impoſitum, ſucceſſu temporis & ipſi approbarunt. Cum autem *Scythæ* univerſim etiam *Sacæ* *. vocati ſint olim à Perſis, (à proxima Sacarum gente Scythica,) illius quoque nominis origo, non aliam ſibi commodiorem requirit radicem, quam memoratum verbum סכך *texit*. Nec à *Kuthis* ſeu *Catajæ* incolis, cum erudito Hernio, ‡ no-

*. Geograph. Sacr. Part. I. Lib. I. c. 2. & Lib. 3. c. 13. ‡. Oper. Tom. 5. in Ezech. c. 38. †. Floruit Joſephus an. D. 70. & ſequent. uſque ad 93. *. Plin. Lib. 6. c. 17.

‡. nomen *Scytharum*, ſed illorum potius à nomine *Scythico*, per abjectionem *S*, in principio, deducendum eſſe, ſuperiora ſuadent. Ne vero & illud taceam; poſſet quiſpiam hic cogitare etiam, annon à שוט (Schut) *Circuire*, *diſcurrere*, (unde puto noſtrum *Siet*, feſtinat, venire,) originem trahat nomen *Scytharum*. Sed prior origo, congruentior videtur; præſertim habitâ ratione verborum Joſephi, & Ethymologiæ *Sacarum*: quam & lit. *x*, exigit.

XX. Sed videamus & illud, quod nam fuerit antiquiſſimis temporibus, verius Scytharum nomen. De hac re lucem nobis ſubminiſtrat Plinius, dum (An. D. 78.) ſic ſcribit: *m. Perſæ Scytharum populos Sacas in univerſum appellavere, à proxima Gente; ANTIQVI ARAMEOS.* Dicit in medio verborum, *à proxima Gente*: per quam ipſos Sacas, partem Scytharum, Perſis proximam, intelligit: Quos inter celeberrimos Scytharum, una cum Maſſagetis, primo loco ponit. Sed pergo ad præcipuum membrum. Habemus in ejus verbis, quod *antiqui* Scythas *Arameos*, h. e. Syros, appellavere. Id enim ſignificat *Arami* *n.* ex Hebræo, nempe Syrum. Hinc Strabo. *o.* Τοὺς Σύρους, -- νῦν Ἀραμαίους λέγουσι. *Syros-nunc Aramos dicunt.* Strabo hîc ab *Aram*, partim Regionis, *p.* partim Syrorum

‡. Horn. Præfat. in Orig. Gall. Boxhornii
m. Natur. Hiſt. Lib. 6. c. 17. *n.* Gen. 31. verſ. 34.
o. Geogr. Lib. 13. p. 431. *p.* Conſule Gen. 28. verſ. 1. 5.

q. progenitoris, nomine; Plinius autem, ab *Arami*, gentili denominatione, suum habet vocabulum. Sed & Strabo sub fin. Lib. 16. Syros tùm *Arimaos*, tùm *Arimos*, tùm *Aramaos*, vocatos fuisse scribit. Hæc autem denominatio Scytharum antiquissima, quod dicti sunt aliquando *Aramei*, (h.e. Syri,) gemina ex ratione provenit. Partim ex eo, quod primitus vicinissimi erant Syris, dum residerent ad fluvium *Araxem* in Armenia; partim quod in suis primordiis prope locum Arcæ quiescentis, plane mixti essent ad tempus *Arameis* ex Semo. Imo ipsa quoque Regio, in qua prius considebant, ea nempe, quæ subsequentibus seculis dicta est *Armenia* major & minor, non aliunde illam sortita est denominationem, quam (per levem vocis *Arami* vel *Aramija*, addito *nun*, mutationem,) ab eadem Natione & Regione, sub cujus latitudine olim comprehendebatur; hoc est, ab *Arameâ*, seu Syriaca.

XXI. Hæc ipsissima Regio *Aramea*, quà veteres *Scythas* intra se comprehendebat, intelligitur apud Hesiodum per locum, quem jam ante Homerum, ἐιν Ἀρίμοισιν *in Arimis*, situm esse docebat. *Arim* enim & *Aram*, utrumque easdem retinet radicales. Ut enim dialecti linguarum priùs sibi invicem viciniores,

q. Vid. Gen. 10. vers. 22. Conf. Gen. 22. vers. 21. ubi de altero ejusdem nominis est mentio.

res, paulatim ſeculis labentibus, magis ac magis ab incivem receſſerunt; ſic una dialectus potuit habere in uſu ſuo *Arim*, altera vetuſtius illud *Aram*, de una eademque regione. Vel etiam potuit nomen *Arim* eſſe ab Hebaico הרים (harim,) montibus; eo quod regio veterum Scytharum in Armenia & confiniis ejus, eſſet montoſa. Ubi enim quievit arca, & ubi vetuſtiſſimi Chalybes, Scytharum pars, degebant, conſtat Regionem illam eſſe valde montoſam. Intelligi autem in verbis Heſiodi regionem primorum Scytharum; ſatis apparet ex fabulæ quam illic tradit, excuſſione. Illa enim *Echidna*, Nympha inferne ſerpentina, quæ dicitur apud ipſum, à Typhaone concepiſſe, & peperiſſe tres perſonas, nempe duos filios, & unam filiam; a Græcis vetuſtiſſimis circa Pontum, paucis quibuſdam mutatis, & ut ſolet fieri in fabulis, etiam additis, in Scythia exſtitiſse, credebatur: ut patet ex *Herodoto*, *r.* atque ex parte, etiam ex *Diodoro* *ſ.* Siculo. Uterque fabulam ab aliis acceptam, ita refert, ut quoad rem, eadem *Echidna* fabuloſa eſse, palam fiat, cujus eſt mentio apud Heſiodum. Sed audiamus

C 5

r. Herod. in Melpom. Lib. 4. c. 9. 10.

ſ. Diod. Bibl. Lib. 3. c. 11. Eandem fabulam aliqua ex parte mutatam, videre potes etiam de *Origine Hunnorum*, apud. Sigebertum alioſque, ex *Jornande* Hunnis infenſisſimo, acceptam.

diamus verba Hesiodi. Sic autem ille scribit: *t.*

> Ἡ δ' ἔρυτ' εἰν Ἀρίμοισιν ὑπὸ χθόνα λυγρὴ Ἔχιδνα,
> Ἀθάνατος νύμφη, καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα.
>
> *Coërcebatur autem in Arimis, sub terra tetra Echidna;*
> *Immortalis Nympha, & senio illæsa perpetuo.*

Mox illico describit ejus conceptum & partum. *u. Huic* (inquit) *Typhaonem ajunt mixtum esse amore; vehementem & violentum ventum † limis oculis contuenti puellæ. Illa vero gravida facta peperit fortes filios. Orthum quidem primo canem peperit Geryoni: iterùm secundo edidit immanem, minime affabilem, cerberum crudivorum, Plutonis canem validâ voce; quinquaginta capitum, impudentemque fortemque. Tertio Hydram rursus genuit, odiosa, edoctam Lernaam.* Hæc ille. Cum posteri non intellexissent quid mysterii lateret sub tam obscura & crassa fabula, mutarunt personas, nempe natas, & earum progenitorem: Græci enim juxta Pontum, (apud Herodotum,) natorum progenitorem Herculem statuebant; omnes autem natos, numero tres, (Agathyrsum, Gelonum, & Scytham,

t. Hesiod. in Theogon. vers. 304. 305. *u.* Ibid. vers. sequ. †. Typhaonem metonymicè vocat violentum ventum, qui fingebatur talem emittere.

t'iam,) filios fuiſse ajebant: retentâ interim forma eadem Echidnæ, tum apud Herodotum, tum apud Diodorum, quæ eſt apud Heſiodum; qui deſcribendo eam dicit, † *Specu in concavo, divinam animo-forti Echidnam, dimidio nympham, * limis oculis, pulchris genis; dimidia item parte ingentem ſerpentem, horrendumque, magnumque.* Hæc ſi quis conferat cum ceteris, hanc fabulam de Scythia narrantibus, facile animadvertet, quoad rem præcipuam, fabulam eandem eſse.

XXII. Sic jam ultro patet ſolutio quæſtionis etiam illius de loco Homeri, pariter de *Arimis* mentionem facientis, jam ab olim apud Ethnicos ſcriptores varie agitatæ; (ut patet ex Strabone; *x.*) quam nempe Terram per τὸ ἐιν Ἀρίμοις *y. in Arimis*, intellexerit? Ea quæ hactenus in hanc rem dixi, ſuadent nobis, ſine ulla vocabuli *Arim* torſione & maceratione, de *Arâmea*, Scytharum veteri ſede, nomen illud intelligendum eſse: ut non ſit hic neceſse, cum quibuſdam Ethnicis, nugas nugis, augentibus, ad *Pithecuſam*, parvam

†. Habes tale ejus domicilium, etiam apud Herodotum, loco citato. *. Græc. ἑλικωπίδα. *Volubiles oculos habentem.* x. Stab. Geog. Lib. 13. pag. 431. y. Homer. Iliad. B. verſ. 782. 783. - - - ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ, ἐιν Ἀρίμοις. &c. - - *Quando circa Typhoëum terram* (Jupiter) *verberat, in Arimis, ubi dicunt Typhoei eſſe cubilia.*

parvam in mari Italico (Tyrrheno) insulam, excurrere, atque veterum de *Arimis* dicta mythologica, de Pithecusa illa, simiis abundante insula, intelligere: qui etiam perspicacissimo in hisce rebus indagatori, Sam. Bocharto, z. suî quasi, quod † alias verius dixerat, oblito, de hac fabula imposuerunt. Certe ex ipsis quoque Gentibus non defuerunt olim, qui per *Arimos* apud Homerum, *Syros* intellexere; ut patet ex Strabone; *a.* quod multum facit, ad confirmandam nostram sententiam, de *Aramea*, veteri Scytharum sede. De appellatione autem *Arimasporum*, alibi commodius dicendum esse puto; ubi Deo volente, veterum quorundam nominum, genuinas ex Scythica lingua, pandam origines. Ad illa autem Nomina veterum Scytharum,(quod aliqui *Auchatæ*,aliqui *Catiari*, aliqui *Traspies* dicti sunt, omnibus vero *Scolotis* Regis cognomen, commune fuisse dicitur,) quæ recenset *Herodotus*, *b.* nec vacat excurrere, nec multum hic refert ea tangere; cùm illa sint minùs nota ac minùs celebria; secùs quam *Scytharum*, vel *Aramei* aut *Arimi* nomen. Hoc unum hic annotare ad rem pertinere arbitror; quod cum Gen. 14. vers. 1.2. (circa ann. ante nat.

z. Geograph. sacr. Par. 2. Lib. 1. c. 33. pag. (mihi) 655. †. Geog. Sac. Par. 1. Lib. 2. c. 5. *a.* Strab. Geogr. Lib. 13. pag. 431. ed. An. 1587. *b.* Herod. Lib. 4. in Melpom. sub initium.

nat. Chr. 1940.) legatur, quatuor Reges, nempe Amraphelem Regem *Sinhar* ſeu Babylonis, Arjocum Regem *Ellaſar*, Cedorlahomerum, Regem *Helam*, (quæ Regio deinceps Perſiæ accenſita,) & Regem *Gentium*, (earum nempe quæ in terra Cananæorum ad Gilgalem †. ſeu Galilæam erant,) pugnaſſe contra quinque Reges, *Sodomæ* nempe, *Gomorrhæ*, *Adamæ*, *Seboim* & *Tzoharis*; hinc merito quæri poteſt, annon unus Regum quatuor, verſ. 1. memoratorum, fuerit Dux & Rex eorum populorum, qui poſterioribus ſeculis dicti demùm ſunt Scythæ. Ad hoc ut affirmative reſpondeam, movet me non ſolùm authoritas antiquæ & vulgatæ Latinæ veſionis, quæ pro *Ellaſar*, habet hic *Pontum* ſcil. Euxinum, (cujus olim circumcirca ‡ accolæ erant Scythæ,) qua in verſione præivit vulgatæ, Symmachus; ſed etiam conſideratio locorum, unde ceteri tres Reges venerunt. Omnes illi tres ab Oriente, a plaga inter Orientem & ſeptentrionem ſita, & a ſeptentrione, irruerunt in Sodomitas & alios iis confines; nulla ratione igitur putandum, quartum eorum ſocium, nempe *Arjokum* Regem *Ellaſar*, ex plaga Mundi diverſa ac illos venisse. Nullum illi tres eo tempore, commodio.

†. Joſ. 12. verſ. 23. col. ult. ‡. Vide in cumulo teſtimonia in hanc rem Ariſtotelis, Ovid. Tertullian. apud *Petitum* Diſſert. de Amazon. c. 12.

modiorem ac viciniorem sibi socium belli habere poterant, quam eum qui Terræ circa Pontum imperabat, ad septentrionem respectu Sodomæorum. Sic itaque posito cum Hieronymo & Symmacho, *Ellasar* esse *Pontum*, habemus hic quoque magnum imò maximum pro antiquitate Scytharum testimonium.

XXIII. Mores veterum Scytharum quod attinet: tum mala tùm bona multa de iis legimus apud veteres. Mali in hoc, quod potiorem partem, posterioribus demùm seculis, fuerint crudeles, efferati, barbari, formidabiles, & ad luxum atque fœdas comessationes & pocula dediti; quod legenti Strabonem & alios, clarum esse potest. Sed & virtus rara ac posteritati merito celebranda, ipsis non defuit aliquando. Hinc ipsemet Strabo, dum undiquaque à Scriptoribus sui temporis vituperarentur Scythæ, ob modo dicta vitia inter ipsos regnantia, excusat ipsos, quod seriùs demùm, post Homeri ætatem notabili intervallo, ita corrupti sint, & quidem ex commerciis & conversatione cum aliis Nationibus, Græcis imprimis. Olim autem illos, super ceteras Mundi Nationes, virtutibus vitæ ac morum excelluisse, contendit & probat ex Ephoro, Homero aliisque. Sic ille Ephori, & ex eo Homeri verba referens, a scribit de Scythis: εἶναι γὰρ τίνας

a. Strab. Geogr. Lib. 7. p. 209.

τινας τῶν Νομάδων Σκυθῶν γάλακτι τρεφομένων ἵππων, τῇ δικαιοσύνῃ πάντων διαφέρειν, μεμνῆσθαι δ' αὐτῶν τοὺς ποιητὰς, Ὅμηρον μὲν,

Γλακτοφάγων Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Esse enim (dicit Ephorus,) *quosdam de Nomadibus Scythis, qui equorum lacte vescuntur, institiâ omnibus superiores; meminisse autem eorum & Poetas; Homerum quidem*, (cum scribit:)

Lactivoros Abiosque, his non est justior ulla, Gens hominum. --

XXIV. Subjicit deinde ex ejusdem Ephori narratione, quod hi Scythæ, *exili utantur victu, neque quæstui sint dediti, sed vitam* inter se *invicem justam degant.* Item, quod adversus exteros sint invicti & inexpugnabiles. Citat etiam in hanc rem, idem Ephorus apud Strabonem, *Chœrilum* Poetam, *qui in transitu ratis, quâ Darius mare junxit, hæc posuerit:*

Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεᾷ Σκύθαι αὐτὰρ ἔναιον,
Ἀσίδα πυροφόρον· νομάδων γε μὲν ἦσαν ἄποικοι,
Ἀνθρώπων νομίμων.

Opiliones Scythica Sacæ origine,
Asiam incolebant, tum feracem tritici;

A Gente justa hominum, hinc illinc vagantium, Missi in coloniam.

Adducit etiam versum quendam Æschyli Strabo, quo *Schytha d.* εὔνομοι, *bonis legibus utentes*, dicuntur. Plura in laudem vitæ Scytharum legere qui vult, consulat Justinum *e.* ex Trogo Pompejo de Scythis scribentem. Hæc refero ideo, ut qui hodie inter Christianos, sunt veterum Scytharum posteri, majores suos non in malo, (sicut multi adhuc proh dolor! in rapinis & gula, prava progenitorum sequuntur vestigia,) sed in bono imitentur; eoque magis, quòd jam per Dei gratiam è tenebris pristinis educti, lumen naturæ corruptæ, lumine gratiæ habent illustratum. Nec eruditionem penitus defuisse veteribus Scythis, satis apparet ex his Herodoti verbis: †. *Pontus Euxinus, in quem Darius fecit expeditionem, Nationes exhibet omnium imperitissimas,* ἔξω τοῦ Σκυθικοῦ, *Scythicâ EXCEPTA.* Et subjicit: οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ πόντου οὐδὲν ἔχομεν παραβαλέσθαι σοφίης πέρι, οὔτε ἄνδρα λόγιον οἴδαμεν γενόμενον πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος, καὶ ἀναχάρσιος. *Nullius enim Nationis earum quæ sunt intra Pontum, aut aliquid ad sapientiam pertinens*

d. Eod. Lib. 7. pag. 208. *e.* Just. Hist. Lib. 2. c. 2. *f.* Lib. 4. in Melpom. Pag. 123. ed. Græc. Basil.

tinens proferre possumus, aut aliquem virum pro erudito habitum novimus, præter Scythicam gentem & Anacharsim. †. Nota est etiam contentio Scytharum & Ægyptiorum (ex Trogo & Justino, *g.*) de antiquitate; in qua vicerunt Scythæ; quod etiam arguit veteres Scythas ex ingeniosis fuisse Nationibus.

XXV. Venio nunc ad Deos & idola veterum Scytharum; quæ sic nobis describit Herodotus: *h.* Θεοὺς μὲν μόνους τοὺς δὲ ἱλάσκονται· Ἱστίην μὲν μάλιστα, ἐπὶ δὲ, Δία τε καὶ γῆν, νομίζοντες τὴν γῆν τοῦ Διὸς εἶναι γυναῖκα. μετὰ δὲ τούτους, Ἀπόλλωνά τε καὶ οὐρανίην ἀφροδίτην καὶ Ἡρακλέα, καὶ Ἄρεα. τούτους μὲν πάντες οἱ Σκύθαι νενομίκασι. Οἱ δὲ καλεόμενοι βασιλήϊοι Σκύθαι, καὶ τῷ Ποσειδέωνι θύουσι. Οὐνομάζονται δὲ Σκυθιστὶ, Ἱστίη μὲν, Ταβιτί. Ζεὺς δὲ ὀρθότατα κατὰ γνώμην γε τὴν ἐμὴν καλεόμενος Παπαῖος. γῆ δὲ Ἀπία. Ἀπόλλων δὲ Οἰτόσυρος. Οὐρανίη δὲ Ἀφροδίτη, Ἀρτίμπασα. Ποσειδέων δὲ, Θαμιμασάδης. Ἀγάλματα δὲ, καὶ βωμοὺς, καὶ νηοὺς οὐ νομίζουσι ποιέειν, πλὴν Ἄρηϊ. *Deos autem*

D

† Hic natione Scytha Philosophus celebris coævus traditur fuisse Soloni, ex septem Sapientibus uni, Anno circiter 584. ante nat Christum. *g.* Just. Lib. 2. c. 1. *h.* Herod. in Melpom. Lib. 4. pag. 125. edit. Græc. Bas. Al. ed. c. 59.

tem hos solos propitiantur Scythæ. Vestam quidem maximè: deinde Jovem ac Tellurem; existimantes Tellurem Jovis conjugem esse. Post hos Apollinem, & cœlestem Venerem, & Martem & Herculem. Hos quidem omnes Scythæ (Deos esse) *lege approbarunt. Sed qui regii Scythæ vocantur, etiam Neptuno sacrificant. Nominantur autem Scythicè, Vesta,* Tabiti; *Jupiter verò meâ quidem sententiâ rectissimè, vocatur* Papæus. *Tellus autem,* Apia: *Apollo verò* Oetosyrus. *Cœlestis autem Venus,* Artimpasa: *Neptunus verò* Thamimasades. *Simulacra autem, & aras & delubra,* (seu Templa,) *non putant facienda, præterquam Marti.* Hæc ille.

XXVI. Ex postremis ejus verbis satis apparet, quam parcè per signa & simulacra Deos Deasque Scythæ coluerint. Quod de Scythis à vicinia vel cognatione Græcorum remotioribus, intelligendum. Nam qui in Taurica Chersoneso, ac citra eam Græcis fuere viciniores, illi *mores*† & instituta veterum Græcorum in multis observarunt, atque etiam in copia *Simulacrorum*‡ habenda. Similiter & Geloni quidam Scythæ, at origine antiquâ Græci, (teste Herodoto,) * *Templa Græcanicè exstructa, aras & simulacra,* habuerunt. Sed alii Scy-

† Plin. Hist. Nat. Lib. 4. c. 12. post.med. non procul a fin. ‡ Theophan. in Chronog. ad 1. an. Justinian. pag. 150. edit. Par. 1655. * Herod. Lib. 4. c. 108.

Scythæ hujusmodi ritus Græcorum, valde abhorrebant: ut ex Herodoto † clarum mox faciemus. Hac in parte ostenderunt se cultû & institutis Religionis, Persis valde propinquos fuisse: quod & ex eo patet, quòd licet *alia etiam pecora*, sacrificaverint Diis, tamen *maxime equos*, teste eodem Herodoto. Quale & illud *simulacrum* fuerit, quod uni & soli *Marti*, solebant Scythæ erigere, docet nos idem Herodotus paulo post allegata verba. *Sub hoc* (inquit) *aggestu* (nempe sarmentorum seu virgultorum, pro delubro congestorum,) * *Acinaces ferreus, qui singulis vetustus est*, *statuitur*; seu erigitur. *Idque est MARTIS SIMVLACRVM, cui annuas hostias offerunt.* Aliquantò infra, refert de Anacharsi Philosopho, (qui apud exteras Nationes ad Hellespontum, imprims Cyzici, didicerat,) quòd dum is alieno ritû, exterisque simulacris, uti cœpisset, mox accusatus, interfectus est a Rege, nomine *Saulio.* De Acinace, consentit etiam Clemens Alexandrinus, *i.* (an. D. 194.) Herodoto. Hunc verò Acinacem, non vulgarem quemlibet fuisse, sed certo consilio ad hoc præparatum, & con-

† Lib. eod. c. 76. 77. * ἀκινάκης σιδήρεος ἵδρυται ἀρχαῖος ἑκάστοισι. καὶ τοῦτ' ἐστὶ τοῦ Ἄρηος τὸ ἄγαλμα. *i.* Admonit. ad Gent. Pag. (mihi,) 29. & 42. 43.

consecratum, apparet ex † Prisci narratione, de invento *Ense* sacro Scytharum, tempore Athilæ, dudum antea perdito. *Neque parva* (inquit) *illi*, (nempe Athilæ) *potentiæ accessio contigit ex eo, quòd Martis Ensis erat detectus. Hic tanquam sacer, & Deo bellorum Præsidi dedicatus, à Scytharum Regibus olim colebatur, & multis antea seculis non visus, bovis ministerio fuerat tunc temporis erutus.* Nihil amplius de hoc Priscus habet.

XXVII. Solem autem in præcipuo cultu fuisse inter illos, apparet non solùm ex communissima usque in hunc diem nostræ Nationis, Scythicæ nimirum propaginis, traditione, sed etiam ex eo, quod per *Vestam*, (seu Ἱστίην,) ipsissimus Sol intelligebatur apud ipsos; quòd infra Deo opitulante, in origine quarundam vocum Hungaricarum, (imprimis *Isten*, Deus,) investiganda, demonstrabo. Hinc etiam Æschylus, dum *Prometheum* in *Scythia vinctum* introducit orantem, (ut jam Æschy-

† Prisc. Exc. De Legat. pag. 65. ἔσεσθαι δὲ οὐκ εἰς μακρὸν, (leg. μικρὸν,) τῆς παρούσης αὐτῷ δυνάμεως, αὔξησιν συμβαίνειν, καὶ τοῦτο τὸ Θεὸν τὸ τοῦ Ἄρεος ἀναφήναντος ξίφος. ὅπερ ὂν ἱερὸν τὰ παρὰ τῶν Σκυθικῶν Βασιλέων τιμώμενον, οἷα δὴ τῷ ἐφόρῳ τῶν πολέμων ἀνακειμένων, ἐν τοῖς πάλαι ἀφανισθῆναι χρόνοις, εἶτα διὰ βοὸς εὑρεθῆναι. Versionem Latin. *Cantoclari*, ex apposito hoc Græco textu potes corrigere.

ſchyli † ſeculum erat,) poſt Æthera, ſeu Cœlum ſtellatum, poſt ventos, fluviorum fontes, fluctus marinos, & poſt Terram, *Solem* tanquam colophonem ponit, eumque ſingulari cum titulo aliis non communicato, invocat hunc in modum: *k.*

Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ,

Invoco etiam Solis orbem omnium Inſpectorem.

Porrò, cum de *Maſſagetis*, parte Scytharum, teſtentur *l.* Herodotus & Strabo, quod *ex Diis unum Solem venerati* fuerint, *cui equos* immolaverint; facilè ex eo inferimus, etiam alios *Scythas*, à Græcanicis ritibus abhorrentes, etſi non unum ſolummodo *Solem*, tamen præcipuè & maximè *Solem* coluiſſe.

XXVIII. Hæc de Scythis hactenùs enarrata ſatis oſtendunt, eos ex præcipuis Mundi Nationibus à fœdere Dei alienis fuiſſe: nec dubitavit Juſtinus Hiſtoricus (an. D. 141.) poſt Trogum Pompejum, in laudem Scytharum pronunciare, quod *m. Scytharum gens antiquiſſima ſemper* ſit *habita*, & quod *argumentis Ægyptios ſuperantes, antiquiores ſemper Scythæ ſunt viſi.* Verum meo judicio, omnia hæc externæ celebritatis apud profanos ſcriptores argu-

† Vide ſuprà quando vixit Æſchylus, paragr. 2. & 4. *k.* Æſchyl. in Prom. Vinct. verſ. 91. *l.* Herod. Lib. 1. in fine Θεῶν δὲ μοῦνον ἥλιον σέβονται, ᾧ θύουσι ἵππους. Et Strab. Geogr. Lib. 11. *l.* Juſt. Lib. 2. c. 1.

gumenta, unica Scripturæ Sacræ mentio de *Scythis*, & quidem unica tantum voce facta, longo intervallo superat. Nimirum, dum S. Apostolus doceret nullam esse Nationum distinctionem in Regno Christi, sed omnia & in omnibus illic Christum esse, atque ad hoc, Nationes aliquas exempli causâ specificandas judicaret, tres tantum Nationes nomine tenus, adducit in medium, *Iudæum*, *Græcum* & *Scytham* nominando; reliquas vero, partim subintelligit sub *Græci* nomine, nempe cultiores, quales Ægyptii, Romani & Chaldæi fuere; partim vero generali *Barbari* titulo comprehendit. *n. Ubi non est* (inquit) *Græcus & Iudæus, circumcisio & præputium; Barbarus, Scytha, Servus, Liber: sed omnia & in omnibus Christus.* Hæc de Scythis vetustioribus dicta sufficiant. Venio nunc ad eos, qui post adventum Salvatoris, nova iterum sunt nomina sortiti, aut saltem nominibus Mundo noviter passim non sine terrore auditis, innotuerunt.

n. Col. 3. vers. 11.

CAP.

CAP. II.

In quo, *præmisso, qui populi ex Scythia, tempore iam N. Test. Orbi Christiano innotuerint; proponit auctor, de quibus illorum specialiter sit tractaturus: videlicet de* Hunnis, *eorumque ex eadem Gente, successoribus. Ubi dicendorum in hoc Libro,* ordo, *indicatur. Deinde refertur, quibus nominibus olim* Hungaria & Transylvania *venit. Ubi de* Pannonia *utraque, de* Jazygum *Regione, de* Baranyis, (*seu* Breunis,) & Daciâ, *agitur.*

Tempore jam Novi Testamenti, tres Populi summè formidabiles, è Scythiâ præsertim Asiatica, diversis vicibus, Orbi Christiano innotuerunt. Primi fuerunt *Hunni.* Gothos enim Europæis potiùs annumero, quam interioribus Scythis. Nam etsi tenuerint aliquam etiam Scythiæ Europææ partem, tamen præcipua & originaria sedes eorum fuit versus Balthicum mare.

II. Secundi ordinis populi Scythiæ, Christianis etiam nunc infestissimi, sunt *Turcæ;* qui etiam ut notum, Scythicæ sunt originis, ex tanta multitudine latè patentis Terræ Scythicæ, Nationum. Tertii generis sunt *Tartari;* quorum minima pars, subest Imperatori Turcico, in parte Scythiæ dictâ nunc minor Tartaria. Maxima vero pars (præter aliquos Moscovitarum subditos,) in interioribus

Scythiæ, usque ad Oceanum Orientalem supra Chinas, subest Magno Chamo Tartarorum; quamquam ut notum, jam hoc seculo etiam in Chinam Tartarus ille suâ potentiâ penetravit. De Turcis & Tartaris mihi hîc dicere, non est animus, neque scopus id requirit; sed solummodò de *Hunnis*, atque etiam de illis, qui Hunnis veteribus ex eadem gente sub alio nomine successerunt, paucis agere constitui: primum dicturus, de triplici Scythicæ Nationis, *Hunnorum* nempe & *Hungarorum* in Daciam & Pannoniam adventu: deinde verò ortensurus, an hodierni *Hungari* sint veri & genuini *Hunniacæ* gentis posteri; imò & hoc accuratè quantùm fieri potest, à fundamento rei investigaturus, annon ex certis argumentis, imprimis ex idiomate, & nominum aliquot ad suos fontes facta reductione, constet ipsos esse, vetustissimorum Scytharum, non obscurioris notæ, sed notiorum & toties à variis suis gestis apud veteres celebratorum, reliquias. Ubi nullatenùs partium studio abreptus, (quod in quolibet toto pectore detestor,) sed omnia solius amore veritatis, in Dei gloriam, indagaturus sum. Varia autem *Hunnorum* nomina, cum longè uberiùs seculo sexto currente, quàm antea, per Scriptores Byzantinos innotuerint; quorum ope, etiam exstantia apud *Priscum*, seculi quinti Scriptorem, nomina hujusmodi, mul-

multùm illuſtrantur; idcircò ea recenſere, commodiùs in alium locum differo, † ubi nimirùm de *Abaribus* Hunnis, dicendum erit. Nunc ad propoſita puncta revertor.

III. Primum quod attinet. Illud primò hic propter minùs exercitatos Hiſtoricos, notandum eſſe cenſeo. Quod, ante *Hunnorum* adventum, omnis illa Regio, quæ jam nunc partim Hungariæ, partim Tranſylvaniæ nomine venit, vocabatur ex parte *Pannonia*; ex parte *Jazygum* Metanaſtarum Regio; & ex parte *Dacia*. Pannnonia erat duplex, ſuperior & inferior. Pannoniæ ſuperioris terminos, Ptolomæus an. D. 140. ſic deſcripſit: *a. Pannonia ſuperior, terminatur ab occaſu monte Cetio*, (h. e. tractu montium Norici, ad occaſum, præcipue hybernum, Viennæ,) *& pro parte Carvancâ.* (In confiniis nempe Italiæ.) *A meridie, parte Iſtriæ ac Illyridis, juxta lineam parallelam, quæ à præfato fine occidentaliſſimo, per Albanum montem*, (infra fontem, & initialem partem flav. Savi,) *exit uſque ad Bebios montes*, (in confiniis Boſniæ ſitos,) *& limitem inferioris Pannoniæ, qui habet gradus* (long.) 41. (min.) 30. (& Lat.) 45. (min.) 20. *A ſeptentrione verò jam dictò Norici termino, & eâ Danubii parte, quæ eſt à Cetio monte, uſque ad divertigium Arabonis † fluvii, cujus poſitio gradus habet*, 41. (long.)

D 5 & 47.

† Vide infr. cap. 5. §. 2. 3. & ſequ. *a*. Geogr. Lib. 2. c. 15. pag. 62. edit. Amſtel. † Rab, hodie.

& 47. (min.) 40. Latitud. *Ab ortu verò Solis, inferori Panonia, lineâ quæ prædictos transit fines.*

IV. Pannoniam autem inferiorem, sic describit. *b. Pannonia inferior terminatur ab occasu superiori Pannonia; à divertigio Arabonis, juxta præfatos limites. A meridie parte Illyridis, quæ â dicto limite usque ad flexum est Danubii, juxta quem divertitur Savus † fluvius, qui habet grad.* 45. (long.) *&* 44. (min.) 30. (Latit.) *A septentrionibus autem & ab Oriente, terminatur eâ parte Danubii, quæ est à divertigio Arabonis fluv. usque ad Savi divertigium.* Recenset populos veteris Pannoniæ superioris, a *parte septentrionali*, *qui magis Occidentales* sunt, *Azalos*; *magis orientales*, *Cytnos*; a meridie, *Latobicos*, *sub Norico*; *versus Ortum*, *Vercianos* *. In medio verſ. occ. *Bios*; *sub* his *Coletianos*; *ad ortum Iassios*, ‡ & *sub* his *Osseriates.* Inferioris vero Pannoniæ veteres incolas hos numerat: *Amantenos magis septentrionales*; sub his, *Hercuniates*; postea, *Andiantes*, tum *Breucos.* Ad Orientem *maxime septentrionales.* † *Araviscos.* Meridionales, *Scordiscos.* Hi autem olim communi *Pannoniorum* nomine comprehendebantur. Non deerant etiam ex veteribus, qui *Paones* confundebant cum *Panno-*

b. Ejuſd. Lib. 2. c. 16. pag. 63. † Græc. Σαύιος apud Ptolom. * Græc. Οὐαρκιάνοι ‡ Sunt mihi *Jassii* illi ipſi qui Plinio *Jasi* in Pannonia, h. e. Jazygum populares & consanguinei. Vid. infr. c. 10. † Gr. Ἀραβίσκοι.

Pannonibus, (absque dubio ob vicinitatem, quod his ad meridiem ferè juncti essent;) quos plurimi recentiorum in hoc sequuntur. Sed ex *Dione* Cassio, benè nos docent Ortelius *c.* & Casaubonus *d.*, quod hos, non debeamus inter se confundere. Sed quia *Dionis* fecimus mentionem, placeat etiam ipsum paucis audire, Pannonios, eorumque terram, qualis ævo ejus, (h. e. circa an. D. 230.) erat, describentem. * Οἱ δὲ παννόνιοι νέμονται μὲν πρὸς τῇ Δαλματία, παρ' αὐτὸν τὸν Ἴστρον, ἀπὸ Νωρίκου μέχρι τῆς Μυσίας, &c. *Pannonii* (inquit) *habitant ad Istrum fluvium â Norico, usque ad Mysiam Europeam, Dalmatis vicini.* Pergit deinde. *Tolerant autem omnium hominum vitam durissimam: nam neque terram, neque aërem felicem habent; neque apud eos oleum aut vinum, nisi paucissimum nascitur; neque enim hæc colunt, quum majorem partem acerrima in hyeme vivant: sed hordeum & milium edunt, & potum ex eis conficiunt. Ceterùm omnium, quos nos quidem noverimus hominum, fortissimi; ad iram & cædes promptissimi: quod ego non auditû tantum aut lectione, sed re ipsâ cognitum, quum praeßem videlicet ei Nationi, scribo.* Hæc ille. At verò nunc quoad fertilitatem, longè alia facies est Pannioniæ, dum inter tot Martis tumultus ritè coli potest. Fregit pri-

c. Ortel. in Thesaur. Geogr. *d.* Vid. Casaub. Not. in Strabon. p. 118. & Dion. Lib. 49. * Dion. Rom. Hist. Lib. 49. p. 471.

primùm Pannonios Auguſtus †Cæſar, anno ante natum Chriſtum 28. & 13. ſubegit eoſdem atque imperio Romano adjunxit Tiberius‡, (vivo ad huc Auguſto,) circa annum nati Salvatoris IX. num.

V. Jazygum Metanaſtarum terminos, ſic memoratus Ptolom. deſcribit: *e. Iazyges Metanaſtæ terminantur à Septentrionibus, parte Sarmatiæ, in Europa explicatâ, ab auſtrali* ſcilicet *parte Sarmaticorum montium, uſque ad Carpati montes.* (Hoc eſt montibus Sarmaticis, ſupra Trenchin & fluv. Vagum, quorum montium finis apud ipſum habet *f.* gr. 42. min. 30. longit. & 48. m. 30. latitudinis.) *Ab occaſu autem & meridie, Germaniæ* (veteris) *parte, quæ eſt à Sarmaticis montibus, uſque ad flexum Danubii, qui juxta * Karpaten eſt; & hinc Danubii flum. parte, uſque ad Tibiſci annis divertigium* †. *Ab*

† Vid. Dion. in geſt. Auguſt. ‡ Vid. Vellejum Paterc. Hiſt. Lib. 2. *e.* Lib. 3. c. 7. pag. 84. *Ἰάζυγες Μετανάσται ὁρίζονται ἀπὸ μὲν ἄρκτων Σαρματίας, τῆς ἐν Εὐρώπῃ τῷ εἰρημένῳ μέρει, ἀπὸ τοῦ νοτίου τῶν Σαρματικῶν ὀρέων, ἕως τοῦ Καρπάτου ὄρους.* *f.* Lib. 2. c. 5. pag. 80. ‡ Loc. prox. cit. * Alii Carpin. leg. Hodie *Krompák*, vel *Krompath*, ſi benè memini. † Vellem hic haberi, apud Ptol. *uſque ad Tibiſci amnis ingreſſum in Danubium.* Nam & gradus (46. long. & 44. lat. cum 4. vel ut alii corrigunt 15. min.) quos hic ponit, id oſtendunt; & illud etiam ſensû caret, quod *Tibiſcus feratur ad Septentrionem*, juxta ejus poſitionem.

Ab Oriente autem Daciâ, juxta ipſum Tibiſcum fluv. Terminus hic ex mente ejus ſuprà Tocaj & ultra, debet eſſe; ſed verba illius de fluxu Tibiſci, ita ſunt poſita, ut hodie non facilè intelligerentur: niſi fluxum, contrario modo, pro via & alveo accipiamus, qui ducit ad fontes Tibiſci. Civitates veterum Jazygum recenſet, *Uſcenum* †, *Germanum* *, *Abietam* ‡, *Triſſum* †, *Candanum* *, *Parcam* ‡, *Peſſium* †, *Partiſcum* *. Jazyges hos vocat *Metanaſtas*, hoc eſt, eos, qui aliunde huc commigrarunt, ad diſtinctionem eorum *Jazygum*, qui partim *Sarmatæ*†, partim *Regii-Iazyges* vocabantur, in patrio ſuo ſolo Scythico. Ex his apparet, *Iazyges*, (Vulgo *Jáſz*, & *Jáſzok* in plur. nobis dictos,) qui ſunt in Hungaria, præcuriſſe longè adventum *Hunnorum* in Hungariam. Secus enim non potuiſſet *Ptolomæus* eorum mentionem facere. Nota inſuper ſunt ex Dione Caſſio †, tum Trajani

† Lat.	48.	m.	20.	*	48.	m.	15.
‡	48.	m.	0.	†	47.	m.	45.
*	47.	m.	20.	‡	47.	m.	40.
†	47.	m.	0.	*	46.	m.	40.

Partiſcus, *Kecskemet* hodie. † Vide de his utriſque Strab. Geogr. Lib. 7. pag. 213. edit. A. 1587. Ptolomæus autem, Geogr. Lib. 3. c. 5. alios Jazyges, præter Metanaſtas, ad Mæotidem ponit, ſic ſcribens: *Per totum Mæotidis latus, Jazyges.* Quod congruit cum veteri ſede, magnæ partis Hunnorum. † Vid. Epitom. Dionis apud Xiphil. in Tra-

jani circa an. D. 102. tum M. Aurelii Antonini Imp. an. D. 174. gesta contra hos Jazygas. Hic enim eos demùm Imperio Rom. subjecit.

VI. Unde autem, quando, & quomodo hi *Iazyges* penetrarint in Hungariam, paucis dicam. Quandoquidem non solùm generaliter notum est ex Strabone, *g. migrationes* varias populorum antiquissimis temporibus contigisse, sed & illud specialius perspectum habemus è Diodoro Siculo, quòd multis seculis ante Diodori tempora, (qui præcessit nativitatem Domini, annis circiter 58.) Gens Scythica, *Regiones h.* non solum *ultra Tanaim*, sed & cis Tanaim, *ad Thraciam usque* sibi *subjecerit*; hinc proclive est colligere, antiquissimis temporibus ante natum Christum *Iazyges* illos, aliquâ suî parte, occasione victoriæ Scytharum, ad Thraces usque extensæ, eo commi-

jan. & Antonino. *g.* Geogr. Lib. 1. pag. 42. & Lib. 7. pag. 212. *h.* Diodor. Sic. Bibl. Lib. 2. juxt. Græc. edit. Henric. Steph: p. 89. & 90. Μετὰ δὲ τινας χρόνους, τοὺς ἀπογόνους τούτων τῶν βασιλέων, ἀνδρείᾳ καὶ στρατηγίᾳ διενέγκαντας πολλὴν μὲν πέραν τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ χώραν καταστρέψασθαι, μέχρι τῆς Θρᾴκης. *Post aliquod tempus, prognati horum Regum,* (Scythiæ, quos vocat Palum & Napen,) *virtute & belli artibus insignes, multam ultra Tanaim fluvium Regionem subjugaverunt, ad Thraciam usque.* Hoc est, non solùm ultra Tanaim, sed & cis, ad Thraciam usque.

migrasse. Quod idem ex parte statuo de Hungaris inferioris Pannoniæ, qui nobis *Baranyak*, dicuntur; atque etiam de multis *Sclavis*, & *Geticâ* seu *Alanicâ* linguâ utentibus, iis nempe, quos Hunni cum Alanis è Scythia egressi, in Pannonia & Dacia, vel in intermedia Jazygum Terra, reperêrunt. Qui vero sive ex Jazygibus, sive ex *Sclavis* & *Bar-annyis*, (alias *Baroviis*,) propius vergunt ad Illyrios, illi poterant etiam aliâ viâ, & ex aliis olim præter Scythiam sedibus, (de quibus aliô loco † dicturi sumus,) ad præsentes suas sedes commigrare. Quod dicebam paulo ante post citatum Diodorum, de *Jazygibus*; in eo ex hoc amplius confirmor, quod apertè tradit Strabo, (qui, ut jam notavi, anno circiter 20. post natum Christum floruit,) quod *Iazyges*, *& Urgi*, quos sic vocat, h. e. *Ugri*, seu *Ungari*, ut aliàs docebo, aliquando ad utramque Istri partem, habitaverint. Verba ejus, ubi loquitur de Scythis, cis Tanaim, hæc sunt: *i. Post hos*, (nempe post Tyrigetas,) sunt *Iazyges Sarmatæ*, *& qui Regii dicuntur*, *& Urgi*, *quorum plerique Nomades sunt. Hos ferunt etiam ad Istrum*, *ad utramque*

† Infr. cap. 10. coll. cap. 9. & 8. *i.* Strab. Geogr. Lib. 7. p. 213. μετ' ὓς οἱ Ἰάζυγες, Σαρμάται, καὶ οἱ Βασίλειοι λεγόμενοι, καὶ Οὖργοι, τὸ μὲν πλέον νομάδες. τύτὺς φασὶ καὶ παρὰ τὸν Ἴστρον οἰκεῖν ἐφ' ἑκάτερα πολλάκις.

que ejus partem, ſæpè habitare. *Breucos* autem *Pannoniæ* inferioris populos juxta Savum apud Ptolomæum, *m.* Strabonem, *n.* & alios veteres, hactenus ſaltem nullos alios video fuiſſe, quàm cum aliquâ intermixtione Gallorum, antiquiſſimos illos noſtræ Nationis populos, qui *Baranya* †, & in plurali *Baranyák*, noſtrâ linguâ vocantur; utunturque nobiſcum eodem idiomate, quoad eſſentiam linguæ. De *Breunis* etiam & *Brennis* veterum, in vicinia ferè *Breucorum*, idem ſentio. Hoc tamen ſic intelligi volo, ut non negem olim iſtud nomen etiam ad Sclavos, noſtris cohabitantes, extenſum fuiſſe. Nihil obſtat, quod *Breunos* in Vindelicia, ultra fontes Savi, collocet Ptolomæus; poterant enim veteres *Breuni*, ex Pannonia inferiori eo uſque planè extendi. Sciendum & hoc, quod non omnia Ptolomæus, in ſuis Tabulis, infallibiter locat. Florus *o.* certè *Breunos*, (al. *Brennos*,) apertè diſtinguit à Vindelicis. Sane nomen *Breuni* & *Brenni*, valde appropinquant literis principalibus, nomini *Baranya*. Locum etiam *Berbis*, *p.* non

m. Ptol. Geogr. Lib. 2. c. 16. *n.* Strab. Geogr. Lib. 7. pag. 217. edit. Caſaub. † *Baranya* explicant quidam, quaſi *Bor-annya*, h.e. Vini mater, ob copiam & præſtantiam vinorum illic loci, imprimis ad Sirmium. *o.* Flor. de Geſt. Rom. Lib. 4. c. 12. Ubi Sylburgius in Notis, *Breunos* eoſdem cenſet eſſe cum *Breucis* Pannoniæ. *p.* Geogr. Lib. 2. c. 16. in Pannon. infer.

non longe a Dravo apud Ptolomæum, meritò conjicere possum olim fuisse *Bor-viz*, (Vini liquor,) dictum. Sed redeo iterum ad nostros *Jazygas*.

VII. Puto autem ejusdem prosapiæ fuisse hos *Jazygas* cum illis Scythis, quos Herodotus q, partim (γεωργὺς,) *aratores*, partim *nomades* appellat ad Hylæam regionem, ultra fluv. Borysthenem, qui locus est in Scythia Europæa cis Tanaim. Nullibi enim in totâ Europâ (quod sciam,) similes dantur aratores, vel Pecuarii, quàm nostri Jazyges Metanastæ, tempore pacis in Hungaria. Habitasse autem olim *Jazygum* Majores, etiam in partibus Græciæ, alias * dicemus.

VIII. Apparet hoc etiam ex dictis hactenùs, & ex consideratione Linguæ *Jazygum*, eos esse, (quod & ipsi recognoscunt,) ipsissimam genuinam propaginem majorum illorum *Scytharum*, è quibus Natio, quæ nunc peculiari nomine dicitur *Hungarica*, est progenita. Nam linguam per omnia eandem habent cum ceteris Hungaris. Quæ differentia primâ fronte videtur esse in paucis quibusdam voculis, ea non est tanta, ut hîc ad diversitatem sermonis faciendam, recenseri ullomodò mereatur. Nec potest dici; longo jam tempore illos à ceteris Hungaris linguam perdiscere potuisse. Nam

E cum

q. In Melpom. seu Lib. 4. * Inf. cap. 10.

cum seorsim habitent, certè non minùs illi nostram addiscere potuissent linguam ex cohabitatione intra Regnum Hungariæ, quàm Sclavi & Germani, qui (exceptis paucissimis, industriâ, exercitio, & commerciis, utcunque addiscentibus,) nunquam hactenus eam, addiscere potuerunt. Novit unusquisque rerum peritus, ipsaque experientia testatur, quàm difficilè sit alicui, imprimis Nationali multitudini, maternam & avitam linguam amittere, & vicinæ Nationis sermonem penitus imbibere. Scio benè, binas juxta se invicem linguas diversas, per multa secula varie mutari, ut nempe hæc illo, altera verò alio modo succedentibus seculis varietur; (reservatis interim velut fundamenti loco, reliquiis primævæ post confusionem linguarum loquelæ;) at nunquam lego, unam Nationem, in separatis Civitatibus & Villis suis habitantem, alterius Vicinæ Nationis linguam sibi adscivisse, & suam avitam penitus amisisse. Sed & mores verorum & genuinorum Hungarorum, h. e. innata velut Nationi isti hospitalitas & Urbanitas, in peregrinos ac viatores discretos & modestos, conspicua æquè in *Jazygibus*, ac quibuslibet discretis *Hungaris*, satis eos ostendunt, ex eodem sanguine vetustæ Gentis eadem linguâ loquentis, esse progenitos. Ex his jam patet, rectè scripsisse Virum eruditum, Georgium

Wern-

Wernherum, (an. D. 1550.) natione Silesium, (sed incorporatum Hungarum,) *Iazyges r.* in Hungaria, *retinere etiamnum linguam suam avitam*; sed in eo ex ignorantia linguæ nostræ & *Iazygum*, valde deceptus est, quòd tradit eorum linguam esse peculiarem, *Hungarica dissimilimam.* (Eundem errorem, sed alio modo, erravit etiam Ranzanus, dum scripsit, *f. Iazos*, seu Jazyges nostros, esse *Nationem Germanicam.*) Sed rectè & illud censuit Wernherus, quod nostri *Iazyges* sunt iidem, quos Plinius jam olim scripsit, tenuisse *s. Campos & Plana.* Talis enim est hodie nostrorum *Iazygum* in Hungaria regio.

IX. De Daciæ veteris terminis sic scribit Ptolomæus: *t. Dacia definitur à Septentrionibus parte Sarmatiæ, quæ est in Europa, à Carpato monte usque ad finem præfatæ conversionis Tyræ fluvii, cujus gradus sunt,* 53. (long.) & 48. (min.) 30. (Latitud.) *Ab occasu Iazygibus Metanastis, juxta Tibiscum amnem. A Meridie autem eâ parte Danubii fluminis, quæ est à divertigio Tibisci amnis, usque ad Axium † Civitatem, à qua jam Danubius, usque ad Pontum & ostia Ister appellatur. u. Ab Oriente autem terminatur inde Istro fluvio, us-*

E 2

r. Wernh. De admirandis Hungar. aquis sub initium; inter Script. R. Hung. pag. 594. f. Ranz. Epitom. Rer. Hungar. Ind. 1. s. Plin. Hist. Nat. Lib. 4. c. 12. t. Geogr. Lib. 3. c. 8. p. 84. † Axiupolis est Mysiæ inferioris Urbs Ptolomæo. Lib. 3. c. 10. u. pag. 85. Ptolom.

usque ad conversionem, quæ juxta † Dinogetiam Civitatem est, cujus gradus 53. 46. 40. *Præterea Hieraso fluvio, qui juxta Dinogetiam ab Istro exceptus, ad Septentrionem & Orientem fertur, usque ad præfatam conversionem Tyræ fluvii, gradum* 53. (long.) & (Lat.) 48. (min.) 30. *Tenent autem Daciam maximè septentrionales, à plaga Occidentali incipiendo, Anarti, & Teurisci, & Cistoboci. Et sub his, Prendavesii. Et Rhatacensii: & Caucoënsii. Sub quibus similiter Biephi; & Buridensii, & Cotensii. Et sub his; Albocensii, & Potulatensii, & Sensii. Sub quibus maximè Australes sunt, Saldensii Et Ciagesi, & Biephigi.* Recenseo talia populorum veterum hic nomina, ut populares nostri, qui partim Sclavonica loquuntur linguâ in Hungaria, partim Germanicâ veteri tum in Hungaria tum in Transylvania, dum hæc legerint, occasionem inde sumant scrutandi, annon hæc, vel aliqua horum, è veteri ipsorum lingua originem trahant. Ego, quod mei erit instituti, in hanc Historiam exornandam, non deero officio meo, ratione Nominum quorundam vetustissimorum, quę clarè videbo, è nostra lingua sumere originem. Germanica linguâ utentes nostræ Patriæ nativos incolas, præter vetustiores illos, de quibus paulo ante dixi, quod attinet; ego non sine fundamento existimo illos, partim (& qui-

† Δινογετείαν. ‡ Ανάρτοι. Ex Græco *Sine pane.* κιςοβῶκοι. Πρενδαυήσιοι.

(& quidem præcipue) *Alanorum*, una cum *Hunnis* ingressorum in Daciam & Pannoniam, (de quibus paulò infra dicturus sum,) partim *Gothorum*, ab Hunnis tum primitum secundi ordinis è Dacia & Pannonia pulsorum, (qui paucis ante hos annis, tùm à facie primæ classis Hunnorum fugitivi, tùm post mortem Athilæ audaciores facti, halce Regiones invaserant,) esse reliquias: ita ut frustranei sint illorum labores, qui omnem Originem dictorum popularium in Hungaria & Transsylvaniâ, tantùm Caroli M. temporibus & gestis, circ. an. D. 800. volunt adscribere.

X. Sclavos autem nostros, non dubito esse partim Illyriorum & Dalmatarum progeniem, (e quibus & Bohemi, Moravi, & aliqua pars Croatarum,) partim veteris Scythicæ, partim etiam Venedicæ Nationis ad Balticum, partim verò & præcipuè esse reliquias illorum *Budinorum*, (alias *Vidinorum*,) qui cis & ultra Tanaim in Scythia olim habitantes, Alanisque priùs subjecti, una cum Hunnis in Daciam & Pannoniam venere. De his Budinis antiquissima est mentio, etiam apud Herodotum. Utrorumque autem pristina habitationum loca, at fusiùs Alanorum, describit *Ammianus* Marcellinus: (an. D. 378.) cujus verba nostro scopo inservientia, suo loco & tempore producam in medium.

XI. Ut verò lux major terminis Veteris

Daciæ afferatur, eam dabo ejus descriptionem, quæ hisce temporibus faciliùs intelligetur ab illis imprimis, qui nondum ea scientiâ Matheseos imbuti sunt, ut gradus longitudinis & latitudinis (seu elevationis Poli) locorum, mente caperent. Habeto eam sic verbis Cluverii; y. *Dacia terminatur à Septentrione Carpathicis jugis & Hieraso amne; ab Oriente eodem Hieraso & Istro: à Meridie itidem Istro: ab Occidente Patisso* seu Tibisco. Sic ille Ptolomæum secutus. At Abr. *Ortelius*†, in Occidentali termino veteris Daciæ, paulò cis Tibiscum progreditur, & extendit hunc terminum usque ad fluvium *Bodrog*, seu montes in occidentali ripa ejusdem fluvii: ut patet ex ejus Tabula Daciæ & Mœsiæ. Ponit enim *Anartos*, veteris Daciæ populos, inter Tibiscum, & Montes e regione *Bodroghi* ad occasum existentes; circiter in loco, qui nunc esset aliquanto, supra *Ujhely*, (in vicinia *Saros-Patak:*) & paulò suprà veterem à Ptolomæo memoratam Civitatem, *Dociravam*. Et paulò suprà hanc, *Ruconium*. Cetera loca a Ptolomæo memorata, ille quoque ultra Tibiscum ponit. Sed redeo ad Cluverium, qui porro sic pergit: z. *Complectitur hodie Dacia Hungariæ partem, Transylvaniam, Valachiam & Moldaviam ferè totam. Divisa fuit olim in Ripensem,* *Al-*

y. Introd. Geogr. Lib. 4. c. 18. † In Tabul. Geogr.
z. Cluver. loc. cit.

Alpeſtrem & Mediterraneam. Ripenſis eſt, quæ hodie dictam Hungariæ partem complectitur, cum parte Valachiæ. Alpeſtrem nunc incolunt major pars Valachorum & Moldavi.-- Mediterranea, quæ & Gepidia, tota nunc eſt Tranſylvania. Dacia autem, victo *Decebalo* per *Trajanum*, circ. an. D. 102. Romani Imperii provinciis eſt adjecta.

XII. Ex his perſpectum habemus, quænam ſint loca, quæ olim veteres *Hunni* cum ſibi adjunctis, juxta Danubium & Tibiſcum occupavere, & quinam populi, ante eorum adventum illa tenuere. Nunc jam de eo dicendum eſt, quando, unde & quibus cum ſociis, *Hunni* in Pannoniam & Daciam, & Regionem his interjacentem advenerint.

CAP. III.

In quo, *præmissô, quòd recentioribus rerum Hungaricarum Scriptoribus*, Veteres *anteponat auctor; succinctè primò* Hunnorum *cum Alanis & Budinis*, primus *in Europam, ejusque partes*, Daciam & Pannoniam adventus, *panditur: deinde veterum de* Hunniaco *nomine*, & Hunnorum *in* Europam *ac Pannoniam* adventu, *atque etiam in* Orientis *regiones, excursione, testimonia recensentur. Post hæc, vetustissimum etiam de* Hunniaca Tribu Oraculum, *è muris* Chalcedonis *erutum, ex* Ammiano *producitur; idque à censura Viri Doctissimi pro* Hunnis *vindicatur. De sensu* Oraculi, *obiter aliquid subjicitur.*

Narraturus de Hunnis eorumque in Pannoniam adventu, ut Annales Hungarorum, & Scriptores rerum Hungaricarum, *Bonfinium, Turoczium* vel alios sequar, ad hoc me obligare nolo; (salvâ interim per me, imò intimatâ eorum lectione, quibus est copia legendi;) cum sciam ob defectum authorum meliorum juxta se, è quibus informari rectius potuissent, subinde errores non mediocres in re tanta illos commisisse: verùm sequar fideliter ubique (quantùm copia authorum suppetet,) Scriptores illos, qui rebus *Hunnorum* gestis, propinquiores fuere. Habet quidem rivulus, genuinum suum referens

ferens fontem, suam post fontem laudem; at verò semper salubrius est e fonte bibere, quam ex turbidis ejus rivulis. Ex authoribus itaque vetustioribus, antequam eorum verba producam in medium, formâ contractiori, *Hunnorum* in Pannoniam adventum, sic lectori pando.

II. *Hunni* proxime ante suum in Europam adventum, sedes ultra Tanaim & Mæotidem in Asiatica Scythia, procul ad recessus Aquilonares habuere; quibusdam eorum ex adverso, usque ad Caucasum & Caspium mare, extensis. Sic tamen ut tanquam Natio tunc late diffusa & populosissima, non paucos ex suis fratribus ejusdem propaginis & linguæ, cis Tanaim etiam haberet in Scythia Europæa. Quomodo eo utrique pervenerint, ex ante narratis Scytharum veterum, variis migrationibus, facile animadverti potest. *Hunni* igitur Asiatici, ut Martis filii, belli cupidissimi, incitati, non sine nutû tamen divini Numinis †, partim ad effundenda ejus in Orbem Christianum judicia, ob contentiones præsertim & dissidia quæ tunc vigebant in Ecclesia, & ob laxatam in multis ingeniorum luxuriem; partim verò ad maturandam dietim, & procurandam Hunnorum animæ salutem, per conversionem posterorum in medio Christianismi, ne tanta multitudo, in sua cæci-

 tate

† Sic sentit etiam *Baronius*, ad an. 376. n. 7.

tate periret; priſtinas ſuas ſedes, una cum uxoribus, liberis & armentis deſerere, melioremque habitandi locum in Europa quærere, (illis ſine dubio, in Patrio ſolo relictis, quibus placuit illic permanere,) in animum ſibi induxerunt. Quorum primus hunc in finem motus, contigit circa annum D 370. Ut verò hoc ſuum propoſitum commodiùs infinem deducere poſſent, primùm terrore ſuo *Alanos* longè lateque tunc dominantes perculſos & obrutos, (qui etiam ultrà Tanaim præcipuas ſedes habebant infrà Hunnos,) per confœderationem ad ſe pertraxerunt, una cum *Budinis* ſeu Sclavis, qui *Alanis* antecedenter ſuberant. Hoſque jam ſocios nacti, circa an. D. 376. fluvium Tanaim trajecerunt, Nationeſque cis Tanaim ſitas, partim Gothicas partim alias, in fugam verſas, coëgerunt ad Imperatorem Valentem, ſupplices confugere. Et ſi quidem velitationes *Hunnorum* jam ab hoc tempore, adverſus Daciam continuò non defuerint, motuſque eorum & numerus in dies magis & magis auctus ſit: nullo tamen veterum teſtimonio conſtat, eos ante mortem *Theodoſii* M. (qui obiit in Domino, an. D. 395. d. 17. Januar.) *Pannoniam* & *Daciam* penitùs occupaſſe: ita ut præſens fuerit annus Domini circiter 400. mus, quô demùm pro voto in Pannonia & Dacia ſtationes ſuas fixerint.

III. *Hun-*

III. *Hunnorum* nomen primùm invenio apud *Plinium* Seniorem, (qui adhuc vixit, an. D. 78.) qui Hunnos recensens inter Scytharum populos, collocat eos, in interiori planè & orientali Scythia, versus Indos. *a. Ab Attacoris* † (inquit) *Gentes, HUNNI & Tochari: & jam Indorum Casiri, introrsus ad Scythas versi.* Non ignoro, in editione *Delacampii*, exstare loco Hunnorum, *Thyri*; quod est purum putum fictum vocabulum, pro illo loco, ac regione, de cujus Populis illic agit Plinius. Id ipsum quod ex M. S. ibidem pro *Thyri*, in Margine legitur, *Thuni*, ostendit, debere illic legi *Chunos*, h. e. Hunnos. *Thuni* enim nomen, vel *Thunni*, (quòd & *Thyni*,) præter *Hunnos*, vel eos, qui horum nomine corrupto, vel leviter mutato, vocabantur, nullam aliam significat Nationem ‡ apud veteres Scriptores. Facilè hìc *C.* potuit successu temporis mutari in *T.* Post Plinium verò, lego de *Hunis*, seu *Chunis* apud Claudium *Ptolomæum*; quem circa an. D. 140. floruisse, jam diximus. Sic enim in sua Geographia, quorundam *Chunorum*, id est, Hunnorum meminit. *b.* Μεταξὺ ἢ Βαςέρνων καὶ Ῥωξολάνων ΧΟΥΝΟΙ. *Inter Basternas autem & Rhoxolanos sunt CHUNI.* Ubi

a. Hist. Nat. Lib. 6. c. 17. ed. Bas. An. 1525. † Inde à loco Attacororum, sunt &c. ‡ Vide Lindebrog. Not. in Amm. Lib. 31. pag. 207. & Ortel. Thes. Geog. *b.* Geo-graph. Lib. 3. c. 5.

Ubi *Chuni*, sunt ipsissimi *Hunni* ab aliis dicti. Ita enim semper etiam *Gregorius* Thuronensis, an. D. 590. in Historia Francorum, illos vocat, nempe *Chunos.* Apud Amm. Marcellinum etiam, *e.* lego *Chunos* pro Hunnis; licet sæpius *Hunnos* dicat Sic apud *Fredegarium* quoque an. D. 740. & *Aimoinum* Floriac. an. D. 1000. subinde invenio. Id ipsum quoque ostendit genuina origo nominis *Chunorum*, vel *Hunnorum*, ut suo loco declarabitur. Atque hinc factum est, ut subsequentibus temporibus, apud multos Scriptores subinde, simplici *n*, *Hunos* dictos fuisse legamus. Quòd verò Ptolomæus, hosce *Chunos*, seu *Hunos*, quorum facit mentionem,in Scythia Europęa, parte *Sarmatiæ* Europææ, longè cis Tanaim, & paulo ultra Borysthenem fluvium, collocat, ratio hæc est; quia tantùm partis cujusdam Hunnorum, cis Tanaim in Europa habitantis, habebat ille sub hoc nomine, notitiam. At vero longè majorem partem eorum sub titulo Alanorum, ut ad ipsum Alexandriæ in Ægypto degentem, res hæc deferebatur, alio in loco, inter Asiaticos Scythas describit. Describendo enim populos Scythiæ Asiaticæ intra Imaum, sic inter alia scribit: *d. Colunt autem hanc Scythiam omnem versus Septentriones, ad terram ferè incognitam, ii qui COMMUNI VOCABULO, Alani* *Scy-*

e. Lib. 31. *d.* Geogr. Lib. 6. c. 14.

Scythæ nominantur. Atqui constat ex insigni Historico *Ammiano* Marcellino, (cujus verba mox producturi sumus,) terram illam Scythicam Asiæ, versus septentriones vergentem, *Hunnos* tenuisse, cum egressi fuissent ex Asia. Populi illi Scythiæ erant fœcundissimi; ut quidam illorum, tùm cis, tùm ultra Tanaim remotissimè suas sedes haberent. Sic *Alanorum*, vel (ut ille scribit,) *Alaunorum e*, facit mentionem idem Ptolomæus, etiam cis Tanaim. Similiter *Agathyrsorum f*, tum cis, tum ultra Tanaim. Pariter etiam *Hunni* utrinque erant, sed ultra Tanaim longè plures. *Bodenorum*, (ut Ptolomæus vocat,) i. e. *Budinorum*, qui alias *Vidini*, seu Sclavi, semel quidem facit Ptol. mentionem, nempe in Sarmatia Europæa, non longè à *Chunis*; verùm constat ex Marcellino, *Budinos* pariter, etiam in Asiatica Scythia fuisse.

IV. Et si verò in libris veterum, prima mihi hactenus mentio *Hunnorum* apud Plinium & Ptolomæum est inventa; tamen ex Inscriptione quadam antiquissima, Lapidi olim † *Chalcedone* incisa, à me suo loco producenda, colligere possumus, *Huniam* appellationem, longo intervallo Ptolomæi & Plinii ætatem præcessisse; licet *Hunni* antiquissi-

e. Geogr. Lib. 3. c. 5. f. Ibid. & Lib. 6. c. 14.
† Est locus e Regione Constantinopoleos, in Bithynia ad Pontum Euxin.

quissimis temporibus, sub aliis nominibus Scytharum, imo & sub hoc nomine *Hunico*, sed aliter flexo, (ut alio loco * docebimus,) fuerint passim in Mundo clari. Includebatur aliquando pars eorum, etiam sub *Sarmatarum* nomine.

V. Sed pergo jam ad testimonia veterum, de *Hunnorum* motu, & adventû in Europam, producenda. *Ammianus* Macellinus, (circa an. D. 380.) etsi Religione Gentilis, in scientia tamen Historica versatissimus, & ob hoc inter Christianos, melioris notæ Historicis accensitus, dum sementem exitii populorum suo tempore, & cladium originem diversarum rimaretur, primùm etiam ab ipsis *Hunnis* (an. D. 376. primùm in Europam, etiam *Baronii* calculo, g. erumpentibus,) rem aggreditur, antequam de Alanis, & Gothis, quicquam diceret. Sic autem procedit: *h. Hunnorum gens, monumentis veteribus leviter nota, ultrà paludes Mæoticas, glacialem Oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit.* Paulo post. *Sic in sua vita visi sunt asperi, ut neque igni, neque saporatis indigeant cibis, sed radicibus herbarum agrestium, & semicrudâ cujusvis pecoris carne vescantur; quam inter femora sua, & equorum terga subsertam, fotû calefaciunt brevi. Ædificiis nullis*

* Inf. c. 8. g. Bar. Annal. Tom. 4. ad an. D. 376. n. 7. coll. ad an. D. 444. n. 34. h. Am. Marcell. Lib. 31. sub initium.

lis unquam tecti, sed hac velut ab usu communi decreta sepulcra, declinant. -- Semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant. -- Hoc expeditum indomitumque hominum genus, externâ pradandi aviditate flagrans immani, per rapinas finitimorum grassatum & cades, adusque Alanos pervenit, veteres Massagetas: qui unde sint, vel quas incolant terras, consentaneum est demonstrare. -- † Hister advenarum magnitudine fluenti, Sauromatas pratermeat, ad usque amnem Tanaim pertingentes, qui Asiam terminat ab Europa. Hoc transito, in immensum extentas Scythia solitudines Alani inhabitant, ex montium appellatione cognominati; paulatimque Nationes conterminas, celebritate victoriarum attritas, ad gentilitatem sui vocabuli traxerunt, ut Persa. Inter hos (nempe Alanos,) *Neuri mediterranea incolunt loca, vicini verticibus celsis, quos praruptos, geluque torpentes aquilones adstringunt. Post quos ‡ Budini sunt & Geloni perquam feri, -- bellatrix gens.* Et paulo infra, iterum de Alanis. *Parte alia propè Amazonum sedes †, Alani sunt, Orienti adclines, diffusi per populosas gentes, & amplas, Asiaticos vergentes in tractus, quas dilatari ad usque Gangem accepi fluvium.* Et aliquanto infra describit Alanos, comparando ex parte eos Hunnis. *Proceri autem* (inquit) *Alani*

† Deest aliquid ante hæc verba in editis exempl. ‡ In edit. Lindebrog. Legitur, *Vidini.* † Ubi nempe quondam habitarunt Amazones, postquam a Thermodonte fluvio migrarunt.

ni penè sunt omnes & pulchri, crinibus mediocriter flavis, oculorum temperatâ torvitate terribiles, & armorum brevitate veloces, Hunnisque per omnia suppares, verùm victû mitiores & cultû; latrocinando, venando, ad usque Maotica stagna & Cimmerium Bosporum, itidemque Armenios discurrentes, & Mediam. Hæc de *Alanis*, cum ad scopum meum spectent, in medium producere consultum duxi. Persuasum enim mihi habeo, (quod facilè mihi esset firmiter probare,) nobiliorem & præcipuam partem, linguâ veteri Germanicâ loquentium in Hungaria & Transylvania, esse veterum Alanorum reliquias. Totus eorum vestitus, (una cum armatura,) non à novis in Europa Hunnis, mutuatus, sed ipsis perinde ut nostris avitus & antiquissimus, arguit ex Asia aliquando in Europam talem eos habitum attulisse. [Illud unum sanè rectè observavit jam olim Marcellinus, quod in victû & cultû mitiores sunt *Alani* quàm *Hunni.* Faxit Deus ut imposterùm & excedentes excessum in victu ac cultu corporis deponant, & utrique majorem quàm hactenùs, servent temperantiam.] Redit verò iterùm ad *Hunnos* Marcellinus, atque sic scribit.

VI. *Sed ad reliqua* (inquit) *textûs propositi revertamur.* Igitur *Hunni pervasis Alanorum Regionibus, (quos Greuthingis † confines, Tanaitas con-*

† Greuthingi sunt Gothica gens.

consuetudo nominabat,) interfectisque multis & spoliatis, reliquos sibi CONCORDANDI FIDE pactâ, junxerunt: eisque adjunctis, confidentius, Ermenrichi latè patentes & uberes pagos, (nempe in Europa cis Tanaim,) *repentino impetu perruperunt, bellicosissimi Regis, & per multa, variaque fortiter facta, vicinis Nationibus formidati. Qui vi subita procella perculsus, — magnorum discriminum metum, voluntariâ morte sedavit. Cujus post obitum, Rex Vithimiris creatus, restitit aliquantisper Alanis,* † *Hunnis aliis fretus, quos mercede sociaverat partibus suis. Verùm post multas, quas pertulit clades, animam effudit in prælio, vi superatus armorum.* Infra deinde, de *Athanarici* Thervingorum Regis clade ab Hunnis accepta, scribit: *Hunni* (inquit) *ut sunt in conjectura sagaces, multitudinem esse longiùs aliquam suspicati, prætermissis quos viderant, -- Athanaricum ipsum ictû petivere veloci. Eumque stupentem ad impetum primum, amissis quibusdam suorum, coëgerunt ad effugia properare montium prœruptorum. &c.* In sequentibus describit Gothorum ab Hunnis sedibus suis pulsorum, ut supplicum, irruptionem in Thraciam, & subsecutum inde bellum Romanis luctuosum, Valentisque Imperatoris interitum; qui contigit, an. D. 378. De Hunnorum autem in Daciam & Pannoniam adventu nihil speciatim

† De Hunnis Europæis, seu Cis-Tanaitis hoc intellige.

ſcribit; niſi quòd *Chunorum*, (h. e. Hunnorum) & *Alanorum aliquos, ad ſocietatem* à Gothis *ſpe prædarum ingentium adſcitos*, obiter interſerit: cujus cauſam hanc eſſe non dubito, quòd Marcellinus priùs è vivis eſt ereptus, quam *Hunni* & *Alani* pro voto pleniori, in *Daciam* & *Pannoniam* adveniſſent.

VII. Paulus autem Oroſius, (S. Auguſtino charus, an. D. 425.) ſic de hac primâ Hunnorum eruptione, (an D. 376. factâ,) ſcribit: i. *Tertio decimo anno Imperii Valentis, h. e. parvo tempore, poſteaquam Valens, per totum Orientem, Eccleſiarum lacerationes, Sanctorumque cædes egerat, radix illa miſeriarum noſtrarum, copioſiſſimos ſimul frutices germinavit. Si quidem Gens Hunnorum, diù inacceſſis ſecluſa montibus, repentinâ rabie percita, exarſit in Gothos, eoſque ſparſim conturbatos, ab antiquis ſedibus expulit. Gothi tranſito Danubio fugientes, à Valente ſine ullâ fœderis pactione ſuſcepti, ne arma quidem, quô tutiùs barbaris crederetur, tradidere Romanis: deinde propter intolerabilem avaritiam Maximi Ducis, fame, & injuriis adacti, in arma ſurgentes, victo Valentis exercitû, per Thraciam ſe ſe miſcentes, ſimul omnia, cædibus, incendiis, rapiniſque fœdarunt.*

VIII. Quid dehinc Hunni cum Alanis (poſt mortem Valentis, h. e. poſt an. D. 378.) fecerint, ex vetuſto authore, Hiſtoriæ Miſcel-

i. Oroſ. Hiſt. lib. 7. in Geſtis Valentis.

Miscellæ, (quæ vulgò Paulo *Diacono* adscribitur,) ex parte colligere possumus. Sic autem ille scribit: *k. Gratianus post mortem Valentis sex annis Imperium tenuit.* Et paulò post. *Gratianus cum animadvertisset Thraciam Daciamque tanquam genitales terras possidentibus Gothis Thaysalisque, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis, extremum omni Romano Imperio periculum instare, relictâ Italiâ, in PANNONIAM venit.* Patet ex his, nondum Pannoniam hoc adhuc tempore, ab Hunnis fuisse occupatam. In Daciam tamen pedes suos jam imposuisse, & alternatim, cum Gothis Thajfalisque, eam vastasse, apparet. In sequentibus etiam, alias potiùs Romanorum curas & expeditiones describit Author ille, quàm contra Hunnos susceptàm. Post obitum tamen Theodosii M. hoc est, an. D. 395. subjicit eam de Hunnis mentionem, ex qua colligere possumus, Romanos, contra varios Imperii hostes, illo tempore distractos, paulatim jus suum è Dacia & Pannonia cessisse Hunnis. Sic autem scribit: *l. Milites Rufinum, Præfectum Imperatoris*, (Arcadii,) *peremerunt. Erat enim suspectus, quasi Tyrannidem meditaretur assumere. Dicebatur autem, quia HUNNOS ipse in Romanorum provincias evocasset, qui tunc Armeniam & partes Orientis valde vastabant.* Hoc de mentione

 Orien-

k. Hist. Misc. Lib. 12. in Gratiano. *l.* Hist. Miscell. Lib. 13. pag. 411. edit. Basil. 1569.

Orientis ita intelligo, quod tempore Arcadii an. D. 395. tum adversùs Pannoniam, tum adversùs Orientis populos pugnabant Hunni, ut infrà latiùs patebit; sed hoc tempore, (nempe an. 395.) majores suas vires, in Orientem transtulerant, ac ibi rebus suis (vastando & spolando) peractis, redierunt versùs Pannoniam; ut jam circa an. D. 400. totâ Dacia, & parte Pannoniæ, potiti fuerint.

IX. Sanctus Hieronymus, (qui an. D. 420. migravit ad Dominum,) tum sedes pristinas eorum, tum grassationes in Oriente, an. D. 395. factas, Bethlehemi tunc ipse existens, hoc modo describit: *m. Quærentibus nobis, dignum tantæ fœminæ* (Fabiolæ) *habitaculum*; -- *ecce subitò discurrentibus nuntiis Oriens totus intremuit, ab ultima Mæotide inter glacialem Tanaim, & Massagetarum immanes populos, (ubi Caucasi rupibus, feras Gentes Alexandri claustra cohibent,) erupisse HUNNORUM examina, quæ pernicibus equis huc illucque volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complerent.* Et paulò post. *Abigat Iesus ab Orbe Romano, tales ultrà Bestias. Insperati utique aderant, & famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miserebantur infantiæ. - Consensus*

m. Hier. Tom. 1. Epist. in Epitaph. Fabiolæ. De anno autem assignato, consule Baron. Annal. Tom. 5. ad an. D. 395. n. 13.

ſonus inter omnes rumor, petere eos Hieroſolymam, & ob nimiam auri cupiditatem, ad hanc Urbem percurrere. Muri neglecti pacis incuriâ, ſartiebantur: Antiochia obſidebatur: Tyrus ſe volens à terra abrumpere, inſulam quærebat antiquam. Tunc, & nos compulſi ſumus, parare naves, eſſe in littore, adventum hoſtium præcavere. Et alibi de eadem irruptione Hunnorum. *n. Immunis* (inquit) *ab ipſis malis videbatur Oriens, & tantùm nunciis conſternatus. Ecce tibi anno præterito, ex ultimis Caucaſi rupibus, immiſſi in nos, non jam Arabia, ſed Septentrionis lupi, tantas brevì provincias percurrerunt. Quot Monaſteria capta? quanta fluviorum aquæ, humano cruore mutatæ ſunt? Obſeſſa Antiochia & Urbes reliquæ, quas Halys, Cydnus, Orontes, Euphrateſque præterfluunt. Tracti greges Captivorum: Arabia, Phœnice, Palæſtina, Ægyptus, timore captiva.* Quantas autem vaſtitates, intra aliquot annos Daciæ, Pannoniæ, ac finitimis intulerint, (cœpta ſemel bella continuando,) ſic deſcribit: *o. Viginti* † *& eo amplius anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim & Alpes Iulias, quotidie Romanus ſanguis effunditur. Scythiam,* (nempe Europæam,) *Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctaſque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Ala-*

n. In Epitaphio Nepotian. ad Heliodor. o. Ibid. in præcedent. † Videtur hæc *Hieron.* an. D. 397. aut ſub fin. an. 396. ſcripſiſſe.

Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni, vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaque corpora, his belluis fuere ludibrio? Capti Episcopi, interfecti Presbyteri, & diversorum officia Clericorum. -- Ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Romanus Orbis ruit, & tamen cervix nostra erecta non flectitur. Sic videmus, occulto & justissimo Dei judicio, belluinas hasce Gentes, inter se ad hoc velut conspirasse, ut una alteram vastantem & prædantem sequeretur, vel una alterius exemplo, sive metû, ad prædandum incitaretur. Sic *Hunni* primùm ultra Tanaim excitati sunt, hos deinde imitatæ aliæ Nationes, partim eis junctæ, partim verò ab eis divisæ. Nondum tamen ex hactenùs productis testimoniis liquet, jam hoc tempore Hunnos, utramque Pannoniam pro sedibus sibi occupasse; sed hoc tantùm patet, quod jam prædando & vastando eam percurrerint.

X. Superioribus consona de Hunnis scribit etiam *Philostorgius*, (qui vixit circa an. D. 425.) inter gesta, temporibus Valentis. p. *Scythæ* (inquit) *qui trans Istrum positi sunt*, (scilicet Europæi,) *ab Hunnis bello appetiti, & sedibus suis expulsi, in Romanorum ditionem, specie amicitiæ trajecerunt.* † *Porrò*

p. Hist. Eccl. Lib. 9. §. 17. juxta edit. Vales.

† *Porrò Hunni*, (vel Unni) *iidem videntur esse, quos antiqui Neuros nominabant, ad Ripæos* ‡ *montes siti.* Quid verò tempore Arcadii circa an. 395. prædicti Hunni, tum in Europa, tum in Asia fecerint, idem *Philostorgius*, sic describit. * *Hunni, qui Scythiam quæ trans Istrum sita est*, (Europæam nempe,) *occupaverant priùs ac devastaverant, postea amnem gelû constrictum trajicientes, in Romanorum ditionem irruperunt, & per universam Thraciam diffusi, totam Europam depulati sunt. Hunni autem Orientales, trajecto* † *amne Tanai, in Orientis provincias effusi, per majorem Armeniam, in Regionem, quæ Melitene dicitur, irruerunt. Exinde Euphratensem aggressi, ad Cœlesyriam usque penetrarunt: & percussâ Cilicia, incredibilem hominum cædem perpetrarunt.* Hæc ille.

XI. *Hunnos* cum Alanis & cæteris sibi fœdere junctis, circa an. D. 404. & 405. eous-

F 4 que

†. Græc. εἶεν δ' ἂν Οὖννοι, οὓς οἱ παλαιοὶ Νευροὺς ἐπονόμαζον. Est horum mentio antiquissima apud Herodotum, qui eos Νευροὺς vocat. Lib. 4. in Melpom. ‡ Medietas horum est in grad. long. 63. & lat. 57. m. 30. Ptol. Geogr. Lib. 3. c. 5. Hos tamen montes esse fabulosos & fictos, jam docti notarunt. * Philost. Lib. 11. §. 8. † Philostorgius aut situm Tanais non benè tenebat, aut ignorabat, maximam partem Hunnorum ultra Tanaim olim fuisse: quibus in orientis partes euntibus, non erat necesse Tanaim trajicere, nisi illis, quos è citeriori parte, secum auferre volebant.

que jam processisse, ut Daciam atque etiam Pannoniam, si non in totum, magnâ tamen ex parte tenerent, apparet ex eo, quòd ex hoc tempore, Christianis, contra *Radagaisum*, immanissimum Scytham & Paganum Gothum, anno 405. in Italiam irrumpentem, suppetias tulerint. Quod ex eo factum, quod jam tunc, aliqua sine dubio transactio inter ipsos & Christianos intercesserit, saltem ad tempus. Sic de hac re scribit Orosius: *q. Conceduntur quidem, adversus immanissimum illum hostem Rhadagaisum, aliorum hostium cum copiis suis inclinati ad auxilium animi. Ad sunt Uldin & Sarus Hunnorum &* † *Gothorum Duces, præsidio Romanorum.* Cum dicit *inclinatos* Hunnorum & Sociorum Scytharum *animos, ad auxilium* Christianorum, satis innuit, jam tunc deferbuisse eorum furorem, eo quod quæsitam & desideratam terram, præ manibus haberent. Et sanè aliorum etiam quorundam Scythicæ originis populorum, hunc genium observare multi mecum potuerunt, quòd dum ipsi

† Eorum nempe, qui jam se Hunnis, vel conjunxerant, vel saltem fœdere aliquo ipsis amici erant. Multi enim & varii erant Gothi. Paulus Diaconus, *Hunnorum* tantùm Duces fuisse scribit, hos eosdem nominando: Histor. Miscell. Lib. 13. pag. 417. in octav. *Conducuntur* (inquit) *à Romanis, adversùs Rhadagaisum, Gothorum Regem, duo Pagani Duces, Sarus & Vldin Hunnorum.* Orosium tamen hîc potiùs sequor.

ipsi in statione aliquâ suà, possunt securè manere, & necessaria vitæ habere, cessant à furore; (præsertim Religionem Christianam turbare,) imò incipiunt paulatim mites & benigni in Christianos fieri. Quòd Hunni quoque olim cum aliis Scythis, id paulatim fecerint, apparet ex sequentibus Orosii verbis; r. *Continuò Barbari execrati gladios suos, ad aratra conversi sunt, residuosque Romanos, ut socios modò & amicos fovent; ut inveniantur jam qui malint inter Barbaros pauperem libertatem, quàm inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere.* A Wandalis quidem ad hæc dicenda Orosius sumsit sibi occasionem; verùm mox in sequentibus, ubi lucrum Ecclesiæ ex Gentibus tangit, *Hunnos* non solùm memorat, sed primo loco ponit.

XI. Quid in sequentibus Hunni egerint, paulò post referam. Hoc unum hâc vice dicam: Atila, non tam citò cœpit celebris in Mundo esse, quàm hactenùs tradunt Annales Hungarici. Adhuc enim ad annnm (405.) paulò antè consignatum, nondum ulla ejus mentio apud Veteres (quod sciam) Scriptores exstat. *Orosius* sanè, qui res Paganorum gestas adversùs Christianos, breviter quidem, sed diligenter descripsit, & ad annum D. 416. suam Historiam continuavit, ne verbo quidem *Atilæ* meminit. Seriùs ergò cœpit gestis

 suis

r. Hist. Lib. 7. non longè à fin. in gestis Honorii Imperat. circ. an. D. 415.

ſuis inclareſcere, etiamſi apud *Hunnos*, citiùs dignitatem aliquam ſit conſecutus. Antequam vero de illo aliquid dicam, prὸducam hic in medium, Inſcriptionem quandam vetuſtiſſimam, oſtendentem familiæ & proſapiæ *Hunniacæ* antiquitatem; cujus jam ante feceram aliquam mentionem.

XIII. Cum circiter anno D. 367. Thermæ quædam reparandæ eſſent Conſtantinopoli; in earum ædificium, muri quidam veteres, Chalcedone, è regione & in vicinia Urbis Conſtantinopoleos diruuntur, atque inde lapides afferuntur. Inter illos repertus eſt lapis, qui verſibus Græcis, oraculum de futuris *Hunniacæ* proſapiæ rebus continebat, à Vatibus Ethnicis olim conſcriptum: quod *Ammianus* Marcellinus, tanquam homo religione Ethnicus, (Chriſtianis tamen amicus & ſ. modeſtiſſimus in illos,) temporibus iis applicabat, quibus Hunni, (quos, alii ſecuti,) ad invadendos Europæos, è ſuis ſedibus excitati ſunt. Referam ejus verba antequam verſus oraculi pandam, quibus ille & occaſionem narrat inventi oraculi, & deſcendit ſuo ſcopo congruenter, ad verſus oraculi producendos. s. *Interea* (inquit) *& fortuna volubilis rota adverſa proſperis ſemper alternans, Bellonam*

ſ. Judicium Aadriani Valeſii, de Ammian. Marcellino; ex ſcriptis ejus vide in. Præfat. ipſius in Marcell. s. Ammian. Lib. 31. c. 1.

lonam furiis in ætatem adſcitis armabat, mœſtoſque ad Orientem tranſtulit eventus, quos adventare, præſagiorum fides clara monebat & portentorum. Poſt multa enim, quæ Vates augureſque prædixere veridicè, reſultabant canes ululantibus lupis, & querulum quiddam nocturnæ volucres † *gemebant & flebile, & ſqualidi Solis exortus hebetabant matutinos diei candores. -- Denique cum Chalcedonos ſubverterentur veteres muri, ut apud Conſtantinopolim ædificaretur lavacrum, ordine reſoluto ſaxorum, in quadrato lapide, qui ſtructurâ latebat in mediâ, hi Græci verſus inciſi reperti ſunt, futura plane pandentes:* †.

Ἀλλ' ὁπόταν νύμφαι δροσεραὶ κατ' ἀστυχορείας,
Τερπόμεναι στροφοῶνται, ἐϋστεφέας κατ' ἀγυιάς,
Καὶ τεῖχος λουτροῖο πολύστονον ἔσσεται ἄλκαρ·
Δὴ τότε Οὔνια φῦλα πολυσπέρμων ἀποροῦσι.
Ἴστρου καμψιρόοιο πόρον περάοντα σὺν αἰχμῇ.
Καὶ Σκυθικὴν ὀλέσει χώρην, καὶ Μυσίδα γαίην;

Παίονα

†. al. *tinniebant*, apud Vales. †. Verſus hi ſunt, juxtà edit. Accurſii; Francof. An. 1588. Lib. 31. Ammian. Confer etiam editionem Lindebrogi, An. 1609. Hamb. & ed. Gruteri an. 1611. Hanov.

Παίονα θ' ἱπποβάτην σὺν κέλταις μαινομένοισι·
Ταὐτὸν καὶ βιότοιο τέλος καὶ δῆσις ἐφέξει.

Quos ſoluto ſtylo, fideliter, juxtà Græci textus tenorem, ſic verto in Latinum:

At cum Nympha roſcidæ ſecundum Urbis choreas,
Lætantes circumagentur, benè-coronatos juxtà vicos;
Et murus, lavacri cauſâ, multorum lapidum minuetur tutamen;
Sanè tunc UNIÆ † *Tribus multi-ſeminis, tranſibunt*
Iſtri curve-fluentis meatum ‡ *tranſeuntem, cum cuſpide.* *
Et Scythicam perdent Regionem, & Myſiam terram;
Pæonemque equitantem, cum Celtis furentes invadent.
Huncque (nempe Pæonem) *vitæ* (Bellicoſæ) *finem, etiam fatum (*illis) *imponet.*

Illicò Græcis verſibus ſubjicit Marcellinus: *Totius autem ſementem exitii, & cladium originem diverſarum, quas Martius furor, incendio ſolito miſcendo, cuncta concivit, hanc comperimus cauſam. HUNNORUM gens, monumentis veteribus leviter nota*

†. Pro, *Hunniacæ*, in plural. ‡. H. e. vadum.
*. Hoc eſt, armati telis & gladiis.

nota, †. *&c.* Cetera huc ſpectantia, jam ſuprà produximus in medium.

XIV. Ideò autem verſus hoſce cum connexis retrò & ante *Ammiani* verbis, ſiſto oculis lectoris, ut unuſquiſque videre poſſit, Ammianum non tantum in genere ad tumultus Gentium illius temporis, è ſuis oraculis demonſtrandos, protuliſſe eos in medium, ſed ſpecialius etiam ad primariam illorum tumultuum originem (nempe in Hunnis & per Hunnos) detegendam, ſuæ Hiſtoriæ inſeruiſſe. Id enim diſerte ejus verba, & ſcopus proximus oſtendunt. Unde non poſſum non valde mirari doctiſſimum Henricum *Valeſium*, (quem ceteroquin ob ſingularem eruditionem & candorem, in magno pretio habeo,) quod maluerit, aut ad cojecturam huic loco minus aptam, nec ab ipſo roboratam, confugere, ut non ἄνια φῦλα, ſed potius δηΐα φῦλα, h. e. hoſtiles vel bellicoſæ tribus, ſit hic legendum: vel verò fictam Socratis & aliorum Græcorum poſt ipſum lectionem huc transferre, nempe ut ſit μυρία φῦλα, h. e. proprie *decem mille tribus*, vel Synecdochicè innumerabiles tribus; quàm veram, genuinam, non coactam, ſed ultrò rebus aptam, *Ammiani* Socrate antiquioris, & dirutis

†. Leviter notam olim cum dicit, ſubinnuit fuiſſe tamen aliquo modo notam; ut vel hoc oraculum oſtendit.

dirutis Chalcedonos muris contemporanei lectionem, à Mariangelo *Accursio*, ex Bibliotheca Augustanâ Vindelicorum, primùm editam, & à Lindebrogio, *Grutero* aliisque tandem acceptatam, retinere. Atque insuper, adjecit secundâ manû hujusmodi notas: *Certè* (inquit) ἔνια φῦλα *ferri non potest, cum hic de Gothis sermo sit, non de Hunnis.* Quæso! annon apertè & immediatè *Ammianus*, post recitatos Græcos oraculi versus, suam narrationem incipit ab *Hunnis*, multis & prolixè eos describendo, ac tandem ostendendo, quomodo illi *Gothos* ad eas angustias deduxerint, ut cogerentur ad Imperatorem *Valentem* confugere, unde iterùm brevi alia mala subsecuta fuerint? Rectiùs hîc censet insignis Annalista *Baronius*, qui ad hanc, quam hic de Hunnis propugnamus mentem † *Ammiani* respexisse videtur, in iis, quibus Hunnorum primum in Europam ingressum pandit. *Quod ad res Orientis* (inquit) *pertinet; Hæc ex Ammiano collegimus: prodigioso quodam motû, SED NON NISI NUMINE IMPELLENTE, HUNNOS ultra paludes Mæoticas incolentes, in Alanos -- irrumpentes, -- descendisse in Regiones trans Istrum.* (Hoc tamen, quòd dicit ibidem eos ab Alanis *repulsos*, planè contra mentem ‡ Ammiani adjicit.) Porrò quam sit insul-

† Annal. Tom. 4. ad An. 376. §. 7. ‡ Vid. supr. verba Amm. parag. 6.

insulsa lectio illa, quam *Henr. Valesius* in MS. *Florent.* & *Hadr. Valesius* in MS. *Colbert.* repererunt, satis superque patet ex ipsa inspectione. Scribunt enim esse illic δνια φῦλα. Atqui δνια, est merum figmentum, & nihil significans apud Græcos. Ea ipsa lectio ostendit, non μυρία olim fuisse, (ut apud Socratem, Cedrenum, Zonaram & Callistum inepte legitur,) in Am. Marcellino, sed οὔνια, uti editum est ab *Accursio*, & qui eum secuti sunt. Tres enim literæ in fine & medio, νια, judicioso lectori hoc liquidò suadent. At verò cum imperiti aliqui transcriptores, legendo forte assequi non possent, initialem diphtongum OΥ, (sive ȣ,) quidnam ea esset, sive quòd erasa ac detrita fuerit in exemplari, quo utebantur, sive alia causa hic intervenerit, legerunt & scripserunt pro OΥ, consonantem δ, sicque fictam vocem per errorem substituerunt. Quàm inepti autem fuerint olim plerique, & quàm ignari linguæ Græcæ, ejusmodi transcriptores seu librarii, satis nos de hoc docere potest, vel illud ipsum, quod hic citatur à Valesio MS. exemplar Ammiani *Florentinum*, quô præcipuè usus est *Lindebrogius*. Quid enim quæso illud est, (ut in Variis in Ammianum Lectionibus a Lindebrogio editum,) in Codice Florentino, ΣΤΡΟΦΟΝΦΕΣ, imò ob nimiam Σ, elongationem a Τ, & cum præcedenti voce conjunctionem, plane

ΤΡΟ-

ΤΡΟΦΟΝΦΕΣ, (τροφονφες,) quid inquam eſt ad hoc, ut ſignificet ϛροφοῶντες vel ϛροφόντες? Quid TIXCCA, (τιχσσα) pro τεῖχος, *murus*? Quid φyαλa (φυαλα) pro φῦλα? Illud quoque ſuum fictum δνια, quam belle ſcripſerit Librarius ille, literis partim Græcis, partim Latinis, (dNIa,) legenti perſpicuum eſt. Atque hinc Lindebrogius, maluit potius Accurſianæ editioni acquieſcere, quam ex ficto illo δνια, aliud præterquam ἔνια, divinare. Sic enim & ille, in ſerie Hiſtoriæ Ammiani, verſum huc ſpectantem habet:

Δὴ τότε Οὔννια φῦλα πολυσπέρμων ἀπορῦσι.

XV. Quod *Zonaras*, *Cedrenus*, & *Calliſthus*, non potuerint Socratem ex Ammiano corrigere; ratio in promptu eſt; quia *Ammianum*, qui Hiſtoriam ſuam Latine ſcripſit, in hanc rem conſulendum, minime putarunt. Et non dubito, eos ne fando quidem de hoc audiviſſe, an unquam *Ammianus* Marcellinus, verſus illos viderit, & ſuæ Hiſtoriæ inſeruerit. Quod vero in Socrate, Hiſtorico ceteroquin laudabili, (qui floruit an. D. 440.) verſus illi tantâ cum mutatione comparent; unuſquiſque prudens facile conjiciet, conſulto, & cautione quadam, vel in lapide, vel in exſcriptis exemplaribus, quædam ab ipſis Chriſtianis, mutata in illo oraculo fuiſſe: ne fama illius oraculi non mutati, citiùs in aures Hunnorum perveniens, majores ipſis animos adderet.

deret. Vivebat enim Socrates Historicus, eo plane tempore, (sub Theodosio juniore,) quo Atila tributo onerabat Romanum imperium. Nec illud ferendum est in Socrate, quod mentio quoque *Celtarum*, penitus expuncta est apud eum in productione horum versuum, & pro σὺν κέλταις, scriptum est σὺν ἐλπίσι, *cum spebus*. Certè etiamsi de fide & authoritate Historicorum in hac re disquirendum esset, tamen *Ammianus* quà Historicus, in horum versuum productione, longe præferendus esset Socrati; ut qui non solum antiquior Socrate, sed & rerum multarum experientiâ in Oriente, instructus fuerit. Nec etiam ullo modo partibus *Hunnorum* hac in re studuit; quibus plane e stomacho se contrarium fuisse prodidit. Imprimis, quòd *Hunni* & alii Scythæ, aliorum Ethnicorum simulacra & ritus non habuissent, accusat illos, quod *t. nullius Religionis vel superstitionis reverentiâ districti* fuerint. Cur porro, ὕνια *Unia* hîc, non vero *Umnia*, per duplex *n* scribatur, alibi, in Origine nominis *Hunnorum*, luculenter patebit. Frequens est etiam apud posteriores, ut jam dictum, nomen *Hunnorum*, per simplex *n*, scribi. Sufficit nobis ad scopum nostrum, ex vindicatis hisce versibus, ut genuinus edidit *Ammianus*, patere denominationem *Uniacæ*, vel *Huniacæ* prosapiæ, seu familiæ celebris

t. Amm. Marc. Lib. 31.

apud veteres Scythas, longo intervallo præcessisse, non solum seculum quartum, sed & seculum tum Ptolomæi, tum etiam Plinii, h. e. tum secundum, tum primum; non obstante, quod Scytharum præcipua & valdè memorabilis pars, serius tandem illo nomine cœpit vocari. Inter rudera enim *Veteris muri* diruti, lapis ille versus exhibens, dicitur esse repertus, non solum apud *Ammianum*, sed & apud Socratem. Unde, quam multorum annorum, imo & seculorum colligi potest antiquitas! Certe S. *Hieronymus*, vir ceteroquin, (ut notum est) plurimæ lectionis & profundæ eruditionis, non dubitat dicere, *Hunnorum* fuisse *gentem*, etiam veteres illos Scythas, qui annis circiter 633. ante natum Christum, Asiæ * imperium per aliquot annos tenuerant, atque etiam Ægyptios suo terrore, ad obsequii & munerum contributionem adegerant. Verba Hieronymi, (postquam dixisset, ab *ultima Maotide*, *Hunnorum examina erupisse*,) hæc sunt: ‡ *Hanc gentem Herodotus refert, sub Dario Rege Medorum viginti* † *annis Orientem tenuisse captivum*, *& ab Ægyptiis atque Æthiopibus annuum exegisse vectigal.*

XVI. Quod

* Vid. Herod. Lib. 1. in Clione, & Lib. 4. in Melpom. ‡ Hieron. ad Ocean. in Epitaph. Fabiolæ. † Sive lapsû memoriæ ab Hieronymo fit, sive ab incuria Librariorum, supra viginti, *octo* hic desiderantur. Ita enim habetur apud Herodotum, (nempe 28.) loc. cit.

XVI. Quod verò attinet ſenſum Oraculi; eum hîc ventilare inſtituti mei ratio non requirit. Hoc unum tantum dico; verba Oraculi uti ſonant, nondum eſſe plenè impleta. Diabolus enim uti Simia Dei, novit futura, etiam in remotiſſima tempora, tortuoſe licet & perplexè ſuo more prædicere. (Qui, an poſſit aliquando veritatem prænunciare, de eo dixi quædam, in Clavi mea Prophetica.) Certe quod dicitur in Oraculo, *Hunniacam* Nationem, tranſituram *Iſtrum*, id eſt Danubium, & perdituram *Scythiam*; atque inſuper, quod Hunni *Celtas* habituri eſſent ſocios in hac ſuâ expeditione, hoc non eſt olim impletum. Scythia enim, quam *Hunni* Scythæ cum Alanis ceteriſque, vaſtarunt olim, & ſibi ſubjecerunt cis Tanaim, non ultra, ſed cis Danubium fuit & eſt. Ubi enim Danubium tranſierunt, illic Myſiam, Thraciam, & alia, quæ jam a multis ſeculis non Scythiæ pars ſunt, vaſtabant. Perdent ergò tunc ſpirituali ſenſu Scythiam Hunni & alii Chriſtiani, quando Deus excitabit animos Chriſtianorum Hungariæ Regum, & omnium eorum, ad quos hæc cura propagandæ pertinet Eccleſiæ, ut terrena Scythicæ originis populorum, nempe Turcarum & Tartarorum pectora, & regnantes in ipſis errores, gladio ſpirituali deſtruantur. Ad hoc conducet, modis omnibus, ubi opportunitas

dandarum iis conditionum se offert, Christianam Religionem, primariâ curâ illis commendare & offerre: ad minimum postulare primùm, dari ab ipsis libertatem suis popularibus, si velint religionem amplecti Christianam. Etiamsi aliquoties in hoc repulsam apud ipsos pateremur, tamen nostrum est, iteratis atque iteratis vicibus, modum conversionis illorum quærere, occasiones captare, & experiri subinde, quid ipsis prodesse possimus. Etiam de jure nostro in externis, debemus aliquid tunc remittere, dum ex certis indiciis videmus, nos non posse alia viâ, saluti Paganorum consulere. Exuent tunc barbaram feritatem & superbiam, ubi Christi jugo incipient colla sua submittere. Tempus certè jam ipsorum, à Muhammede ut ajunt, de feliciori Religionis eorum successu, præfixum, h. e. tempus annorum 1100. Arabicorum, (de quibus frequentissimè ex *ore Agriensium* & *Hatvaniensium* anteà *Turcarum*, audivi,) expletum est: quod ad ipsos, (ad hominem ut loquuntur,) firmum esse debet argumentum. Experiantur candidi Doctores, & Dei gloriam amantes, datâ occasione totis viribus Religionem Christianam illis prudenter insinuare; videbunt paulatim melius incipere sentire illos, de Christiana religione. Sed hoc summopere studeant, ut cultum Divinum ritû & formulâ Christianorum,

quàm

quàm antiquissimâ fieri potest, ipsis simpliciter & nude proponant; ne quo pacto etiam à mitioribus, novitate quapiam, nec in Mosis, nec in Jesu doctrina exstante, offensis, facilè repulsam patiantur. Sed hæc velut in digressu satis. Venio nunc ad *Athilam*.

CAP. IV.

In quo, *res* Athilæ, *succinctè & fideliter* Prisco *praeunte, enarrantur. Prædecessor Athilæ* Rua. *Regia* Athilæ *in* Jazygum *regione; quod iter Legatorum ad* Athilam, *ostendit. Athila* Pannoniam *tenuit. Marcellinus* Comes *notatur. Quid de* morte Athilæ *sentiendum, in ulteriora hujus cap. differtur. Ubi quædam* virtutes Athilæ *obiter referuntur. Mortuo* Ruâ, *Legatio ad* Athilam *decernitur.* Tributa *à Romanis pendi Hunnis solita.* Insidiæ *in* Athilæ *vitam. Insidias cognitas*, Athila *sic generosè contemnit, ut tamen* Theodosium *juniorem falsè de iis reprehenderit.* Convivium Athilæ *cum Legatis in sua Regia, ejusque magna in victu* temperantia, *in amictu* frugalitas, *ac in moribus* gravitas. *Humanitas* uxoris Athilæ, *in Legatis convivio excipiendis. Iterum* Athilæ *in Legatos amica* hospitalitas. *Hungaris* Athila exemplum temperantiæ *in convivio. Veteres quoque* Scythæ, *teste Herodoto*, bacchandi *consuetudinem detestabantur.* Athila *etsi modestus*,

Dei tamen flagellum *agnoscitur. Alterius* uxoris Athilæ *mentio, ejusque domus. Propositum* Athilæ *ducendi* Escam *in uxorem, interseritur. Idiomata in Aula* Athilæ. Legatos *cum donis remittit Athila. De* Bleda *mentio.* Athila *bis mittit Legatos in* Italiam, (*causam belli movendi, nisi avertatur, indicans,*) *antequam bello eam aggrederetur. Ubi* Honoriam, *juxta suî promissum, postulat. De* morte Athilæ, *veterum testimonia. De* filiis *ei succedentibus, & de* filiorum *inter se diffidentium infelici regno, deque* Hunnorum *secuta ad tempus per* Gothos *&* Romanos *profligatione ac dispersione.* Hunni *tamen adhuc an. D.* 474. Thraciam *impunè vastabant; & inter tot angustias, non solum in Scythia* minore, *sed etiam in* Dacia ripensi, *aliqui substiterunt. Aliqui eorum etiam* Bulgaris *ad tempus subjecti fuerunt.*

Cum constet Nationis Hunniacæ in Paganismo, *Athilam* fuisse lumen & decus, quem non paucis sanè figmentis & mendaciis defœdarunt Historici illi, qui sua quædam, de rebus remotiorum seculorum, non nisi ex turbidis, nugatorum, & veritatem cum falsitate miscentium lacunis, haurire poterant; idcircò partem instituti mei esse duxi, etiam de *Athila* aliquid, quàm sinceriùs & fideliùs per scripta veterum fieri potest, dicere. Ubi hoc in antecessum insinuo: *Atila*, apud

apud nos, qui purâ loquimur lingua Hungarica, dicitur hoc tempore, per duplicatum, seu dagessatum *l*, *Atilla*; ut non rarò, cum *l* sequente *a*, tales terminationes, occurrunt in nostra Lingua. v. gr. *Villa*, (furca,) vel *Alla*, (mentum ejus,) ubi *lá*, est affixum pronomen: *Válla*, (humerus ejus,) & similia. Nunquam tamen, (quod scirem,) a genuino Hungaro, in patriâ linguâ, dicitur vel scribitur per duplex *t*, (*Attila*,) uti Historicis veteribus Græcis & Latinis mos est scribere, sed per unicum. Quod etiam origo vocis quoad altiorem suî radicem, ita suadet; de qua alio loco, nostram sententiam in medium proferemus. Nunc quia Latinè scribo, utar nomine illo, hac forma; *Atila*, vel *Athila*, (cum aspiratione,) sine dagessato *l*, nisi ubi aliorum verba retulero.

II. *Atila*, non prius Regiam & supremam inter Hunnos consecutus est dignitatem, quam temporibus Theodosii junioris; & quidem circa an. D. 428. aut non longo ante hoc tempus intervallo; ut hoc ex Narratione *Prisci* † Rhetoris & Sophistæ Græci, qui iisdem vixit temporibus, & bis etiam cum Legatis Theodosii junioris ad mensam Athilæ

† Dicitur meritò à doctiss. Henrico Valesio, *Scriptor valdè bonus & utilis*; in Notis in Prisc. p. 210. Hic Priscus [etiam in *partem curarum Imperii* fuerat assumptus ab *Euphemio*. De Legat. p. 41.

adfuit, colligere possum. Fuerunt ergò ante hoc tempus, *Atila* & frater ejus *Bleda*, absque dubio magni aliqui Duces, in exercitu Hunnorum. Præcessit autem proximè Atilam in regio munere, *Rua*; (cujus antecessor erat *Uldin*, adhuc an. D. 405. Rex à Zosimo dictus;) qui etam fœdus cum Romanis inierat, sub certis conditionibus, (inter quas erat tributum à Romanis dandum,) ut possent incolæ ditionum Romanarum, in tuto esse, & commercia passim celebrari: quod utrumque patet, ex modo memorati *Prisci* narratione. Illud verò fœdus renovavit *Athila*, atque etiam tributum ejus temporibus est auctum. Sedem porrò suam, habuit Athila, non in *Sicambria* Pannoniæ, (juxta *Budam*,) uti putarunt nostri Historici; sed in campestribus Hungariæ, versus Tibiscum, & ut videtur in *Jazygum* regione.

III. Liquet hoc ex descriptione iteneris, quô Legati Theodosii, & *Priscus* eorum socius à principali Legato *Maximino* assumptus, Constantinopoli ad Athilam profecti sunt. Dicit enim Legatum *Maximinum* Senatorem, & *Virum Consularem*, majoris causâ securitatis, primum ad *a. Odyssenorum* usque Civitatem, *per Mare*, (nempe per Pontum,) iter instituisse; qui locus est juxta *Panisum* fluvium, non

a. Prisc. De Legatio. pag. 48. 49. edit. Ph. Labbei cum notis Valesii & al. Paris. 1648.

non procul a *Varna*. Mox interjectâ dehinc suî mentione, dicit se venisse *Serdicam* (seu *Sardicam*) usque, distantem *expedito homini*, (terrestri nempe itinere,) *tredecim dierum itinere* à Constantinopoli. Cœnam & noctem illic transigentes, (una cum Hunnis quibusdam, quos inde à Constantinopoli ut Legatos redeuntes, secum itineris socios habebant,) sequenti die venerunt *Nayssum*, (hodie, Nissam,) *ab hostibus eversam*. Paulò longius inde dimoti, nocte transactâ, alio die à montibus *Nayssi*, *Istrum* seu Danubium versus, iter dirigentes, in vicum quendam, per obliquos flexus, & gyros multos delati sunt. Ex illo difficili loco, ad loca tandem plana & uliginosa devenerunt. Ubi jam ad Danubium constituti, à portitoribus barbaris, in scaphis unico ligno excavato constantibus, in alteram fluminis ripam, transpositi sunt. Quindecim inde ferè stadiorum, (h. e. ferè dimidii milliar. Germanici) itinere emenso, pervenerunt in campum, ubi jubentibus Hunnis, subsistere paululum debebant. Ibi enim in proximo aderant *tentoria Athilæ* & exercitus ejus: cui primùm Hunni reduces ab Urbe Constatinopol. significabant adesse legatos, antequam propius accederent. Sequenti die, hora ferè octavâ, ad tentoria Athilæ pervenerunt. Quæ tunc ad tempus fixa erant è regione

Widin, inter Danubium, & fluvium Themes.

IV. Sed mox iterum narrat, quomodo poſt aliquod temporis intervallum, inde etiam dimoti ſunt, & *b. profecti unà cum Attila, ad loca magis ad Arctum* (ſeu Aquilonem) *vergentia*. Interea, dum Athila in Vico quodam aliquamdiù ſubſtitit, illi in ſuo itinere ſuſcepto perrexerunt, *facili & æquali viâ, per planitiem patentem, ubi in multos fluvios navigabiles impegerunt. Quorum poſt Iſtrum, maximi* nominantur a Priſco, † *Dreco dictus, & Tigas & Tiphiſas. Congerebantur* ipſis, *ex vicis commeatus, pro frumento cenchrum*, (ſeu milium,) *pro vino medum*, incolis dictum. *Longâ viâ confectâ*, ad paludem quandam pervenerunt; ubi tentorium figentibus, mox procella cum imbre ſuperveniens, tentorium & utenſilia eorum disjecit. Nocte Vicum ingreſſi, *c.* ab ejus *Vici Domina*, (quondam ‡ *una ex uxoribus Bledæ*,) humaniter excepti ſunt. Inventis de die perditis ſuis rebus, inde diſceſſerunt. *Sex dierum itinere emenſo*, * *Scythæ exterorum deductores, in quodam Vico* ipſos *conſiſtere, præceperunt, ut ponè Attilam, qui hàc ſe in viam daturus erat, deinceps iter continuarent. d. Parumper* illic *morati, uſque dum*

b. Priſc. pag. 55. † Græc. Δρήκων, Τίγας, Τιφήσας. *c.* pag. 56. ‡ Græc. Μία δὲ αὕτη τῶν βλῆδα γυναικῶν, ἐγεγόνει. Hanc, Reginam ibidem vocat Priſcus. * Intelligo à loco caſtrorum. *d.* pag. 58.

dum eâ viâ Athila *praecederet, non multò post* & ipsi *secuti* sunt, *una cum multitudine*; *trajectisque quibusdam amnibus, ad quendam magnum Vicum pervenerunt. Hic* erant *Attilæ ædes* Regiæ, ex *lignis & tabulis politis*, artificiosè *exstructæ, turribusque* insignes. Subjicit Priscus, mentionem *balnei* cujusdam, *lapidibus ex Pæonia* (hoc est, *Pannonia*) *advectis, ædificati.* Addit rationem; *quia in ea parte Scythiæ, nullus est lapis, aut arbor, sed materia aliunde advectâ utuntur.* Hæc accuratè expensa, ostendunt nobis, ubi circiter fuerit Regia sedes *Athilæ*. Primò ex consideratione tùm fluminum hîc memoratorum, (è quibus *Tygam* Cantoclarus, † Prisci interpres, *Tyram*, alias *Neister* in finibus Moldaviæ, interpretatur,) tùm etiam locutionis Prisci de hac regione, qui eam subinde *Scythiam* appellat, cogitabam hanc *Athilæ* Sedem, longè ultra Walachiam, in ea regione fuisse, quam Strabo ‡ *Solitudinem Getarum* nominat. Verùm, re penitiùs expensâ, comperi hanc ejus Sedem in ipsa Hungaria, in locis ejus campestribus & planis, circa Tibiscum fuisse. (Et sanè congruum erat, Viro Hungariam tenenti, atque etiam in Italiam tendenti, non in sterilissima Getarum solitudine, ultra Walachiam, sed in meditullio Hungariæ residere.) Quicquid enim narrat

† In suis Not. in Prisc. ‡ Geogr. Lib. 7. pag. 210. ed. an. 1587.

narrat Priſcus de hoc itinere, omne id inveniri datur, à prædicto caſtrorum loco, versùs ſeptentrionem, eunti ad latera Tibiſci. Inter cetera refert, quod in Vico Viduæ *Bledæ*, ignem ipſis barbari, *ex ſiccis* arundinum *calamis* accenderint. Item, quod arbores & lapides, in ea regione non habeantur, ſed aliunde advehantur: quæ optimè partibus memoratis Hungariæ meridionalis, in utroque latere Tibiſci quadrant. Magna itineris hujus emenſio, videtur locum nobis oſtendere circa *Jáſz-Birny*, aut planè ipſum Oppidum. Scythiam nominat hanc regionem, quia antiqui etiam incolæ ejus, nempe *Jazyges*, ſunt origine veri *Scythæ*; fuitque olim & ea, *Scythiæ* accenſita. Drecon, (Jornandi Dricca,) eſt mihi plenior pars Tibiſci ad Auſtrum, ubi jam, etiam Mariſus ſe in eum exonerat. *Drecon*, quaſi *Derék* Tiſza: ita enim pleniorem partem fluminis noſtri vocant. *Tygas*, potuit eſſe vel *Mariſus*, vel *Körös*. *Tiphiſas* verò eſt ipſe Tibiſcus. Jornandes † ex Priſco, pro his duobus habet expreſſe *Tyſiam* & *Tibiſiam*. Utrumque nomen, videtur tantum *Tibiſcum* denotare. Licet verò Athila in hac regione Jazygum, ſuam habuerit Regiam; tamen Pannoniam imperio eum tenuiſſe, perſpicue nos Priſcus docet. Meminit enim ‡ τῆς παιόνων χώρας, τῆς ὑπὸ Ἀττήλα τελουμένης; *Pæonum*, h. e. Pannoniorum

† De Reb. Getic. c. 34. ‡ Priſc. de Leg. p. 57.

niorum *Regionis, quæ Attilæ fuit subjecta.* Unde non possum satis mirari Marcellinum *Comitem*, sive potius ejus interpolatorem, quid ei tunc venerit in mentem, dum Ind. 10. ad Hierii & Ardaburii Consulatum, (h. e. circiter ad an. D. 428.) hæc scripsit: * *Pannoniæ, quæ per 50. annos ab Hunnis retinebantur, à Romanis receptæ sunt.* Dupliciter enim peccatur in his lineis. (1) Ratione termini *à quo*, ut loquuntur. Nam hinc sequeretur Hunnos inde ab an. D. 378. continuo tenuisse Pannonias. Quod tamen falsum esse, superiora † e fide dignis Historicis relata, docent. Verum quidem est, quod jam ab an. D. 376. ac præcipue ab an. 378. Pannonias subinde Hunni suâ excursione vexaverint, & ex præconcepta victoria, ob felicem rerum suarum successum, jam velut à se penitus subactas reputârint; non tamen illico, sed gradatim iis pro voto potiti sunt. (2) Ratione termini *ad quem*, in quo finit Scriptor ille imperium Hunnorum in Pannoniis; quo nihil falsius his de rebus scribere potuit. Facile quidem concedo, ex pacto cum Hunnis, aliquam partem inferioris Pannoniæ ad Sirmium, etiam Romanos Græcos, circa an. D. 428. & paulo post adhuc tenuisse; sed quod in allegato textu, sive a *Comite*, sive potius (ut jam innui) ab ejus interpolatore dicitur de *Pannoniis* in plurali,

* Chron. Marcell. † Cap. 3.

rali, hoc plane falsissimum est; & hominis qui hæc interseruit, oscitantiam & in hisce rebus ignorantiam, arguit. Verum ad *Athilam* iterum revertor.

V. Porro, quod nostri narrant, Athilam, primâ nuptiarum suarum, cum nescio quâ filiâ *e. Bactrianorum* Regis contractarum, nocte, venere vinoque victum & obrutum, suffocatum interisse; suo loco, testimonia inferius adducenda docebunt judiciosum lectorem, quid de ea narratione sit sentiendum. Certe saltem mentio filiæ Regis Bactrianorum, merum hic figmentum redolet; cum ejus mentio nulla sit apud antiquos. An etiam temulentia causaverit ejus mortem; revera illa ejus temperantia in victu omni posteritati Hunniacæ memoranda, & pro exemplo imitanda, quam Priscus ut expertus, (absque ullo partium studio, servatâ suâ semper in Romanos suos fidelitate,) candide descripsit, narrationi ejusmodi, penitus repugnare videtur. Cum temperantia autem adfuit in ipso, etiam Directore digna gravitas, cum singulari prudentia conjuncta. In iræ autem suæ cohibitione & moderatione, (ne & hoc ad temperantiam ejus exornandam, taceam,) Divinam plane, eamque paternam Summi Numinis in Populum Christianum recognoscere

e. Vid. Chronic. Thurocii, de Reb. Hung. Part. 1. cap. 22.

scere possumus providentiam; quod *Atila* sæpe etiam irritatus, & minas aliquas inde intentans, non tamen effudit iram quotiescunque potuisset in Romanos. Certe in privata sua causa adeo se a severa vindicta cohibuit, ut etiam dum insidiæ dolosæ, a Romanis Constantinopolitanis, quos in sua habebat potestate, vitæ ejus struerentur, & dolum hunc, in parte Legatorum manifeste deprehendisset; gessit tamen se tanquam Leo, qui nihil ab inferioribus sibi metuit animalibus, & coram se prostratis, parcit. Ne unius enim vitam lego, ob has insidias periisse; & si facilime ultionem de his *Atila* sumere potuisset. Sed audiamus jam ipsum *Priscum*, de his nobis narrantem.

VI. *f. Cum* (inquit) *Rua Hunnorum Rex, cum Amilzuris, Itimaris, Tonosuris & Boiscis, cæterisque Gentibus, Istrum accolentibus, & ad armorum societatem cum Romanis jungendam confugientibus bello decertare, statuisset; Eslam* † *componendis Romanorum & Hunnorum controversiis misit: qui Romanis denuntiaret, se à fœdere, quod sibi cum illis esset, recessurum, nisi omnes Scythas, qui ad eos se contulissent, redderent.* Interea, dum de his

f. Priscus in Excerpt. de Legat. p. 47. ed. Par. 1648. Ὅτι Ῥυα βασιλεύοντος Οὔννων. &c. Cantoclarus interpres Latinus habet *Amaldsuris*, *Ithamaris*, *Tancassiis*. Ex Græco ita sonant, uti verti. † Græc. Ἔσλαν.

his consultatur, moritur *Rua*; unde mox subjicit Priscus: *Cum autem mortuo Rua, Hunnorum Regnum ad Attilam pervenisset, Senatus decrevit, Plintham legationem ad Attilam exequi.* Et paulo post narrat, quid in Urbe *Margi* Mysorum ad Istrum, sit utrinque deliberatum. *Itaque placuit* (inquit) *profugos è Scythis, etiam qui multò antè profugerant, una cum captivis Romanis, qui non soluto redemptionis pretio, ad sua redierant, dedi; aut pro unoquoque captivo Romano, his qui eum bello ceperant, octo aureos dari; Romanos belli societatem cum Barbara gente, quæ bellum cum Hunnis gerat, non facere. Conventus ad mercatus paribus legibus celebrari, & in tuto Romanos & Hunnos esse. Ut fœdera rata maneant & observentur,* † *tributi nomine, septingentas auri libras uno quoque anno Scytharum Regibus, a Romanis pendi; cum antea tributum annuum non fuisset, nisi trecentarum quinquaginta librarum. His conditionibus pacem Romani & Hunni pepigerunt.* Gesta hæc circa an. D. 428. Non diu tamen durasse hanc pacem, eo quod Romani, Hunnis debitam ex pacto pecuniam solvere nollent, (ob quod, plus deinceps solvere debuerunt,) apparet ex hac Prisci relatione: *g. Post Chersonensem pugnam, Romani cum Hunnis pacem per Anatolium legatum fecerunt, & in has conditiones conve-*

† pag. 48. † Græc. τὰς συνθήκας ἑπτακοσίων λιτρῶν χρυσίου, ἔτους ἑκάστου. &c. g. Excerp. de Legat. pag. 34.

convenerunt. Profugos Hunnis reddi; sex mille auri libras, pro præteritis stipendiis solvi. † Duo mille & centum libras auri, in posterum, singulis annis, tributi nomine pendi.

VII. Mox deinde narrat de Legatione an. D. 448 missâ ad Athilam. Ubi interserit relationem fraudis *Chrysaphii* Eunuchi Imperatoris, qua is suavit *Edeconi* cuidam Hunno, Legato Athilæ, promissa ei certâ pecuniæ summâ, ut *Athilam* e medio tolleret: quod suum consilium Eunuchus etiam Imperatori communicavit, eumque in suam pertraxit sententiam; celato interim consilio a principali legato Maximino, & soli Bighilæ interpreti juxtà Maximinum, significato. Quid fit? *Edecon* sicut prius se verbis apud Eunuchum, infidum in suum Regem & Nationem ostenderat, (aut saltem simulaverat, quod etiam detestandum,) acceptando pactum de promissa sibi pro vita Regis pecunia; sic e contra redux ad Athilam, longe alium se præstat, quàm doli artifices putabant. Nam ante omnia, hoc consilium Eunuchi & complicum ejus, Regi suo clàm detegit: quod etiam Rex prudenter apud se reservans, nequaquam legatos hac de re contristavit; imò illa occasione iis nec aperuit. Bighilam etiam licet primo perterritum, tamen e vinculis dimisit; missa verò alia legatione Theodosio has insidias significavit. Qua

† δισχιλίας καὶ ἑκατὸν λίτρας χρυσοῦ.

occasione, quomodo Theodosium reprehenderit, & quid ab eo postulaverit, e narratione Prisci audiamus. Narrat autem ille hanc rem, duobus etiam in locis. Nunc ut in primis Excerptis ejus habentur, carptim & breviter, ejus verbis pandam.

VIII. *b. Eunuchus Chrysaphius*, (inquit ille) *Edeconi dixit*; (quem jam antè in secretiora consilia ad se vocaverat;) *Si in* † *Scythiam rediens Attilam sustulerit, & Romanorum partibus accesserit, vitam in magnis opibus beate traducturum. Eunucho Edecon assensus adjecit: Ad hanc rem peragendam opus esse pecuniis, non quidem multis, sed* ‡ *quinquaginta auri libris, quas militibus, quibus præesset, qui sibi ad rem impigrè exequendam, adjumento essent, divideret. Cum Eunuchus nullâ morâ interpositâ dare vellet, dixit barbarus, se priùs ad renuntiandam legationem dimitti opportere, & unà secum Bigilam, Attilæ de transfugis responsum accepturum, cum quo de ordine componendæ rei ageret, qui quoque, quando factô opus esset, viam auri deferendi iniret.* --- *Visus est Eunucho barbarus recta sentire.* -- *Itaque à cœna dimisso Edecone, ad Imperatorem consilium initum detulit; qui Martialium officiorum munere fungentem, ad se venire jussum, docuit, conventionem cum barbaro factam.* -- *Imperatore autem & Martialio,*

b. Excerpt. Leg. pag. 38. juxta version. Cantoclar. † Sic vocat partem Daciæ, ubi Athila commorabatur. ‡ Hæc summa pro militibus tantum erat; nam infra majoris summæ fit mentio.

tialio, de tota re consultantibus, placuit non solùm Bigilam, sed & Maximinum legatum mittere ad Attilam. Postquam Edecon redux, rem totam, ut jam dixi, Regi aperuisset, & Bigilas interim, aliâ occasione, festinanter & clàm pecuniam attulisset, (ignorans rem per Edeconem detectam,) & in hac tam audaci machinatione, à Rege deprehensus & convictus fuisset, ut ultrò se in mortem, pro filio suo, (quem Rex in terrorem, minabatur se interfecturum, nî omnia fateretur,) offerret, tandem hæc sequentia à Rege acta sunt: *i. Bigilâ* (inquit Priscus,) *insidiarum in Attilam manifestè convicto, Attilas ablatis ab eo centum auri libris, quas à Chrysaphio acceperat; extemplo Orestem & Eslam Constantinopolim misit; jussitque Orestem, crumenâ, in quam Bigilas aurum, quod Edeconi daretur, coniecerat, collo impositâ, in conspectum Imperatoris venire, atque Eunuchum interrogare, num hanc crumenam nosset? Deinde, Eslam hac verba proferre: Theodosium quidem, clari Patris † & nobilis esse filium; Attilam quoque nobilis Parentis esse stirpem, & Patrem ejus * Mundiuchum †, acce-*

ptam

i. pag. 39. † Arcadii Imp. * Græ. Μουνδίουχον, Lego etiam apud Theophanem, Ομουνδίον *Omnudium*, fuisse Patrem Atilæ; non autem lego *Bendeguch*, vel *Bendecuc*, ut nostri tradunt. Certè antiquioribus hîc magis credendum. † καὶ τὸν πατέρα Μουνδίουχον, διαδεξάμενον διαφυλάξαι τὴν εὐγένειαν.

ptam à Patre nobilitatem integram conservasse: sed Theodosium traditâ à Patre nobilitate excidisse, quòd tributum sibi pendendo, suus servus esset effectus. Non igitur justam rem facit, qui præstantiori, & ei quem fortuna Dominum demonstravit, tanquam Servus scelestus, & improbus, clandestinas insidias paret. Neque se priùs criminari illum eo nomine destiturum, quàm Eunuchus ‡ ad supplicium sit traditus. Nihil deinceps vel affirmativè vel negativè aliud narrat, de pœna Eunucho inflicta, nisi hoc: *k. Misit & Eunuchus aurum ad barbarum, quo mollitus ab ira deduceretur*; unde patet, non multùm se turbasse Atilam super his insidiis sibi structis.

IX. Quam benignè autem Legatos Theodosii Athila exceperit, (quamvis jam insidiarum probè conscius,) ubi è loco Castrorum, Athilam comitati, in ejus Vicum magnum, hoc est, Regiam, pervenissent, idem Priscus, fusè describit. Quia verò in liberali, civili & amicâ hospitalitate convivii juxta mensam, mos Hungaricus exactè exprimitur, (exceptâ intemperantiâ bibendi multorum nostri temporis Hungarorum,) atque insuper præclara Atilæ temperantia ob oculos panditur, idcircò fore non ingratum nostris Hungaris existimo, si narrationem *Prisci* hîc de eo interseruero, quomodo invi- tati

‡ Gr. πρὸς κόλασιν. Quod significat, in genere *ad pœnam.* _ *k.* pag. 72.

tati ab Athila, excepti, & quid juxta menſam experti fuerint. *l. Reverſis* (inquit) *nobis in tentorium, ecce ad nos Oreſtis Pater: Vos* ‡ *ambos inquit, ad convivium invitat Attilas, fiet verò illud circa* † *nonam diei. Tempore condicto obſervato, ut venimus, & una quoque Romanorum Occidentalium legati, ſtetimus in limine Cœnaculi coram Attila.* ‡ *Hic Pincerna, ut mos eſt in in illis regionibus, calicem* (nobis) *tradiderunt, ut & nos ante accubitum* (ſeu aſſeſſum) *vota faceremus. Quo facto* *, *calicem deguſtantes, ad ipſa ſolia venimus, in quibus nos ſedentes cœnare oportebat. Ad parietes autem cubiculi preparata erant omnia ſedilia, ab utraque parte diſpoſita: in medio verò ſedebat Attilas in lecto; è cujus regione erat & alter lectus, ponè quem erant quidam gradus, qui ad ejus cubile ferebant, linteis candidis, & variis tapetibus, venuſtatis & ornatûs gratiâ contectum, ſimile cubilibus, quæ Romani & Græci nubentibus adornare, pro more habent. Tum*

l. pag. 66. & 67. ‡ Maximinum nempe Legatum, & Priſcum ejus ſocium. † Hoc eſt circa tertiam noſtram pomeridianam. Erat enim cœna potiùs quam prandium, ut patet ex Priſco. ‡ καὶ κύλικα οἱ οἰνοχόοι κατὰ τὸ ἐπιχώριον ἐπέδοσαν ἔθος, ὡς καὶ ἡμᾶς πρὸ τῆς ἕδρας ἐπεύξασθαι. Hoc intelligo, quod calice vini, in manibus ſervato, quivis inter Hunnos, bona invicem precari, ac præſertim Regi, priùs debuit, (more quiſque ſuo,) antequam menſæ aſſideret; deguſtato poſt votum calice. * οὗ δὴ γενομένου, τῆς κύλικος ἀπογευσάμενοι, ἐπὶ τοὺς θρόνους ἤλθομεν. &c.

convivarum primum ordinem ad Attilæ dextram sedere constituerunt, secundum ad lævam: in quo nos & Berichus, vir apud Scythas nobilis, sed Berichus superiore loco. Nam Onegesius in cathedra, ad dextram Regii thori, & è regione Onegesii duo ex Attilæ filiis, † *sedebant. Senior enim in eodem quo Pater throno, non propè sed multùm infra,* (versus extremitatem,) *accumbebat, oculis præ pudore, propter Patris præsentiam, semper in terram conjectis. Omnibus ordine sedentibus, qui Attilæ erat à poculis, ingrediens, pateram vini tradit. Hanc ubi quis suscepit, eum qui ordine prior erat, salutavit; salutatione honoratus surrexit, neque prius eum sedere fas erat, quàm merum degustans, aut etiam ebibens, poculum pocillatori redderet. Sedenti autem Attilæ, ex more, qui convivio intererant, pocula suscipientes,* (nempe à pincernis,) *& post salutationem degustantes, honorem exhibebant.* (Hoc est, Regem salutantes, & postea vinum degustantes, honorabant.) *Unicuique verò unus pocillator aderat, quem, Pincernâ Attilæ exeunte, introire suo ordine oportuit.*

X. * ***Postquam vero Attilas** secundum* † *a se & reli-*

† Major *Dengizich*, (qui Orientalibus Hunnis jam tunc præerat,) minor verò *Irnach*.

* τιμηθέντος δὲ καὶ τοῦ δευτέρου, καὶ τῶν ἑξῆς, καὶ ἡμᾶς τοῖς ἴσοις ὁ Ἀττήλας ἐδεξιώσατο, κατὰ τὴν τῶν θρόνων τάξιν.

† Hoc est, secundo loco sedentem.

reliquos deinceps, *honore affecisset*, *nos etiam paribus poculis*, *dextrâ junctâ* ‡ (vel porrectâ,) *honoravit*, *ex Thracum instituto*. *Tum*, *ubi omnes salutatione honorati fuissent à Rege*, *pincernæ recesserunt*. *Mensæ verò juxta Attilæ mensam*, *erant erectæ*, *excipiendis tribus & quatuor*, *aut etiam pluribus convivis idoneæ*; *quorum unusquisque poterat*, *minimè transgressis sedium ordinibus*, † *in disco*, *ex ferculis quod sibi libitum erat*, *desumere*. *Et primùm* quidem *in medium accessit Attilæ minister*, *discum carnibus plenum ferens*: *post ipsum*, *qui reliquis omnibus ministrabant*, *panem*, *& opsonia mensis apposuerunt*. *Sed cæteris quidem barbaris*, *& nobis*, *Cœna vario eduliorum genere referta & instructa*, *præparata erat*, *& in discis argenteis apposita*; *Attilæ verò in* † *quadra lignea*, *& nihil præter carnes*. ‡ *Moderatum pariter*, *& in reliquis omnibus*, *se se præbuit*. *Convivis aurea & argentea pocula*, *quibus bibebant*, *suppeditabantur*; *Attilæ verò poculum erat ligneum*.

XI. Mox interserit etiam de vestitu & armatura ejus. *Frugalis* † *admodùm illius vestis*, *nihil*

‡ Græcum verbum hanc versionem requirit. Quod enim in Latina *Cantocl.* versione habetur: *ad parium poculorum certamen provocavit*, id nequaquam erui potest, ex vi verbi Græci. † Græc. τ͂ τῆ *μάγιδι τὸ διεπηπθεμϐύων μεταλαϐεῖν*. Ubi *τῆ μάγιδι*, vertit Cantoclarus, Cultello. Vox tamen, lancem, vel patellam significat. † Hungar. *Négy-szegeletü fatányér*. ‡ Græc. Μέτϱιον ἦ ἑαυτὸν, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἐδείκνυ. † λιτὴ Simplex.

hil quô ab aliorum vestibus dignosci posset, habebat, nisi quod erat pura & impermixta. Neque ejus ensis erat aliquâ illustri elegantiâ conspicuus, neque † calceorum barbarorum ligamina, neque ejus equi frana, ut reliquorum Scytharum, auro aut lapidibus & aliis hujusmodi pretiosis gemmis, erant ornata.

XII. Quomodò primis ferculis consumtis, stantes, salutato Rege biberint, & quo ordine reliqua peregerint, quæ etiam recreationes dehinc affuerint, narrat in sequentibus. *Ut opsonia* (inquit) *primorum ferculorum fuere consumpta, omnes surreximus, neque priùs quisquam nostrûm, ad sedem suam † est reversus, quàm sibi traditam pateram vini plenam, servato quem suprà diximus ritû, Attilam salvum & incolumem precatus, ebibisset. Eô ad hunc modum honore cultô, sedimus. Tum nova fercula cuique mensæ sunt illata, quæ alia continebant esculenta; ex quibus ubi omnes, quoad satis esset, comedissent, modô quo suprà, in pedes erecti, ebibito calice, consedimus. Adveniente vespere, sublatis epulis, duo viri Scythæ, coram Attila prodierunt, & versus à se factos, quibus ejus victorias & bellicas virtutes canebant, recitârunt. In quos convivæ oculos, vultusque defixerunt. Et alii quidem versibus delectabantur, aliis bellorum recordatio animos exsuscitabat, aliis manabant lacrymæ, quorum ætas affecta, reddiderat corpus effœtum*

† *Cothurnorum*, ut apud nos vocantur. † ἦλθε, Venit. Idem hîc est, quod se *demisit* iterùm in sedile.

fœtum & imbecillum, ex quo eorum pugnandi ardor, & cupiditas quiescere cogebatur. Post cantus & carmina, Scytha † *nescio quis, mente captus, absurda & prodigiosa, nec sani sensus quicquam habentia, resonans & deblaterans, risum omnibus* (præter Regem) *commovit.* Postremò, *Zerchon Marusius introivit*, nempe, uxorem olim in Scythia relictam, recuperare laborans. Et paulò post. *Itaque tunc arreptâ* (Zerchon) *festivitatis occasione, progressus, & formâ & habitû, & pronuntiatione, & verbis confusè ab eo prolatis, modò Ausoniorum, modò Hunnorum, modò Gothorum linguam intermiscens, omnes lætitiâ & hilaritate diffudit, & effecit, ut in risum, qui sedari & extingui non poterat, prorumperent, exceptô Attilâ. Attilas enim vultû, omnis mutationis expers, & immotus permansit; neque quicquam facere, quod jocum* † (vel *risum*) *præ se ferret, conspectus est: præterquam, quod* * *juniorem ex filiis introeuntem, & adventantem, nomine* ‡ *Irnas, placidis & lætis oculis*

H 5 *est*

† Morio, Studio & industriâ talis. † Rectè hîc explicationis ergò subjungit Cantoclarus, *aut hilaritatem*: nempe vanam illam & viros graves non decentem; quam plerique leves, externis cachinnis, vel verbis otiosis solent significare. * *νεώτατον τῶν παίδων.* ‡ Græcè. Ηρνᾶς ᾧ ὄνομα τούτῳ. Unde puto, debere distingui hunc ab eo, quem alibi Ηρνὰχ (Irnachum, vel Ernachum) vocat; quod & mentio duorum filiorum, (qui Dengizich & Irnach,) mensæ cum Patre jam antè assidentium, postulare videtur.

est intuitus, & eum genâ † *traxit.* Subdit paulo post. *Ut verò* * *in convivio noctem protraxerunt, frequentes exiimus, volentes in compotatione permanere,* seu *tempus insumere.*

XIII. Narrat deinde paulo pòst, quòd sequenti die, ab una uxorum Atilæ, sunt ad Cœnam vocati. *Interea* (inquit) *Recan*, † *Attilæ uxor, in ædibus* ‡ *Adami, Procuratoris ipsius,* (Recan,) *ad cœnam nos invitauit. Ad eam, ut erat multis Scythiæ Principibus comitata, accedentes, contigit nobis ejus humanitate frui. Illa verò nos excepit mellitis & jucundis confabulationibus, & magnifico epularum apparatû. Tum unusquisque eorum,* (convivarum nempe,) *qui aderant, Scythica* † *comitate, poculum plenum nobis porrexit, & eum qui biberat, amplexus & exosculatus, illud excepit. A cœna nos in tentorium nostrum recipientes, somnum cepimus.* Subjicit illicò: *Postridie iterum nos Attilas ad* ‡ *cœnam invitavit; & eodem quô prius ritû,*

† Facie-tenus, digitis constrictâ, ut Patres solent aliquando cum pueris suis hoc modo jocari. * ἐν τῷ συμποσίῳ εἷλκον τὴν νύκτα. Id est, & noctem convivio adjunxerunt. Non dicit, omnem noctem, vel maximam partem noctis; sed quod etiam nox cum aliqua mora, in convivio eos deprehendit. † Gr. Ῥέκαν Vertit Cantoclar. Recam. ‡ Gr. παρὰ Ἀδάμῳ τῷ αὐτῆς πραγμάτων τὴν ἐπιτροπὴν ἔχοντι. Vid. Henr. Vales. in Notis ad hunc loc. † Σκυθικῇ φιλοτιμίᾳ. ‡ Propr. ἐπὶ συμπόσιον. ad convivium. Sed infrà indicatur, quod *cœna* fuerit.

riin, ad eum accessimus, & ad convivandum nos convertimus. Hæc in medium proferre, jucundum esse duxi; ut videant & contemplentur nostri Hungari suorum Majorum, etiam in tenebris Paganismi, sobria & moderata convivia. Non vides hîc stultam saltantium & debacchantium choreas; non experiris, tibicinum, fidicinum, cymbalistarum, & nescio, quot ludentium ad nauseam usque, musicum concentum; (qui tamen per se ac moderatè, sine abusu, felicioribus temporibus, licitus est:) non audis, ternas illas Diabolicas bibendi leges, frequenti repetitione coactivas, apud multos jam Bacchi filios usu roboratas: (1) *Teli tölcs*; (2) *Igyál, Sokáig ne tarcs*; (3) *Semmit se hadgy benne.* H. e. *Ad plenum funde*; *Bibe, nec diù retineto*, scil. poculum plenum: &, *Nihil in eo relinque.* Non etiam audis violentas illas, & mentem à rationis usu deturbantes, instigationes, pro salute, Regis, Principis, & incolumitate publici status, vel alia de causa, aliquando etiam mediante juramento, factas; quales sunt: *Igyál, meg kell lenni, olly mél tosságos fzemélyért, vagy nagy jóért.* H. e. *Bibe, oportet hoc fieri, pro tanta dignitatis persona; vel pro tanto bono.* Hæc inquam & similia, rationi sanæ, modestiæ & temperantiæ adversa, non experiris, in tot conviviis Aulæ Athilianæ, opulentissimæ licet (ut notum) & potentissimæ; sed omnia ferè secundùm

rectæ

rectæ rationis dictamen, ad Legem *Assveri* † Persarum Regis composita; hoc est, ut unusquisque haberet sufficienter, nemo autem cogeretur ad bibendum, sed libertati suæ relinqueretur. Legis quidem pocula vino plena tradita convivis, eaque exhausta; (quod per se, necessitate corporis exigente est licitum,) sed non legis ea frequenter fuisse repetita, & cum adjecta instigatione, alicui obtrusa. Hæc convivii Athiliani temperantia, & imprimis abstinentia ab omni saltatione, ostendit Athilam, & ejus convivas, veterum illorum Scytharum morem observasse, de quibus sic scribit Herodotus: Σκύθαι δὲ τοῦ βακχεύειν πέρι Ἕλλησι ὀνειδίζουσι, οὐ γὰρ φασι εἰκὸς εἶναι Θεὸν ἐξευρίσκειν τοῦτον, ὅστις μαίνεσθαι ἐνάγει ἀνθρώπους. m. *Scythæ Græcis probro dant bacchandi consuetudinem, negantes esse æquum credibile, Deum invenisse, quo homines ad dementiam adigantur.*

XIV. Inter multas *Athilæ* laudes à se relatas, accusat eum interim *Priscus*, quod n. *novas subinde causas fingebat, & vanas occasiones legatorum mittendorum excogitabat*, ut nempe suos tali munere legationis promoveret. In quo, nequaquam excusamus eum, sed ut hominem Paganum, Dei flagellum fuisse agnoscimus. Tam multa tamen præclara moderaminis rectæ rationis specimina, de eo prodidit *Priscus*, ut

† Esther. 1. vers. 8. m. Lib. 4. in Melpom. pag. 129. ed. Bas. n. pag. 39.

ut merito, inter aliquos saltem Gentilium Morales Philosophos connumerari, ob virtutes debeat.

XV. Porrò præter uxorem Athilæ paulò ante memoratam, facit mentionem *Priscus* alterius etiam, quæ vocabatur *Creca* †. *o. Postridie* † (inquit) *ad domus Attilæ interiora septa me contuli, dona ferens ejus uxori, quæ Creca vocabatur. Ex ea tres illi liberi. Senior* (nempe Dengezich) *jam tum Acatirorum* ‡ *& reliquarum gentium, quà Scythia ad Pontum patet, regno potiebatur. Intra illa septa erant multa ædificia, partim ex tabulis sculptis, & eleganter compactis, partim ex trabibus, opere puro, & in rectitudinem affabre dolatis & politis, quæ erant interjecta, lignis ad tornum elaboratis, extracta & composita. Circuli autem à solo incipientes, in altum assurgebant, certâ proportione & mensurâ. Hic habitabat Attilæ uxor. -- Erat pavimentum tapetibus stratum, & super ipsis gradiebamur. Eam famulorum multitudo circumstabat, & ancillæ ex adverso humi sedentes, telas coloribus variegabant.* Ceteras ejus uxores nominatim non exprimit, præter *Escam*, quam tunc volebat ducere; saltem dicit in genere in mentione *Escæ*, eum plures etiam habuisse. *q. Attilas interea* (inquit) *in*

† Græc. Κρέκα. Vertit iterpres *Cercam*. *o.* pag. 63. † Fuit hoc, adhuc ante primum convivium. ‡ Alias contractè *Catziri* dicuntur Prisco: quos puto eosdem esse, qui posterioribus seculis dicti sunt *Chazari*. *q.* pag. 55.

*in quodam vico † subsistit, * in quo filiam Escam in uxorem, & si plures alias haberet, Scytharum legibus id permittentibus, ducere voluit.* Videtur hic aliquid deesse; forte cujus Herois illa filia fuerit. Nam non dicit aperte Priscus, eam *Athilæ*, propriam fuisse; nec ratio adjecta id docet, sed potiùs pluralitatem uxorum licitam apud veteres Scythas.

XVI. Non neglexit *Priscus* illud etiam, nobis consignare; quas ille linguas expertus est circa Atilam, in usu potissimùm fuisse. *r. Intra sua* (inquit) *barbaricam linguam † colunt & affectant; neque tàm Hunnorum, quam Gothorum, aut etiam Ausoniorum, hi scilicet, quibus cum Romanis frequentius est commercium.* Supponit in his, quod ipsorum quoque Hunnorum aliqui, ob commercia cum Romanis, operam dabant Linguæ *Gothicæ*, (quæ cognata *Alanicæ*,) & *Ausoniæ*. Ubi per *Ausoniorum* linguam, intelligo *Walachicam*, quasi corruptam Latinam. Hæc tam clara apud Priscum distinctio inter Linguam *Hunniacam* & *Gothicam*, evertit illorum

† Dum nempe ex Danubiano circa *Vidin* tractu, versus fluvium Tibiscum ad magnum Atilæ Vicum irent. * Apponam Græcè: ὡς δὲ Ἀτήλα εἰς κώμην τινὰ παρεσομένου, ἐν ᾗ γαμεῖν θυγατέρα Ἐσκὰμ ἐβούλετο, πλείστας μὲν ἔχων γαμετὰς, ἀγόμενος δὲ καὶ ταύτην κατὰ νόμον τὸν Σκυθικόν. r. pag. 59. † Scilicet, non Græcè vel Latinè loquuntur, sed tribus illis linguis, quas specificat.

lorum opinionem ut mere vanam, qui putant *s. Linguam* veterum *Hunnorum* cum Atila, fuisse Gothicam, seu veterem *Germanicam*, ideoque Hungaros non esse, progeniem Hunnorum. Sed de lingua Hungarorum ejusque origine, suo loco dicetur. Dum tam memorabilia hic consignaret Priscus, nec illud tacuit, quomodo ipsos demùm Athila, * *hilariter & cum donis* ad suos remiserit.

XVII. *Bledam* fratrem suum, an interfecerit *Atila*, nec ne, nihil de eo *Priscus* prodidit. Scio alios ipso recentiores †, id tradere. Talem verò de utrisque quodam in loco facit mentionem: *s. Pace cum Romanis factâ*, (nempe circa an. D. 428.) *Attilas & Bleda, ad subigendas gentes Scythicas profecti sunt, & contra Sorosgos, bellum communibus opibus & viribus moverunt.* Ex aliis Historicis notum est, adhuc *Bledam* an. D. 441. una cum Atila, Romani Imperii partes ultra Istrum vastasse. Qui etiam ambo istis temporibus, praecipuè jam antè, in *Pannonia t.* & *Dacia* simul regnum gessisse dicuntur.

s. Ex illis est Jacob. *Spiegelius*, in Schol. in Authorem *Austriados*, Lib. 1. pag. 478. ed. Francof. 1584. * pag. 69. 70. † Vid. Marcell. Comitem, & Paulum Diacon. Refertur Bledæ mors ad an. D. 444. *s.* Prisc. de Legat. pag. 48. *t.* Vid. Hist. Miscell. Pauli Diaconi. Lib. 15. non procul à principio. pag. 443. *Rex Hunnorum Attila, quum cum fratre Bleba, (h. e. Bleda,) regnum intra Pannoniam Daciamque gereret, — germanum suum (*Ble-

tur. Occasione conviviorum Atilæ, supra memoratorum, nullam plane mentionem *Bledæ* fratris inducit *Priscus*; unde colligitur, aut in Bello procul alibi inter Scythas interiores, tunc abfuisse, aut vero jam e vivis excessisse. Atque hoc posterius è quibusdam ejus verbis colligere possum, dum de quadam Nobili, diviti & hospitali muliere dicit, eam *u. fuisse unam uxorum Bledæ*: narrando hoc, tanquam rem præteritam.

XVIII. Quam ob causam verò potissimum venerit *Atila* an. D. 451. in Italiam, eamque repetitis vicibus vastaverit, sic nobis *Priscus* notificat: *y. Cum primùm Attilæ nuntiatum est, Martianum post Theodosii mortem* †, *ad imperium pervenisse; cui & ea nuntiata sunt, quæ Honoriæ* ‡ *acciderant; misit ad eum* (nempe Valetinianum Imp.) *qui in Occidente rerum potiebatur, qui contenderent, Honoriam nihil se indignum admisisse, quæ se matrimonium secum contracturam spopondisset.* *-- *Misit & ad Romanos in Oriente, tributorum consti-*

dam) *regnique consortem interemit.* *u.* pag. 56. *y.* Excerpt. Legation. Prisc. pag. 39. † Obiit Theodos. junior. an. D. 450. die 28. Julii. ‡ Quod illa imperii partem non haberet, & quod recusarent eam Attilæ dare, sicut eventus ostendit: eam enim *Honoricho* demum, Genserichi Vandalorum Regis filio, junxerunt in uxorem, teste eodem *Prisco.* * Testis de hoc Jornandes, ut paulo post audiemus. Fuit autem hæc Honoria, soror germana Valentiniani Imperatoris, adhuc Virgo.

constitutorum gratiâ. Sed re infectâ legati utrinque sunt reversi. Etenim qui occidentis imperio praerat, respondit Honoriam ipsi nubere non posse, quòd jam alii nupsisset. Neque imperium Honoriæ deberi; virorum enim, non mulierum Romanum imperium esse. Qui in Oriente imperabat, se minimè ratam habere tributi illationem, quam Theodosius consensisset. Quiescenti numera largiturum, bellum minanti, viros & arma objecturum.-- Itaque Attilas in varias distrahebatur sententias.-- Tandem melius rem se habituram visum-est, ad periculosum bellum se se convertere, & in Occidentem exercitum educere. Illic enim sibi rem fore, non solùm cum Italis, sed etiam cum Gothis & Francis: cum his, ut Honoriam, cum ingentibus divitiis, in uxorem acciperet; cum illis, ut Genserichi gratiam promereretur. At Francos bello lacessendi, illi fuit causa, Regis ipsorum obitus, & de Regno inter liberos ejus controversia. Seniori (Regis filio) *Attilas studebat, juniorem Aëtius*† *tuebatur.* *-- Sed Attilas antequam in eam expeditionem ingrederetur, rursus legatos in Italiam misit, qui Honoriam poscerent. Etenim secum matrimonium pepigisse; cujus rei ut fidem faceret, annulum ab ea ad se missum, per Legatos*‡, *quibus tradiderat, exhiberi mandavit.*

I

† Huic Aëtio magnus antea amicus & fautor fuerat *Athilæ*. ‡ Sic, de hac re Jornandes: *Valentiniani germana Soror, Honoria, dum ad Aulæ decus, virginitatem suam cogeretur custodire, clàm misso clientulo, Attilam Hunnorum Regem invitat in Italiam.* De Regn. ac Temp. success. pag. 653. ed. Franc. An. 1588.

vit. *Itaque imperii parte sibi Valentinianum cedere, æquum censebat, quam pater Honoriæ reliquisset; sed hâc illam frater, qua ejus erat avaritia & cupiditas, privârat. At Romani occidentales, in prima sententia perstiterunt, & Attilæ mandata rejecerunt.* Quid deinceps in Italia *Atila* fecerit, quomodo in *Catalaunicis* campis pugnam atrocissimam cum Romanis (Duce horum *Aëtio*) commiserit; quomodo iterùm vires resumserit; quomodò in secunda Italiæ aggressione, *Urbi* Romanæ appropinquans, à Leone Pontifice exoratus fuerit; hæc facilè ab aliis Historicis, *Iornande*, *Marcellino Comite*, *Paulo* Diacono, *Bonfinio*, ceterisque † possunt peti. *Priscus*, paucissimis tantùm verbis hæc retulit. z. *Attilas* (inquit,) *vastatâ Italia, ad sua se retulit.* Subjicit: *Et Romanorum Imperatoribus in Oriente bellum & vastitatem denunciavit, propterea quòd tributum sibi à Theodosio constitutum, non solvebatur.*

XIX. Quô tempore, & quo mortis genere *Athila* obierit, nihil de eo *Priscus* in Scriptis suis hodie exstantibus tradit; quamvis ut apparet, satis diù post mortem *Atilæ* superfuerit. Ex Evagrio tamen, (ut & Jornande) colligere possumus, *Priscum* olim in suis Scriptis, quibus hodie caremus, fecisse aliquam mentionem mortis Athilæ. Verba *Evagrii* hæc sunt:

† Vide contractè apud Bucholcz. in Indic. Chronol. ad an. 451. & 453. z. pag. 40.

ſunt: *a. Iiſdem temporibus, bellum illud multorum ſermone celebratum, ab Attila Scytharum Rege excitatum eſt. Quod quidem Priſcus Rhetor accuratè ſimul ac diſertè conſcripſit, ſingulari elegantiâ nobis exponens, quomodo ille adverſus Orientalis & Occidentalis Imperii partes expeditionem ſuſceperit, quotque & quantas Urbes captas ſub ditionem ſuam redegerit; quibus denique rebus geſtis,* † *EX HAC LUCE MIGRAVERIT.* Nihil hic, de aliquâ violentâ morte. Marcellinus *Comes* Illyricianus, qui floruit ann. D. 534. hæc de ejus morte ſcribit: *b. Attila Rex Hunnorum, Aëtii hortatu, noctû Provinciæ* † *mulieris manû, cultroque, confoditur. Quidem verò ſanguinis rejectione eum necatum perhibent.* Si mulier aliqua hoc fecit, (uti ſunt multæ iniquæ & doloſæ aliquando mulieres,) non cultro, ſed magna cum occultatione veneno, eoque doloſiſſimè hoc debebat facere, quòd in eorum, qui propiùs ei vixerunt, notitiam non pervenerit. Sed videmus, quàm incertus, etiam *Comes* hoc refert. Jornandes autem (an. D. 552.) ſic de exitû Athilæ ſcribit: † *Romanis mors Attila, tam fuit utilis, quàm vita admirabilis. Qui, ut Priſcus Hiſtoricus refert, extinctionis ſuæ tempore, puellam*

a. Hiſt. Eccl. Lib. 1. c. 17. † Græc. τὸν ἐντεῦθεν μετέστη. *b.* In Chron. Indict. 7. Aëtio & Studio Coſſ. † Aut dicere vult, Dominam fuiſſe provinciæ, mulierem illam, aut quod in ea provincia ſit nata. † De Reb. Getic. cap. 48. & 49. edit Gruter.

Ildico nomine, decoram valde, sibi in matrimonium post innumerabiles uxores, ut mos erat gentis illius, socians, ejusque in nuptiis, hilaritate nimiâ resolutus, vino somnoque gravatus, resupinus jacebat, redundansque sanguis, qui ei solitè de naribus effluebat, dum consuetis meatibus impeditur, itinere ferali, faucibus eum extinxit. Sequenti verò luce, cum magna pars diei fuisset exempta, ministri Regii, triste aliquid suspicantes, post clamores maximos, fores effringunt; inveniuntque Attilæ sine vulnere necem sanguinis effusione peractam, puellamque demisso vultû sub velamine lachrymantem. Hæc ille, quasi ex *Prisco* omnia haberet. Si *Prisci* integram Historiam Byzantinam hodie haberemus, faciliùs de his judicium ferre possemus. Sed reverà vel saltem ea quæ hodie exstant *Prisci* Fragmenta, evincunt hæc non sine fraude à Jornande Gotho, Hunnis semper infensissimo, (quod in Historico detestandum,) ex arreptis quibusdam *Prisci* verbis, fortè de frequenti sanguinis è naribus fluxu, & connubio Athilæ cum aliqua puella, in hanc formam odiosè contexta esse. Evagrius sanè non videtur hæc omnia quæ refert Jornandes, ex Prisco de morte Attilæ, didicisse. Author autem Chronici *Alexandrini*, (qui usque ad Heraclii tempora scripsit inclusive,) hæc nobis consignavit: * *Attila sanguine ex naribus prorumpente extinctus est; noctuque cum pellice Hunna, (quæ puella de nece ejus* [illegible] *suspe-*

* pag. 737. edit. Monach. an. 1624.

suspecta fuit) *dormiens*, *in tabernaculum delatus est.* Concedamus ergo hoc tanquam probabile, quòd ex consveto sanguinis è naribus profluvio demùm nimio, fuerit debilitatus, ut inde mors ejus sit secuta. Sed cum cetera de temulentia & suffocatione incerta sint, dignum est, ut illud de *Athila*, e Cantione quadam funebri Hungarica, deleatur: *örömének első napján meg fuladott vala.* H. e. *Die primo sui gaudii fuit suffocatus.* Historia Marcella, (Pauli Diaconi, qui vixit an. 757. vel ut aliis placet, 774.) hæc tantum de morte ejus habet: *c. Attila*, *vastatis circumquaque locis*, (in Italia,) *cum Romam quoque pararet irrumpere*, *Leo magnus Papa*, *missu ad eum Valentiniani Imperatoris accessit*; *eumque adeo mitem reddidit*, *ut illicò promissâ pace firmissimâ*, *ultrà Danubium non rediturus abierit. Continuò enim rebus humanis excessit*, *& humani generis diutina vexationi*, *finem aliquando vel mortuus attulit.* Tempus obitus ejus incidisse in annum D. 454. valde probabiliter, meo etiam judicio, jam Docti annotarunt.

XX. Mortuo *Atila*, & si regimen Hunnorum multò turbatius exstitit, quàm ipso vivo, non tamen sunt ita dissipati, & ad incitas redacti in Europa, ut nostri quidam Historici putarunt; quasi *Chaba* † nescio quô ficto filio *Atilæ*, in Scythiam *d.* reverso, tria tantùm mil-

c. Hist. Misc. Lib. 15. pag. 445. in Octav.
† Hung. *Csaba.* *d.* Vid. Joh. Turocz. in Chron.

millia in parte Transylvaniæ, ubi nunc *Siculi*, seu Scythuli, (vel veriùs *Szék-helyi*) sunt, eorum remansissent; sed loco ejus, regnarunt filii ejus *Dengizich* & *Irnach*; (Hungaricè potiùs, *Dengezics*, & *Ernak*;) ut perspicuum est è Prisci narratione. Ubi enim narrat res sub *Leone* Magno, Imperatore Orientis gestas, (qui ab an. D. 457. usque ad an. 474. regnavit,) hæc de filiis *Atilæ* scribit: *e. Eodem tempore † venit ad Leonem Imperatorem legatio à filiis Attilæ, ut omnibus omninò præteritorum dessidiorum causis resecatis, pacem inirent: Romanique ut olim erat in more positum, ad Istrum ‡ usque procedentes, mercatum celebrarent, ex quo invicem ea, quæ sibi opus essent, desumerent. Et ea quidem legatio, quæ circa hæc versabatur, re infectâ rediit.--- At verò Attilæ filii, renuntiatâ legatione, inter se dissenserunt. Etenim Dengizich legatis, nullâ re impetrata, reversis, bellum Romanis indici volebat. Cui quidem apparatui Irnach repugnabat. Nec enim bellum longius a Patria geri, expedire existimabat: eò quòd Saraguri Acatiris aliisque gentibus aggregati, † in Persas exercitum du-*

Hung. Part. 1. c. 24. de Siculis. pag. 28. & 29.
e. pag. 44. in prioribus *Excerptis*, quæ tamen ordine postponenda sunt secundis. † Cum nempe quidam Scythæ & Gothi, auxilia peterent à Romanis. ‡ Ister enim erat terminus inter Oriental. Romanos, & Hunnos. † Sub imperio nimirùm Hunnorum, ac sub auspiciis filiorum Athilæ: quod bellum, quantùm ex *Prisco* colligere possum,

duxerant. Primùm quidem ad Portas Caspias appulerunt. &c. Et paulò post. *Dengizich bellum Romanis intulit, & * perseveranter Istro potitus est. Quod ubi Ornigisclus,* (potiùs Anagastus †, *ripæ in Thracia præfectus,*) *didicit, per suos ex eo quæsivit, an eâ mente esset, ut acie decertare vellet. Sed Dengizich Anagastum contemnens, ab eo missos, re infectâ dimisit, & per legatos Imperatori denuntiavit, se bellum illaturum, nisi sibi suisque terram, quam incolerent, & pecunias alendo exercitui, qui ipsum sequebatur, subministraret. Legatis in Regiam introductis, mandata exponentibus Imperator respondit, se omnia paratum facere, quô eos suo imperio, obsequentes redderet. Sibi enim pergratum & jucundum esset, si quando inimici, in fœdus societatemque transirent.*

XXI. Nihil deinceps de commisso inter *Dengizich* & *Anagastum* prælio, vel interitû Dengizichi refert Priscus; sed alii Prisco recentiores tradunt, eum à Romanis fuisse victum, ejusque caput Constantinopolim allatum. Sic enim de hac re scribit *Marcellinus Comes*, ad Consulatum Zenonis & Marciani, hoc est, ad an. D. circ. 467. *f. His Consulibus* (inquit) *caput Denscis, Hunnorum Regis Attilæ filii, Constantinopolim allatum est.* † Quicquid de

 hoc

adhuc temporibus *Athilæ* excitatum erat contrà Persas. * τῷ δὲ Ἴστρῳ προσκαρτεροῦντος. † Vid. Not. Vales. in hunc locum. *f.* In Chron. † Conf. hîc ea quæ habet de hac re Chronic. Alexand. & ex eo Hen. Valesius in Notis ad Prisc. pag. 309.

hoc ſit, conſtat tamen ex Priſco, quòd terram etiam dehinc Hunni cum Gothis, mixtim habitantes, conſentiente Imperatore, tenuerunt; quam non alibi ſed in partibus Hungariæ ad Danubium uſque intelligo. Loca enim quędam ultra Hungariam ad ortum, ſine controverſia poſſederunt, tum hoc tempore, tum deinceps. Verba nomine Imperatoris, a quodam Hunno, Officiali Imperatoris, ad Gothos & Hunnos, (inter quos Gothi erant tunc plures,) hæc ſunt: *g. Terram quidem Imperator* (Leo) *ad inhabitandum illis*, (nempe Scythis Gothis) *daturus eſt*, *quæ non illis fructui & commodo futura eſt*, *ſed cujus utilitas ad ſolos Hunnos redundabit. Nec enim Hunnos ignorare, Gothos terræ cultum negligere. Ex quo fore* (ajebat,) *ut luporum more Hunni*, *arva quæ Gothis ſortito obtigiſſent*, *ad ſe pertrahentes raperent*, *& eos ſervorum loco habentes*, *cibis deſtitutos vexarent & opprimerent.* Mox ſubjicit illico Diabolicum inter illos diſſidium: unde ſecutum eſt, ut una pars ab alia ad tempus penitùs oppreſſà fuerit; ſicque Hunni ſeparatas ſibi ſedes quærere debuerint; ut paulo poſt dicetur.

XXII. Sed audiamus Priſcum, de triſti illo inter Gothos & Hunnos cohabitantes diſſidio. Verbis paulo ante allegatis, immediatè ſubdit ille: *h. Quamobrem ſemper invaluit*, *ut nullum eſſet Gothico generi*, *cum Hunnis commercium*, *&* *majores*

g. Priſc. de Leg. pag. 45. h. pag. 45.

majores jure jureiurando eos obſtrinxerunt, (nempe Gothos,) *eorum* (Hunnorum) *ſocietatem fugere. -- His dictis* † *Gothi commoti*, *-- Hunnos ſibi immixtos, tanquam ſeditioſos trucidarunt* *. *Deindo quaſi ex compacto cæteri convenientes, ingens pugna, inter utramque gentem eſt commiſſa. Quos cum in armis reliqui Caſtrorum Duces* (Romani) *viderunt, acies ſuorum inſtruxerunt, & obvium quemque barbarorum occiderunt. Scythæ cognito dolo* (Romanonum,) *& fraude perſpectâ, ſe ſe collegerunt, & manus cum Romanis conſeruerunt.* Poſt hæc nihil memoratu dignum de illis refert, præterquam quod in partiali pugna, nunc Romani, nunc Scythæ victores evaſerint. Conſtat ſanè poſt hæc tempora, multitudinem illam Scythicam, & ſpecialius etiam *Hunniacam*, per aliquot annos valdè fuiſſe confuſam, & in diverſas partes diſtractam; uſque dùm *Abari* Principes ſtirpis *Hunniacæ*, regnarent, & res *Hunnorum* denuò reſtituerent; attamen ipſorum etiam ante Abaros, velitatio verſus Hungariam erat, eamque ſuis è vicinia excurſionibus, velut pro ſe cuſtodiebant, donec eam gemino dehinc adventu, penitùs occuparunt.

XXIII. Legimus adhuc, etiam ſub initium

i. pag. 46. † Quæ ſuperius nomine Imperatoris dabantur. * Verba hæc de illis tantùm debere intelligi, qui habitatione ſuâ propiùs immixti erant Gothis, ſequentia ſatis oſtendunt.

tium imperii *Zenonis*, (h. e. circa an. D. 474.) apud Evagrium, *Hunnos* imperium Romanum in Thracia infestasse. Verba *Evagrii* hæc sunt: *k. Qui ejus* (nempe Zenonis) *imperio parebant, tam in Orientis quam in Occidentis partibus, gravissima perpessi sunt mala: Hinc Saracenis cuncta vastantibus; illinc Hunnis, qui olim Massagetæ dicebantur, in Thracias irrumpentibus, & Istrum trajicientibus, nemine obsistente.* Idem post Euagrium habet Theophanes *l.*, qui vixit, an. D. 787. & sequ.

XXIV. Verùm paulatim dehinc, ob contentiones & divisos Hunnorum animos, Gepidæ † & Gothi, in partibus Daciæ & in Pannonia, partim armis, partim ex favore Romanorum, superiores ad tempus evaserunt; ita ut *Gepidæ m.* magnam *Daciæ* partem, in Hungaria & parte Transylvaniæ, una cum Jazygum regione, (quæ etiam pars Daciæ quibusdam,) pro se vendicarent; *Gothi* autem, ex concessione Rom. Imperatoris, *Pannoniam* occuparent, relictis interim ubique veteribus incolis, imò & Hunnis, (sine dubio,) qui subditorum instar, se se Gepidis & Gothis subjicerent. Hunni autem militiæ & armis addicti, partim *Romanis*

k. Histor. Eccl. Lib. 3. c. 2. juxt. edit. Vales.
l. In Chronogr. pag. 103. edit. Paris. 1655.
† Utrique Gothicæ sunt propaginis, sic tamen aliquando distinguuntur. *m.* vid. Jornand. tum de Gepidis tum de Gothis, Rer. Getic. c. 49. 50.

nis * ſe Græcis adjunxerunt, & quidem *multi*; partim in Scythiam minorem, (ſitam nempe intra Boryſthenem & Tauricam Cherſoneſum,) partim etiam, aliqui eorum, (ut ex Procopio *m.* colligo,) uſque ad initiales oras Scythiæ Aſiaticæ, in ulteriorem Mæotidis ripam ſunt reverſi: (Quorum tamen aliqui, adhuc vivente *Athilâ*, ut fit in bellis, poterant eò ex tanta bellantium multitudine remeare:) partim in *Illyricum* † ſe contulerunt; partim etiam manſerunt in ipſa parte Hungariæ meridionali, *in Dacia ripenſi*, ut loquitur Jornandes. Qui licet voluiſſet, omnem Hunnorum memoriam deletam fuiſſe, tamen fatetur, *n. Hernacum, juniorem Attilæ filium, cum ſuis in extremo minoris Scythiæ, ſedes delegiſſe; Emnedzur* autem & *Ultzindur, conſanguineos ejus in Dacia ripenſi.* Atque illis, qui in Scythia minori tunc permanſerunt, cenſeo accenſendos ex parte etiam noſtros *Scythulos*, qui in extremo Tranſylvaniæ habent etiam hodie locum. Qui in Dacia ripenſi erant, illi præcipuam ſedem habuerunt, juxta *Temeſum* & *Danubium*, uſque ad Valachiam; quibus inde circiter ab an. D. 471 †. Bulgaricæ Nationis Duces præſidebant,

* Jorn. loc. cit. *m.* Procop. de Bell. Gothic. Lib. 4. c. 28. † Jorn. loc. cit. *n.* Jornand. de Reb. Getic. c. 50. † Ex hoc Bulgarorum nomen juxta Danubium & in Thracia innotuiſſe, colligo ex Chronic. Marcell. Comitis, Prob. & Avien. Coſſ.

bant, usque dum sequenti seculo, *Abari-Hunni* supervenientes, integrè Daciam & Pannoniam occuparunt; ut suo loco dicetur.

XXV. De *Hunnis* quibusdam, *Bulgarorum* ducatui ad tempus subjectis, magnam illud lucem affert, quo narratur, apud *Menandrum*, Imperatorem Justinianum, adhuc ante adventum Abarorum, (circ. an. D. 550.) misisse ad *Hunnorum Utigurorum* Regem, (qui cum suis ultra Mæotidem tunc habitabat,) eumque rogasse, ut adveniret, & *Zaberganum*, Cotragurorum h. e. Bulgarorum Ducem juxta Danubium residentem, debellaret; at ille respondisse fertur, se id facere nolle, eò quod *consanguinei* sui essent, & *ejusdem linguæ* secum, quos illic delere deberet, quamvis nunc *alienis* ibi *Ducibus* sub essent. Verba Menandri sunt: *o. Hunni qui Zabergæ parebant, cum longè ab imperii Rom. finibus fuissent remoti, & Iustinianus suspicaretur Cotraguros † iterùm Thraciam populationibus vexatum venturos. totus in Sandilchum ‡, Utigurorum * Ducem incubuit, quem frequentibus legationibus hortari non destitit, ut Zabergam bello lacesseret. Proponebat autem Imperator per legatos, quos ad Sandilchum mittebat, si Cotraguros debellasset, ad ipsum annuas pecuniarum præstationes, † quæ quotannis*

o. Menand. De Legat. pag. 132. 133. † Græc. κοτρέγιγηροι. ‡ Procopio *Sandil.* * Men. Σανδίλχῳ τῷ ὐτιγύρων ἡγεμόνι. &c.

† Nota hîc, æque Vtiguris quoque Hunnis tene-

nis Zaberga pendebantur, redituras esse. Itaque ‡ *Sandilchus, tametsi necessitudinem sibi cum Romanis esse cuperet, Imperatori significavit, minimè sibi pium aut decens fore, omnes suos Contribules ad internecionem usque delere. Per hac inquiebat, hoc assequeremur, ne superessent,* (illi) *qui eâdem linguâ, atque nos uterentur, eâdem habitatione,* (seu contubernio,) *eodem vestitû, atque eâdem vivendi ratione: denique hi quoque sunt nostri consanguinei, QVAMVIS ALIIS DVCIBVS pareant.* Hæc verba palàm innuunt, Bulgarorum Duci ejusque Capiteneis Bulgaris, non solùm Bulgaros, seu Hunnos nominales, *Cotraguros* dictos, sed etiam veros *Hunnos* illo tempore subfuisse. Hæc post *Athilam*, de successoribus *Athilæ* dicta sufficiant.

CAP.

batur Imperator, vel saltem muneris instar, aliquid exhibere; ut ex Menandro patet. Vtrorumque deinceps partem, Abari occuparunt.

‡ Græc. Καὶ τοίνυν ὁ Σανδίλχος· Ῥωμαίοις γὰρ ἐπιτήδειος ἐβούλετο εἶναι, βασιλεῖ ἐσήμηνεν, ὡς πέφυκεν οὐχ ὅσιον μὲν, οὐδὲ ἄλλως εὐπρεπὲς, τοὺς ὁμοφύλους ἀφανίσαι ἄρδην. Μὴ ὅτι ὁμογλωσσοί τε εἰσι καὶ ὁμόσκηνοι (in marg. ὁμόσκευοι) ἡμῖν, καὶ ὁμοίᾳ χρῶνται στολῇ καὶ διαίτῃ. ἀλλ' ὅτι καὶ συγγενεῖς, καὶ ἑτέροις εἰσὶ πετάχαται ἡγεμόσιν. Apposui Græcum textum, ut quædam versionis deviatio parva, inde corrigi possit.

CAP. V.

In quo, *de Hunnorum, qui* Abares *dicti sunt, secundo in Europam & Pannoniam adventu, agitur. Primùm varia* Hunnorum nomina *præmittuntur narrationi. Nomen* Hunnorum *aliquando extendebatur à Græcis etiam in* Turcas & Bulgaros; *cujus rei causa datur. Quid* Thunus, Thunnus & Thynus *quibusdam. Nomen Hunnorum*, Abari, *quando primùm in Europa innotuit. Ejus nominis origo. Ibid. mentio de Scytharum celeberr.* Abari. *Nomina* Urogi & Onoguri, Saraguri & Akathiri, *apud Priscum, an sint Hunnorum? Priora duo, verè Hunniaca. Docetur, τὸ* Urogi, *per metathesin literarum, idem esse quòd* Ugori *vel* Ugri. *Nomen* Ugri *vel* Uhri *antiquius est, quàm ut à* Juhra *possit deduci. Dictum de* Urogis *seu* Ugris *amplius confirmatur.* Huiguri (*vel* Uiguri,) *etiam apud Menandrum, idem quod* Ugri, *seu Ungari.* Hunugari *apud Iornandem* Hungari, *ut &* Unoguri (*Hunni*) *apud Agathiam. Quid de* Kotrigoris, Utigoris, Ultizuris, & Burgundiis, Hunnis *dictis apud Agathiam, sentiendum? Textus Agathiæ in hanc rem. Subjicitur mentio* Hunnorum Ephtalitarum, *seu* Nephtalitarum. Abares *veram esse vel fuisse*, Hunniacam *progeniem, ex Simocattæ testimonio perspicuo docetur.* Var & Chunni *Simocattæ, conjunctim* Uarchonitæ

apud

apud Menandrum. Abares *fuisse* Hunnos, *pluribus etiam testimoniis adstruitur. Nomen Ducis Abarum* Chaganus, *ex sua origine explicatur. Item, aliud nomen* Bajanus. *Testimonia* Evagrii & Menandri *de* Abarum *adventu in Europam; qui contigit an. D.* 564. Abarum *iterata legatio ad Iustinianum, ejusque eventus.* Abares *occupatâ Pannoniâ inferiori, contra* Gepidas *se vertunt. Legatio* Longobardorum *Regis ad* Abarorum *Ducem, & hujus cum eo transactio. Res* Gepidarum *ab Hunnis Abaribus evertuntur.* Hunni *in* Franciam *se conferunt, & cum Rege* Franciæ *fœdus ineunt. Dum* Chaganus *abest,* Sirmium *& circumjacens tractus Hunnis eripitur à Romanis: unde mox Legatio fit* Chagani *ad Imper. Iustinum. Eventus contentionis inter Imperatorem & Chaganum.* Tributum *à Romanis pendi solitum* Chagano *Hunnorum. Mox auctum. Hunni* Abares, *Romanis aliquando fideliores fuere in fœderibus servandis.* Chagani *mitis ac docilis in Christianos animus. Iuramentum* Chagani *tum Gentili tum Christiano ritû, coram Christianis editum. Quid* Singidone *vel* Singidunum *apud veteres? Loca quædam Romanis restituta ab* Hunnis, *& pax sancita; quæ tamen non diu duravit.* Chaganus *vastat Thraciæ partes; cui rei causam Dux Romanorum dedit.* Chagani *per Legatum* oratio *pathetica ad Ducem Romanorum ob fœdifragium. Iterum, apologia* Chagani. *Legatio ad* Chaganum,

num, *septem filiorum obitû contristatum.* Chagani *ad* Dei judicium *appellatio*, *contra* Mauritium Imperatorem. Tributum *iterùm auctum.* Chagani *in Romanos hostes suos* benignitas. *Amor* consilii boni & iræ cohibitio *in Chagano. Gesta* Chagani *contra* Bulgaros *&* Sclavos. *Tempore parricidii* Phocæ, *Hunni in silentio. Acta* Chagani *tempore* Heraclii. *Item*, *Legatio* Heraclii *ad* Chaganum. *Reliqua etiam de Hunnis*, (*quæ ex Historicis patent*,) *usque ad* Caroli *M. ejusque filii* Ludovici *Pii tempora*, *enarrantur. Occasione belli* Carolini *contra Hunnos gesti*, *vetera Hunnorum in Pannonia* munimenta, *&* limites Austriam *includentes*, *ex* Aventino *referuntur.*

Nunc jam Deo juvante, pergo ad illos, qui post filios *Athila*, ac Hunnos eorum temporibus variè divisos, in Europam secundò advenerunt, atque Pannoniam & & Daciam iterum recuperarunt. Hi deinceps non tantùm *Hunni*, sed frequentiùs *Abari* vel *Abares* sunt vocati.

II. Cum autem in superioribus, † certam ob causam huc distuli, ac promisi me dicturum de variis *Hunnorum* nominibus; eapropter primum etiam de iis nominibus hîc dicam, antequam reliqua de *Hunnis* Historicè prosequar. Duo hæc nomina illorum, *Hunni* & *Aba-*

† Cap. 2. §. 2. in fine.

& *Abares* †, (vel *Avares*,) erant præcipua; sed hoc alterum, seriùs tandem innotuit. Nomen *Hunnorum*, & si specialiter ejus progenei esset proprium, quæ linguâ *Atila*, seu Hunniacâ loqueretur; tamen aliquando illud olim, à Scriptoribus Græcis, imprimis post annum D. 500. extensum est etiam in *Turcas*, & vice versâ, ipsi quoque *Hunni*, subinde ab iisdem, præsertim labentibus seculis, *Turcæ* dicti sunt; ut videre est, apud Simocattam, Nicephorum CP. Theophanem, Zonaram & alios. Quod geminâ ex causa factum esse puto. Partim quia olim Hunniaca & Turcica familia, in lineis sibi propinquioribus, quàm aliæ Scythicæ, à suis antiquissimis majoribus descenderunt; partim verò & præcipuè, quia temporibus illis quibus *Atila*, ejusque proximi prædecessores, latissimum per totam ferè Scythiam habuere imperium, tunc ipsi quoque *Turcæ*, magna ex parte *Hunnorum* suberant jurisdictioni; quod facile esset mihi probare. Et vice versâ, paulò post *Atilæ* excessum, Nationes ultra Pontum *Hunnis* rebellantes, eorum jugum adeò excusserunt, ut ipsos Hunnos orientales, (ultra Pontum,) sibi successu temporis subjecerint; exceptis illis, qui, emigratione in ulteriora loca, sibi consuluerunt. Hinc factum est, ut pro-

 miscuè

† Sic Græcè, loco *v*, usurpatur *b*, ut notum. Idem erant veteribus, etiam *Abari* & *Avari*.

miscuè, nunc hoc, nunc illo nomine, hæc vel illa pars vocaretur. Ceteroquin *Turcica* Natio, quoad linguam, & maximam consuetudinis & morum partem, ab *Hungarica*, toto Cœlo est diversissima. (Rarum hoc, si quando una vel altera vox invenitur esse communis; quamvis radicem remotam, multarum vocum in utraque lingua esse eandem, non negaverim.) Et cum ostendetur Hungaricam Nationem esse *Hunniacam*, tunc patebit, quod etiam ab Hunniaca veteri, erat Turcica longè diversa. In hoc tamen utraque Natio valdè convenit; quod familiaritas & hospitalitas æquè est in usu inter Turcas, (suo illorum more,) ac inter Hungaros.

III. Lego etiam *Bulgaris*, Nationi mixtæ, sed Sclavonicæ originis, nomen *Hunnorum* olim tributum fuisse. Quod ideò factum puto, quòd olim tempore exitûs primi Hunnorum ex Asia, multi illorum, se se *Hunnis* conjunxerint; (ac per hoc vice versâ, etiam Hunnorum aliqui successû temporis, se se Bulgaris† intermiscuerunt;) imò ut ex sitû antiquæ & magnæ Bulgariæ ad *Volgam* fluvium, (unde quibusdam quasi *Volgari* essent,) facilè colligo, suberant olim in ipsa etiam Scythia imperio veterum Hunnorum. Imo & dehinc, lego illos, etiam juxta Danubium jam sitos, veteribus *Abaris* c. Hunnis, ali-

quam-

† vid. cap. 4. §. 25. c. vid. Niceph. C. P.

quamdiù ſubjectos fuiſſe. Hinc proclive fuit, ut à quibuſdam *Hunni* aliquando dicerentur. Sic geminis hiſce nominibus vocat eos Nicephorus *d.* Patriarc. Conſtantinopolitanus; qui vixit, an. D. 806. Mutatum à quibuſdam fuit, *τὸ Hunnus*, etiam in *Thunus*, *Thunnus* atque *Thynus.**

IV. *Abaros*, vel *Abares* ſive *Avares* quod attinet; illorum nomen, tantùm poſt annum Domini 500. cœpit in Europa innoteſcere. Lego quidem primam eorum mentionem apud *Priſcum*; *e.* ſed in Aſia adhuc degentium, imò palantium. Originem ejus, ex noſtra linguà, *primò* hanc poſſum dare; quòd *Avar* nobis ſignificat campum vel pratum, virenti herba carens; qualia ſolent eſſe prata, imminente hyeme, vel etiam in exitu hyemis, antequam virore & pingui herbâ induantur. Unde colligo antiquitus vocem illam ſignificaſſe apud noſtros majores, loca vaſta, inculta, & ornatu carentia: fortè ab Hebr. עבר (abar) *tranſiit*; vel ab אַוִרִי (Avri,) *otioſus*; quod nempe ſublatus eſt & receſſit, decor ejuſmodi campi vel agri, & ad tempus, vanus ac *otioſus* ſit factus. Atque ſic, *Avaros*, apud nos ſigni-

K 2 fica-

Hiſt. pag. 16. edit. Pariſ. 1648. Ubi Unnogunduros, h. e. Bulgares, an. 634. dicit rebellaſſe, contra Avarorum Ducem, ſeu Regem. Conf. Juſt. Legat. ad Perſ. pag. 154. *d.* In Hiſt. pag. 32. edit. Pariſ. * Lindebr. Not. in Lib. 31. Amm. M. Conf. Ortel. Th. Geogr. *e.* pag. 43.

ficabit idem quod *pusztás*, vel clarius, *pusztán jaro*, seu *Mezon járó*; qui nempe in desertis & sterilibus locis vel campis versatur. Sic vocantur etiam hodie apud nos, milites in desertis campestribus sæpè vitam agentes: *Pusztai* vel *mezei katonák*: hoc est, deserti, vel campestris loci milites.

V. *Secundò*, ex eodem verbo Hebraico עָבַר (*Abar*,) quod est, *transiit*, *abiit*, (unde & Arabicum *Abara* idem;) posset quispiam ita *Abarum* deducere originem, quasi à vicinis Nationibus Orientis, dicti fuissent juxta Chaldaicam & Syriacam Dialectum, עברין *Aberin*, h. e. *transeuntes*, *abeuntes*, subinde recedentes & loca mutantes. Hungaricè, *járó-kelö*. Atque hoc, cum nomine eorum apud Evagrium & Simocattam, quorum ille *f.* *Hamaxobios*, hic *g.* *Nomades*, eos vocat, benè conveniret. Etsi enim multis aliis quoque Scythis, commune erat loca subinde mutare; fortè tamen *Abaris* Hunnis, frequentius hoc & familiarius fuerat, præ aliis saltem, suæ prosapiæ & linguæ Scythis. Hæc licet speciosa videantur esse; verùm, *Tertiò*, longè magis mihi placet, origo nominis *Abarum*, à rad. אבר (Abar, per *aleph*,) quod non solùm significat *volare*, sed & *robustum* ac *validum* esse. Hinc Hebr. אָבִיר (*Abir*,) robustus, po-

f. Evagr. Hist. Ecc. L. 5. c. 1. *g.* Simoc. Hist. Lib. 1. c. 3.

potens, validus. In usu autem jam ab olim nostris fuisse & esse, aliquod vocabulum ex hac radice, infrà ex voce *Ember*, (homo,) ejusque origine patebit. Eadem radix אֲבַר (*Abara,*) significat † *Arabibus* inter alia, etiam *emendavit*; item *probè dispositus* & *idoneus fuit.* Sic jam τὸ *Abari*, significat *robustos*, *validos*, *benè dispositos*; quòd multis aliis Scythis, tùm robore corporis, tum ingenii virtute præcellerent: quod planè congruit cum veteri nominis *Abarum* ratione apud *Simocattam*. Scribit enim ex mente quorundam, ‡ *Abares*, *inter Gentes Scythicas*, *ingenio omnibus antecellere existimari*, ob idque *Abares* fuisse dictos. Ingenium ac robur suum, (barbari licet in sua Politia,) ipso effectu luculenter tunc declararunt, dum Daciam & Pannoniam totam, (subjectis sibi etiam à tergò regionibus versus *Ponti* Aquilonares partes,) in rebus Hunnorum planè desperatis, feliciter recuperarunt, ac diu etiam gloriose tenuerunt. Quos ex eodem sanguine, virtute ac ingenio non inferiores subsecuti sunt (seculo nono,) Hunni *Hungari* dicti, de quibus suo loco dicemus.

VI. Datæ nominis origini videtur etiam favere, nomen celeberrimi cujusdam viri *Abaris* dicti apud *Scythas*; de quo legere est, apud Herodotum *, Diodorum *e.*, Strabo-

 nem

† vid. Lex. Arab. Golii. ‡ Simoc. Hist. Lib. 7. c. 8. * Herod. L. 4. *e.* Diod. Bib. Lib. 2. p. 130.

nem *f.* & Pausaniam *g.*; cumque Strabo conjungit cum altero Philosopho Scytha *Anacharsi*; quos ait in magna fuisse æstimatione etiam apud Græcos. Ab ingenii excellentia & cultu *justitiæ*, insignis ille Scytha, congruè nomen *Abar*, vel *Abaris*, à prædicta radice, gerere poterat. Hoc nomen simul docet nos, quam antiqui usus sit vox *Abar*, apud veteres Scythas. Non enim est ætate inferior *Abaris* Anacharsi, (quem annis circiter 584. ante nat. Christ. vixisse, jam alibi notavimus,) quin potius videtur aliquantò eum tempore antecedere. Populi etiam quidam Scythici, longè prius sunt hoc nomine insigniti, quàm populis Europæis sub eodem cœperunt innotescere. Nam legimus apud *Plinium*, Scythicam quandam † *regionem*, *in convalle magna — Imai montis*, dictam fuisse olim *Abarimon*: quod nomen, ut probabile est, ab incolis suis, regio accepit. Puto ab *Alanis* Scythis, dictos fuisse ejus incolas, *Abari-man*, vel *Abar-man*; quasi dicas, hominem fortem, (in sing.) vel hominem, sive homines ex *Abarorum* genere. Quod nomen cum audirent Nationes Europææ, ipsam quoque Regionem, (cum exigua mutatione,) dixerunt *Abarimon.*

VII. Por-

f. Strabo Lib. 7. pag. 301. edit. Paris. 1620. *g.* Paus. Lib. 3. pag. 184. edit. Hanov. † Plin. Lib. 7. c. 2.

VII. Porrò *Hunni*, (præter dictos Turcas & Bulgaros, impropriè Hunniaco nomine olim vocatos,) in aliquot propagines antiquitùs dispescebantur; unde etiam diversa nomina, sed non multùm a se invicem distantia, sortiti sunt. Quod ex eo factum esse puto, quòd aliqui tersiùs & nitidiùs linguâ Hunniacâ loquerentur, & ceteris fortè etiam civilitate ac generositate præcellerent; aliqui barbariùs & corruptiùs voces proferrent; aliqui verò mixti ac medii quodam modo essent; & ad Sclavonismum, præcipuè suâ pronuntiatione accederent: quod & hodie in nostra Patria observare possumus. Verba Prisci in hunc scopum servientia hæc sunt: *b. Circa id tempus*, (h. e. circa an D. 455.) *legatos ad Orientales Romanos miserunt*, *Saraguri*, *& Urogi*, *& Onoguri. Hæ gentes propriis sedibus ejectæ*, ‡. &c. *Hunnos Acatiros* (ultrà Pontum) *adorti erant*, *& conjunctis viribus*, *multis præliis initis*, *gentem devicerant*, *& demum ad Romanos*, *nanciscendæ eorum societatis cupidi*, *se contulerunt. Itaque Imperator* (Martianus,) *legatos benignè excepit*, *& muneribus affectos remisit. Urogi*, & *Onoguri*, omnes sunt Hunniacæ prosapiæ. Quamquam non nego, etiam *Saraguros*,

b. De Legat. Pag. 42. & 43. Græc. Σαράγουροι καὶ Οὔρωγοι, καὶ Ονόγουροι, ἔθνη ἐξαναστάντα τ' Ουννων ἐθνῶν. &c. ‡ Existimo, à Persis vel Turcis.

guros, aliquâ olim propinquitate, vel ſaltem communitate ſedium, iiſdem acceſſiſſe, ut illud *guri* in fine oſtendit. (Vox enim eſt compoſita, ex *Sara* & *Gori*, vel *Guri*.) Sed mihi de illis nondum ita conſtat, ſicut de reliquis. De duobus, *Urogis* nempe & *Onoguris*, nullum eſt dubium; (ut mox patebit è teſtimoniis, & ex ipſis nominibus benè, penſitatis;) at de *Acatiris*, quos hîc expreſsè *Hunnos* vocat Priſcus, & quibus priores bellum intuliſſe dicuntur, dubitari poteſt, annon potius fuerint Turcicæ proſapiæ, quos etiam conſtat olim, (ut jam dictum,) *Hunnos* fuiſſe vocatos. Præcipuè *Hunnos* illos non dubito eſſe Turcas, qui vocantur apud Priſcum *i.* Ὀυννοὶ Κιδαρῖται, *Hunni Kidaritæ*, & contra quos iiſdem temporibus, (quibus ſupra dicti legati ad Martianum venerant,) Perſæ auxilium à Romanis poſtularunt, & brevi eos, etiam ſine auxilio Romanorum, vicerunt, ſignanter Urbem eorum *k. Balaam* dictam, expugnarunt. *Akatiri* autem ſunt iidem, quos Priſcus alibi *Akatiziros*, & iterùm *l. Katziros* vocat; de quibus dicit, quòd *omnis Catzirorum gens, in jus ditionemque Attilæ conceſſit.* Atqui eoſdem ſupra, *Akatiziros m.* dixerat. Hinc doctiſſimus *Valeſius* in

i. Pag. 43. *k.* Pag. 46. *l.* De Legat. Pag. 55. Παντὸς τοῦ Κατζίρων ἔθνους τῷ Αττήλα παραδοθέντος. *m.* Pag. 54.

in ſuis notis in hunc locum ſcribit, præmiſsô, Ἀκατζίρων Ἔθνος: *n. Lege*, Ἀκατζίρων. Et ſtatim ſubjicit: *Infra* Κατζίρων *ſcribitur truncatè.* Atqui *Katziri*, non alii ſunt, quam illi ipſi, quos ſæpè Græci poſteriores *Chazaros* vel *Cazaros*, vocarunt: quod vel ipſa nominis ſimilitudo oſtendit. Nec etiam aſſignari poteſt ullum diſtinctionis realis fundamentum, inter *Katziros*, & *Chazaros*. Chazaros autem ſive Catziros, puto eſſe progenitores *Coſaccorum*, & multorum aliorum *Tartarorum*. Qui primis temporibus, poterant vocari *Hunni*, quia mixtim cum iis in Scythia habitabant, & quia ſuberant imperio *Hunnorum*, tempore Athilæ; ut ex Priſco patet. Arabibus חזרון *Chazron*, * eſt nomen gentis, quæ propè mare Caſpium degit. An verò olim primi horum *Catzirorum* majores, dicti fuerint *Catiari* apud Herodotum, (Lib. 4.) in medio relinquo.

VIII. De *Vrogis* & *Onoguris*, quod fuerint *Hunni*, res eſt clara. *Vrogi* enim, (qui *Vrgi* apud Strabonem,) per literarum *r* & *g* transpoſitionem, iidem ſunt qui *Vgori*, vel *Ogor* (Ὀγὼρ,) apud Simocattam; *o.* item *Viguri* ſeu *Vguri*, apud Menandrum. *p.* Et *Vgori* vel *Vguri*, iidem, qui & *Onoguri*. Quod au-

n. Not. in Priſc. Pag. 206. * Vid. Lexic. Arab. Gol. col. 704. *o.* Hiſt. Lib. 7. c. 7. & 8. *p.* De Legat. Pag. 100. & 109.

tem Priſcus *Vrogos*, h. e. *Vgoros*, diſtinguere videtur ab *Onoguris*; ideò factum puto, quia à diverſis diverſimodè enunciari ejuſdem populi nomen, audiverat. Ceterùm, ipſa etiam nominis origo, *Vgoros*, & *Onoguros*, infra † eoſdem eſſe docebit. *Onoguros* autem & *Vguros*, eſſe verè *Hunniacam* gentem, ‡ ſtatim audiemus. *Vgori* item, ſeu *Vguri*, abjectâ mediâ vocali, ſunt *Vgri*. Atqui *Vgri*, ſunt iidem, qui Sclavis noſtris hodie *Vhri*. *Vhri* autem apud illos ſunt ipſiſſimi *Hungari*. Ita enim nos ſua linguâ vocant, nempe *Vhri*. *H*, ex *g*, facilè mutatum. Poloni enim hodie, loco *h* Sclavorum, ſolent pronuntiare *g*. (hoc eſt, *gh.*) Ut, ſi montem, Sclavis *hore*, dicere volunt, dicunt *gure*. Georgius *Wernherus*, ad Sigiſmundum *Herberſteinium*, ſic de hoc nomine ſcribit: *q*. *Quid? quod Hungaris noſtris penè ignotæ eſſent origines ſuæ, niſi tu confirmaſſes, Moſchis † confinem eſſe, & ad imperium eorum pertinere Juram, vel ut alii malunt, Jugariam, unde & initio profecti ſunt Hungari, & nomen traxerunt. Ex Scythia quidem veniſſe eos, nemini erat dubium, ſed de nomine diſceptabatur, cum alii ab Hunnis & Avaris voce compoſitâ, dictos eſſe aſſererent, alii aliud comminiſcerentur. At vero propius*

† Cap. 8. ‡. Huj. cap. parag. 10. 11. & 20. Conf. inf. cap. 8. *q*. De Admirand. Hungariæ aquis, inter Script. Rer. Hung. Franc. ed. An. 1610. Pag. 602. †. Hoc eſt, Moſcovitis.

pius est ab Jura manasse Hungarorum nomen, cum nunc quoque Sclavorum linguâ, quâ nulla per Europam latius patet, Juri, vel primâ syllabâ nonnihil, ut fit, levigatâ, UHRI vocentur. Habemus hîc de *Uhris*, id quod asserui, à Sclavis ita Hungaros vocari; quod testimonium propter illos tantùm, qui penitùs ignari sunt linguæ Sclavonicæ, majoris evidentiæ causâ apponere volui. Ceterùm quod dicit *Wernherus*, olim Hungaros, in ea parte Scythiæ habitasse, quæ *Jura* nunc dicitur, (aliàs *Juchoria*, vel *Jugariâ*,) indeque Hungaros, (à regione,) *Uhros*, vel *Ugros* dictos; id ex meo hocce Libello, facilè examinari & dijudicari potest, an sit, & quomodo sit verum. Et si enim passim per Scythiam utramque, Hunnos *Onogoros* & *Ugros* dictos, comperio olim, longè lateque dispersos esse; tribus tamen in partibus Scythiæ præcipuè, suas sedes habuisse, è Veterum Scriptis deprehendo. Unam eorum sedem, lego, in Asiatica Scythia versùs boreales ejus partes, unde *Ammianus* scribit *Hunnos* egressos esse; & ubi hodie in chartis quibusdam Geographicis scribitur *Juchoria*; nisi quod latiùs extensi sunt illi *Hunni*, quàm est in charta locus *Juchoriæ*. Atque huc etiam, partim ob multiplicationem, partim ob injurias à vicinis acceptas, ex antiquioribus ac avitis suis sedibus, inde ab *Araxe*, *Thermodonte* & monte *Caucasio*, longo seculorum decursû,

pro-

propulsos fuisse, itidem ex veteribus Historicis, teneo. Alteram eorum sedem invenio, ultra Mæotidem & Pontum Euxinum, versùs montes Caucasios, atque etiam ultra eos; unde *Hunni*, referente *Hieronymo*, eruperant in partes Orientis, Antiochiamque obsederant. Tertiam eorum sedem lego fuisse, in Europæa Scythia, ubi quosdam *Chunos* collocat Ptolomæus, & *Vrgos*, Strabo.

IX. An etiam dicti sint *Vhri* à *Jura* regione, hoc tantùm (si liceat ita loqui,) putativè verum est; hoc est, ratione eorum, qui ignorarunt aliam vocis originem. At patebit ex origine vocis, suo loco à nobis danda, Regionem potiùs illam quæ nunc *Jura* dicitur, ab incolis *Vgris*, successû temporis fuisse denominatam; cum nomen *Vhri* seu *Vgori*, vel *Vrgi*, (quod idem,) longè antiquius sit, quàm nomen *Jura*. Hoc enim, versùs illas Mundi partes, in nullo antiquo Geographo invenio.

X. De *Vgris*, huc pertinet & illud, quod annotat Carolus *Cantoclarus*, ad illa Verba Menandri, r. Ὀυϊγύροις, εἶτα Ζάλοις, Ὀυννικῷ φύλῳ. (H.e. *Huiguros, deinde Zalos, Hunnicam gentem*,) ita scribendo: s. *Hugoros, Vgros, Vngaros, Hunnos, idem esse puto.* Et alibi; *Ongoros, & Hugoros, & Onogoros, eosdem esse puto.* Licet

r. Menand. in Exc. de leg. pag. 100. s. Cantocl. In Not. ad Men. pag. 197. Pag. 201.

Licet vero, ad Prisci verba jam allata, dubitanter videatur annotare, hæc: *Urogi nescio an Ugori, qui & Ugri, & Ungari; nec enim alibi, Orogorum mentio*; sed revera si quis Græcorum, qui hac de re scripserunt, verba inter se contulerit, animadvertet, *Urogos*, idem esse, quod *Ugoros*, vel *Ugros*, per literarum trnnspositionem apud *Priscum* ita dictos. Eodem modo, etiam apud *Strabonem*, excellentem Geographum, nemo unquam inveniet in partibus Scythiæ, *Urgos*, quos ille sic vocat, nisi teneat, illud nomen, per exiguam literarum *g* & *r*, transpositionem, ita fuisse exaratum à Strabone, (procul ab illis habitante,) pro eo, quod debebat scribere, *Ugros*.

XI. *Iornandes* autem (qui scripsit, an. D. 552) aperte *Hunnorum* veterum partem, vocat *Hunugaros*; quod idem est, ac si dixisset *Hungaros*, nempe composito nomine, ex *Hunnis*, & *Ogoris* vel *Goris*; ut infrà de *Ogoris* etiam dicemus. Verba *Iornanda* sunt: *s. Hunugari autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum † venit commercium, quos tantorum virorum formidavit audacia. Quorum mansionem, primùm esse in Scythia solo, juxta Paludem Mæotidem, secundo in Moesia, Thraciaque & Dacia; tertio suprà Mare Ponticum; rursus in Scythia legimus habitasse.*

Aga-

s. Jorn. Lib. de Reb. Getic. † Æneas Sylv. *Mardurinarum* legit olim ex Jordano.

Agathias etiam, qui floruit circa an. D. 570. pariter *Hunnos*, scribit fuisse etiam *Unnguros*, *cognominatos*; *t.* à quibus etiam Civitas olim in Colchide, (parte nimirum antiquissimæ Scythiæ,) *Onuguris*, *nomen suum sortita* fuerit. Est etiam apud *Simocattam*, ‡ Hunugurorum, Hunniacæ prosapiæ, mentio.

XII. Quod porro apud *Agathiam*, legimus veterum Hunnorum aliquos dictos fuisse *Kotrigoros*, alios *Utigoros*, alios *Ultizuros*, alios *Burgundios*; id quantum ad aliquos, eo sensu accipiendum est, quo jam novimus multas Nationes Scythicas, Hunnorum olim subfuisse imperio: unde factum, quod aliquando illi etiam *Hunnos* se dicerent, vel saltem ab aliis dicerentur esse, (ut de Turcis & Bulgaris notum,) qui natione & linguâ, non essent Hunni, sed tantum fœdere, societate, & cohabitatione. Sicut etiam hodie, si quispiam e veteribus Alanis & Gothis Germanicâ seu Saxonicâ veteri linguâ utens, vel etiam Sclavus, nostræ Patriæ nativus incola, versetur in alienis oris, (v. gr. in Academiis, vel commerciis,) non se dicit, (quantum hactenus mihi, experimento frequenti hoc constat,) Germanum vel Sclavum, sed semper *Hungarum*; quod recte facit, quantum ad Patriam; est enim Patriâ Hungarus; at non linguâ vel Natio-

t. Agath. in Histor. Justinian. c. 3. pag. 72. in edit. Græc. ‡ Lib. 7. c. 8.

Natione. Idem & olim ſæpe evenit. Imò lego apud *Zoſimum* †, (qui floruit an. D. 410. uſque ad 425.) quod aliquando nequiſſimi etiam prædones, paſſim graſſantes, *Hunnorum* nomen ſibi aſſumpſerunt, cum tamen veri *Hunni* non fuerint. Nomen genuinorum Hunnorum erat, aut per excellentiam *Hunnos* vocari: aut aliquando *Ugoros*, *Ogor*, vel *Ugros*, vel *Onogoros*, ſeu *Hunugaros*. Tandem verò etiam *Abarorum* nomen invaluit, (ut ex dictis & dicendis clarum;) uſque dum poſt ultimum eorum in Pannoniam adventum, vocati demum ſunt conſtanter in Occidente *Hungari*, vel *Ungari*, rarius etiam *Ugri*. De nomine autem noſtro Hungarico *Magyar*, ejuſque origine, alio loco, Deo volente dicam. Sed ut ad Agathiam revertar. Is, varia illa nomina, non *Hunnis* dat ſpecialiter, ſi penitiùs eum inſpeciamus, ſed *Scythis* & *Hunnis* in genere. Ubi, bene novi ex aliis Scriptoribus Græcis, per *kotrigoros*, intelligi Bulgaros; qui † *kotragi*, (quod idem cum *kotrigoris*,) apud Nicephorum C. P. *u.* & alios dicuntur. Et fortè per *Burgundios* etiam hoc loco, qui *Burgiones* Ptolomæo *x.* in Sarmatia Europæa, eorundem pars quædam intelligi-

† Lib. 5. (in rebus Arcad. & Honor.) pag. 799 edit. Francof. An. 1590. † κότραγοι. *u.* Hiſt. pag. 22. & apud Paul. Diac. in Hiſt. Miſc. Lib. 19. Item apud Theophanem. *x.* Geogr. Lib. 3. c. 5.

ligitur, cum legam apud Nicephorum C.P. z. & Theophanem, a. *Bulgaros* olim, dictos fuisse etiam, *Unnogunduros*; quod facile ex *Burugundis*, ut habet Agathias, mutari potuit. *Utigori* autem tum hîc, tum apud Menandrum, sunt iidem, qui apud Procopium dicuntur *Hunni Uturguri*; * quos ille suo tempore, (hoc est, an. D. 533. †) *trans paludem Maotidem* habitasse scribit: eò quòd ex tantâ multitudine *Hunnorum*, primitus ex Asia egrssorum, poterant multi, non solum post mortem *Athila*, sed etiam ipso vivente, (ut fit in re bellica, quod jam supra monui,) diversis vicibus, versùs Paludes Mæoticas, & ultra eas ‡ reverti. Aliqui poterant adhuc tempore primi egressûs aliorum, domi manere. Hos autem, tùm *Utigoros*, tùm *Uturguros*, ab *Hunoguris* vel *Unoguris*, differre non video, nisi unius syllabæ mutatione, ut sæpè fit. Nec *Ultizuros* ab *Utigoris*, vel *Unoguris*, linguâ vel Natione principali, sed solâ tribû particulari, distingui censeo.

XIII. Sed placet hîc apponere, verba Agathiæ; qui & dicta de præcipuâ Hunnorum,

z. Niceph. Hist. pag. 16. ad an. 634. a. Theoph. in Origin. Bulgar. ex MS. edit. Par. pag. 75. * Proc. Cæsarien. De Bell. Gothic. Lib. 4. c. 18. † In vivis adhuc erat, an. D. 562. ‡ Hoc facile possum etiam ex Agathia colligere; De Regn. Justinian. Lib. 5.

rum, dum egrederentur in Europam, sede, suprà & ultra Tanaim confirmat. *b.* Οἱ οὖννοι τὸ γένος, τὸ μὲν παλαιὸν κατῴκουν τῆς μαιώτιδος λίμνης τὰ πρὸς ἀπηλιώτην ἄνεμον, καὶ ἦσαν τοῦ τανάϊδος ποταμοῦ ἀρκτικώτεροι, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα βάρβαρα ἔθνη, ὁπόσα ἐντὸς ἰμαΐου ὄρους ἀνὰ τὴν Ἀσίαν ἐτύγχανον ἱδρυμένα· οὗτοι δὲ ἅπαντες, κοινῆ μὲν σκύθαι καὶ οὖννοι ἐπονομάζοντο· ἰδία δὲ κατὰ γένη, τὸ μὲν τι αὐτῶν κοτρίγοροι, τὸ δὲ οὐτίγοροι. ἄλλοι δὲ οὐλτίζουροι, καὶ ἄλλοι βουρούγουνδοι, καὶ ἄλλοι ὡς ἂν αὐτοῖς πατρῷόν τε ἦν καὶ εἰθισμένον. H. e. *Hunni quoad genus, olim quidem incoluerunt Mæotidis Paludis eas partes, quæ sunt ad subsolanum ventum, erantque fluvio Tanai magis septentrionales †, sicut etiam aliæ barbaræ Nationes, quæcunque intra Imaum montem, per Asiam loca habebant. Hi ‡ autem omnes communiter SCYTHÆ & HUNNI, vocabantur: secundùm propriam autem gentem, pars quidem eorum, Kotrigori, pars Utigori, alii verò Ultizuri, & alii Burugundi. Et alii, ut illis patrium erat & consuetum.* Videmus, non *Hunnis* tantùm dare Agathiam, varia illa nomina, sed in genere Scythis & Hunnis. Porrò præ-

L. ter

b. Hist. de Regn. Justinian. Lib. 5. pag. 149. ed. Græc. † Hoc est, plùs ad Septentrionem vergentes. ‡ Subintellige populi, vel quid simile masc. gen.

ter enumeratos hactenùs Hunnos, erant aliqui, qui dicti sunt olim *Hunni* † *Ephtalitæ*; ab aliquo Rege * posterius illud cognomen nacti. [*Nephtalitæ* ‡ dicuntur *Agathiæ* & *Simocattæ*; * forte ab Hebr. פתל / unde נִפְתַּל (niphtal) luctari; quod essent bellicosi. Dicuntur etiam *Abdelæ* apud Simocattam.] Hos describit *Procopius* † Cæsariensis, ut Nationem suo tempore potentissimam, bellicosissimam, (contra Persas imprimis,) in *regione benigna*, ad Septentrionem *Persiæ* sedes habentem: quos *Albos* etiam *Hunnos* dici scribit. Sed etiam hi paulò post, h. e. circ. an. D. 566. in potestatem Turcarum ‡ cesserunt.

† Procop. de Bell. Persic. Lib. 1. c. 3. * Theophan. Byzant. in excerptis. p. 21. ‡. Agath. de Regn. Just. Lib. 4. pag. 133. in Græc. οὐννικὸν τὸ γένος οἱ Νεφθαλῖται. * Simoc. Lib. 7. c. 7. † Procop. loc. cit. de bell. Pers. Lib. 1. c. 3. & 4. ‡ Menand. de Legat. Lib. 1. pag. 108. Porrò cum hi *Nephtalitæ* dicantur, non solùm apud *Agathiam*, sed etiam apud *Simocattam*, Hist. Lib. 7. c. 7. subiit ex hoc animum meum hujusmodi cogitatio: annon hæc pars Hunnorum, ad Septentrionem Orientalem Persiæ, originem suam debeant, Parti cuidam *Israelitarum*, (imprimis Tribui *Nephtalim*,) à Salmanassare annis circiter 738. ante natum Christum, in Assyriam, & ei subjectas tunc Regiones, (Mediam Scythis conterminam, aliasque, 2 Reg. 18. v. 11.) abductorum, ac successû temporis, cum Scythiæ quibusdam populis mixtorum. Verùm cum nondùm habeam aliunde, evidentia

runt. An ex his aliqui cum *Abaris* venerint in Europam, nihil mihi de eo, ex Historicis compertum. Nomina autem tam varia *Hunni*, ob diversas suas tribus & familias sortiti sunt.

XIV. Jam verò, quod etiam *Abares*, Natione fuerint *Hunni*, illud quoque testimoniis ostendamus. Theophylactus *Simocatta*, (qui floruit an. D. 612.) postquam præmisisset de gente *Ogor*, (h. e. *Ugororum*,) quod eam Chaganus Turcicus *c. totam domuerit*, quòd *tum numero, tùm armorum exercitatione validissima* fuerit, quod olim *in Oriente, ad fluvium Til, Turcis Nigrum*, (μέλανα Græcè,) *habitârit*; † quòd *ejus vetustissimi Principes Var & Chunni vocati* fuerint, unde etiam dicit, *nonnullas illarum gentium nominatas* fuisse, *Wár & Chunos*; mox de *Abarum* origine & introitu in Europam hæc scribit: *d. Justiniano Augusto imperium obtinente, ex hisce gentibus Var & Chunni, exigua pars, à primævo genere illo profugiens, in Europam se intulit, qui se Abares, & Principem suum Cha-*

L 2 *ganum*,

hujus conjecturæ argumenta, sufficiat nunc eam, obiter hîc in margine annotasse, ut viris eruditis occasionem de hac re ulteriùs discurrendi, præberem. *c.* Lib. 7. c. 7. Τὺς Ογὼρ ἐχειρώσατο πάντας. &c. † In præsenti dicit, οἰκήσεις ποιȣ̃νται. *d.* Hist. Lib. 7. cap. 8. Juxt. interp. Jacob. Pontani. Græc. Ἐκ τȣ́των Οὐὰρ καὶ Χȣννὶ ὀλίγη ἀποδεδράκασι.

ganum, honoris causâ nominarunt. Quâ verò occasione nomina commutarint, nihil à veritate abeuntes, explicabimus. Sarselt, & Unnuguni ‡, & Sabiri, & aliæ gentes Hunnicæ, postquam partem Vár & Chunni ad loca sua † confugientem viderunt, ingenti metû perculsæ sunt, quòd advenas illos Abaros esse suspicarentur. Quocirca securitati consultum cupientes, donis amplissimis eos coluerunt. Var itaque & Chunni ‡, ut perfugium sibi feliciter evenisse animadverterunt, errorem se se honorantium non aspernati, Abares dici voluerunt.

XV. Habemus in his, & tempus adventùs *Abarum* in Europam, Justiniano (primo) regnante, (scil. circ. an. † D.564.) & quod suos fratres *Hunnos*, tunc in Europa, repererint: & præterea quod Abares, ex Natione *Var* & *Chunni* fuerint. Ubi ille τὸ *Chunni*, ab *Hunnis*, tantùm per ignorantiam distinguit; cum omninò *Chunni*, nunquam alii populi reperientur esse vel fuisse, nisi *Hunni*, vel pars *Hunnorum*; quod & nominum similitudo, & origo vocis, (de qua infra, ‡) ostendit.

‡. Iidem qui & *Unugori*. De *Sarselt* mihi non constat. *Sabiros*, mixturam Hunniacam esse puto. Unde Hungaricè, *Zavaros*, turbidum & mixtum.
† Infestati nimirum à Turcis, ad alios Hunnos, in Europam venerunt, ut clarius infra patebit.
‡ Semel tantùm nominavit eos *Cheunos*; aliàs, vel *Chunnos*, vel *Chunos* nominat. † Sic Valesius ex Victore Turon. in Notis ad Menandr. pag. 215.
‡ Cap. 8.

dit. Quod verò contendit hoc capite & præcedenti, *Abares* hos juxta *Istrum*, & in *Pannonia*, aliisque partibus Europæ, non fuisse veros *Abares* Orientales, qui ad Caucasum olim habitabant, sed tantum *Pseudo-abares*; hoc quidem si de multis, qui se se *Abaribus* illis adjunxerant, diceret, non erraret; at cum de Natione Principatum inter Hunnos tunc tenente, id afferat, in eò multùm fallitur. Etsi enim facilè concedo, partem *Turcarum* ultrà Pontum, sub Turcicis Chaganis, dictam fuisse *Abares*, (sicut & Hunnorum nomen aliquando illis communicatum est,) non etiam nego, multos ex Hunnis *Abaribus* ibidem mansisse, aliis eggressis, (quod ex Menandro perspicuum est;) Turcisque tandem immixtos & confusos esse: verùm *Abares*, qui in *Europam* venerunt, & in *Pannonia* suas sedes habuerunt, veros fuisse *Abares* (qualecunque sit illud nomen,) Orientales Origine, ex *Evagrio*, & *Menandro* Protectore, Simocattâ antiquioribus clarum est: qui eos simpliciter *Abaros* vocant. Imprimis *Evagrius* ita eos describit, ut si quid de figmento *Simocatta* nosset, commodè aliquid de eo dicere debuisset. Verba *Evagrii* paulò post audiemus. Menander bis etiam loquendo de his *Abaribus*, † qui a potentia Turcarum se eripientes, venerunt in Europam, nihil dubitat

† De Leg. pag. 108. & p. 162.

bitat eos, *Abaros* dicere. Porrò, quòd hos *Abares* Hunnos, dicit Simocatta, *partem* fuisse *Var* & *Chunni* prosapiæ Hunniacæ, (seu Gentis *Ogor*, quod hîc eodem recidit;) in ea sua locutione, dividit ea, quæ non erant dividenda, quasi duas Tribus facientia. (Quod puto, ideò ab eo factum esse, quod nec ipse, nec sui similes, rectè assecuti fuerint, quid hîc sit *Var* & *Chunni*.) Menander † enim duo hæc nomina, compositè enunciat, pro uno nomine, dum *Abares* nostros, de quibus nunc est sermo, Ὀυαρχωνίτας, *Varchonitas* appellat. Sic enim ille, Turxanthum, *Chaganum* Turcarum, ad legatos Romanorum, de Tiberio II. Imperatore, & Abaribus nostris, (circa an. D. 577.) loquentem introducit: *e.* Ἐμοὶ μὲν φιλίας ἐχόμενα διαλεγόμενος, τοῖς δὲ δὴ Ὀυαρχωνίταις τοῖς ἡμετέροις δούλοις, (ἐδήλου δὲ τοὺς Ἀβάρους,) ἀποδράσασι τοὺς δεσπότας, γενόμενος ἔνσπονδος. *Mihi quidem amica verba loquitur*, (Tiberius,) *factus est autem VARCHONITIS, nostris Servis*, (*indigitabat autem ABAROS*,) *deficientibus à Dominis*, (vel *Dominos deserentibus*,) *confœderatus*. Et paulò pòst: *Ego eximiè scio, quà Danapris fluvius, quà Ister, quà Hebrus fluit & labitur; quà transierunt in Romanam ditionem,*

Servi

† Floruit Menand. circ. an. D. 590. *e.* Menand. Lib. 8. pag. 162. edit. Paris.

Servi nostri, (οἱ Ὀυαρχωνῖται,) *Varchonitæ.* Hi *Varchonitæ* iidem sunt, qui apud *Simocattam* disjunctim, *Var* & *Chunni*; (vel rectiùs *Chuni*;) ut unicuique narrationem *Simocattæ* de Abaris, cum narratione *Menandri* conferenti, imò vel saltem pauca hæc, in medium ex utroque allata, pensitanti, liquidò patet. Puto autem *Var* & *Chuni*, esse tantùm diversa unius ejusdemque Nationis Hunniacæ nomina, ab ignaris originis nominum, ita accepta, quasi vel diversas tribus, vel unam ex diversis conflatam, significarent. Non ignoro quidem, *Vár* in nostra lingua, & *arcem* significare nominaliter, & τὸ *expectat*, verbaliter; verùm aliam hîc requiri significationem, ipsa res demonstrat. Existimo enim, *Var*, hîc idem esse, quod Sclavis *Vher*, (in sing.) vel *Vhar*. Atqui hoc nomen, idem est ipsis, quod *Vgrus*, sive *Vngarus*; ut jam supra † docuimus. *Chunni* autem vel *Chuni*, *iidem* sunt, qui aliàs *Hunni*. Ubi, facilè ε in ω poterat apud Menandrum transmutari. Sic ergo dum quidam, v. gr. Sclavonicæ originis Scythæ, vocarent nostros majores *Vhar*, alii autem communiore ac notiore vocabulo *Hunnos*, vel *Chunos*, factum est à quibusdam, ut hæc nomina *Var* & *Chuni*, quasi diversa, ab *Ogor*, (sive *Vgri*) & *Hunni*, (ceu rivuli a suo fonte,) reputarentur; præsertim si aliqui Duces in

† Parag. 8. huj. cap.

ea gente, unus hoc, alter illo nomine fuerint insigniti.

XVI. Sed clarissimis jam testimoniis ostendamus *Abares* fuisse veros Hunnos. *Menander* expresse eos *Hunnos f.* vocat. Menandro coævus inter Latinos, *Gregorius Turonensis*, (an. D. 590.) tanquam proprio & notissimo eorum nomine eosdem appellat *Chunos*, h. e. *Hunnos. g. Rex* (inquit) *Chunorum, multa munera Regi Sigiberto dedit. Vocabatur autem Gaganus: omnes enim Reges Gentis illius hoc appellantur nomine.* Vult dicere *Chaganum*; quô satis ostendit se de *Abaris* loqui. *Theophanes*, (an. D. 787. & sequ.) similiter *h. Unnos* eos dicit, ac subjicit illico: *Abaros quidam vocant.* Pariter *Ado* Viennensis, an. D. 879. *i.* nunc *Hunnos*, nunc *Avaros* illos nominat. Eodem seculo (juxta Voss.) *Landulphus Sagax*, scribit de illis: *k. Hunnos, -- quos Avares vocant.* Et *Fredegarius*, (an. D. 740.) perspicue sic: *l. In Avarorum* (inquit) *cognomento CHUNORUM Regno, in Pannonia, surrexit vehemens intentio.* † (Vult dicere, *contentio.*) Item, *Aimoinus* Floriacensis, (qui vixit an. D.

f. De Legat. pag. 117. ed. Par. *g.* Greg. Tur. Hist. de Gest. Franc. L. 4. c. 29. *h.* Theoph. Chron. pag. 263. ed. Par. 1655. *i.* Ado in Chron. Ætat. 6. ad an. D. 564. & 604. & 783. & 804. *k.* Hist. Misc. Lib. 18. *l.* Fred. In Chron. Tom. 1. Script. Hist. Franc. ed. Par. 1636. p. 761. † Contigit circiter an. D. 642.

D. 1000.) inter alia ſcribit : *Hunni, qui & Avares.* Apertè etiam *Simocatta*, (qui, ut jam audivimus, ex *Var* & *Chuni* eorum originem deducit,) vocat eos, *m. Hunnos Iſtrum accolentes.* Sigebertus quoque, (qui an D. 1113. obiit,) ita ſcribit : ‡. *Avari, qui & Hunni.* Ne verò & illud taceam ; *Jornandes*, qui paulò præceſſit celebrem Abarum in Pannoniam adventum, vocat eos * *Aviros*; quaſi Abiros ; (quod ad Hebraicum *Abir*, propiùs accedit ;) quos & ipſe inter *Hunnorum gentes* recenſet.

XVII. Nomen Ducis *Abarum*, frequentiſſimum erat, *Chaganos*, Scriptoribus Græcis, aliquando etiam *Bajanos*, uti occurrit ſæpè apud Menandrum ; Latinis verò, nunc *Chaganus*, nunc levi mutatione *Chajanus*, vel etiam *Gaganus*, & *Caganus.* Sed primum illud à Græcis uſitatum, origini ſuæ eſt propinquius. Nomen illud *Chagan*, non diffitemur, noſtros veteres Hunnos-Abares, mutuaſſe à Perſis & Turcis vicinis ; quod non mirum erat ob vicinitatem. Eſt enim vox Perſica, כי כאן *Caj-ghan*, (vel Chaj-chan,) quod Arabibus eſt כיכמון *Cajgamon*, i. e. magnus Rex, vel Potentiſſimus; epitheton nempe, Regis vel Imperatoris. Eſt enim ככמא

m. Sim. Hiſt. Lib. 1. c. 3. ‡ Sig. in Chron. ad an. D. 804. * Jorn. de reb. Getic. p. 599. ed. Baſil.

(*Chaghama*) *n.* Arabibus idem, quod *loco depulit*; unde derivatur, *Chaghamon*, significans valde potentem & validum. Testis est etiam Simocatta, *o.* Turcarum veterum, quatuor Duces seu Præfectos, dictos fuisse *Chaganos*; quorum unus, qui in loco *Echtel*, vel *Echtag*, mons aureus dicto, habitabat, summum *p.* gessit Principatum. Si ergò tantùm de mutuatione nominis *Chagan* dixisset Simocatta, *Abaros* id nomen à Turcis & Persis ex Oriente accepisse, nihil à veritate alienum dixisset; nullum enim video vel vestigium in nostra lingua, (quæ, quòd essentiâtenùs sit eadem cum veteri *Hunniaca*, infrà patebit,) unde appareret, nostros ex proprietate suæ Linguæ, suos Duces & Principes, illo nomine potuisse vocare. Nostrâ enim linguâ, vel *Vezér*, (Dux,) vel *Fejedelem*, (Princeps,) vel *Király*, (Rex,) debuisset nuncupari. At non miror, quòd illud nomen originis Persicæ sibi assumpserint. Non enim dubito, ob summam viciniam, imò aliquando etiam commixtionem mutuam, quin illis temporibus, etiam ante adventum *Abarum* in Europam, satis notum illud nomen in Vulgo quoque fuerit, quid significaret; ut per usum, quodammodo redditum fuerit tunc

n. Vid. Lexic. Arab. Golii, pag. 2008. *o.* Lib. 7. c. 8. *p.* Menander pag. 108. Conf. pag. 152. & 164.

tunc *Hunnicum*; ſicut hodie *Vajda*, vel *Wajwoda*, Moldavicum & Ciganicum. Non fuiſſe autem alienum à noſtra lingua, vocem aliquam, ad ejuſmodi ſonum pronunciare, ſatis apparet ex hiſce vocibus Hungaricis: *Cſákány*, (ſeu *Chákány*, juxta veteres;) decuſſata clava; (ex joco à petulantibus, dicitur etiam *Magyar Kereſzt*, Hungarica crux;) item *Zákány*, cognomen Nobilis cujuſdam familiæ in Hungaria; item, *Czigány*, † populus, (de quo jam dixi,) ſuas ædes, h. e. tentoria, etiam hodie in currubus portans, paſſim diſperſus, per Hungariam, Tranſylvaniam, & vicinas Regiones. Horum mentionis occaſione ſuccurrit mihi, annon ex hiſce *Ciganis* olim multi, imo plures fuerint inter Abares, quam inter alios Hunnos, citiùs egreſſos: quibus familiarior poterat eſſe vox illa, quam noſtris. Etſi enim mihi ignota eſt illorum lingua; (non enim, quilibet facilè eam ab illis poteſt diſcere; cum experimento mihi conſtet, in juventute, nunquam me ab ipſis extorquere potuiſſe, ut rectè & ordine *Pater noſter*, &c. *Ciganicè* recitarent, ſed recitant, vel linguâ Hungaricâ, vel ejus Nationis, in cujus ſunt medio;) etſi inquam ignota mihi eorum lingua, tamen ut ex pronun-

† *Zingi* olim fuerunt dicti, ad Paludem Mæotidem quidam, ut Plinius tradit. Lib. 5. c. 7. Vid. *Singaros*, apud Suidam.

nuntiatione illorum colligo, nomen *Chagan*, faciliùs illi hodie pronunciabunt, quàm noſtri. Non dubito etiam Nationes in Moldavia, & ultra eam, quæ *Abarorum* Duci ſuberant, nomen illud olim facilimè, ut ſibi notum, pronuntiaſſe; ideoque non mirum, ſi veteres Hunni, diù iſto titulo, in ſuis Ducibus nominandis, uſi fuerint.

XVIII. Aliud tamen nomen Ducis Abaro-Hunnorum, nempe *Bajanus*, quod frequenter occurrit apud Menandrum, imò reperitur quodam in loco, etiam apud Nicephorum, *q*. C. P. (an. D. 806.) puto eſſe origine, verè Hungaricum, idque hodie dici à nobis contractè *Bán*, (Latinè *Banus*, quaſi *Bajanus*;) quod nomen hoc tempore eſt titulus, Ducum Croatiæ & Dalmatiæ: qui ſecundum Leges Regni Hungariæ, debent ſemper *Hungari* † eſſe; quod etiam arguit nomen illud origine Hungaricum eſſe, non verò Sclavonicum, quaſi *Ban*, idem eſſet, quod Sclavis *Pan*, Dominus. Nam præterquam quod noſtrum *Bán*, conſtanter & perpetuò per *B* ſcribitur, vetuſtiſſimum nomen *Bajanus*, monet nos *Ban* non derivari à Sclavonico *Pan*. Eſt ergo ejus vera origo, potiùs à *Baj* ‡ Hungarico, quod ſignificat *curam*,

per-

q. In Brev. Hiſt. pag. 23. ed. Par. An. 1648.
†. Vide de hac re, An. 1552. Art. 42. & confer, Tripart. Part. 1. art. 94. ‡. Ab Hebr. ביא

perplexitatem, aliquando etiam *certamen*. Hinc *Bajanos*, (quasi *Bajos*, vel *Baj-viselö*,) ex hoc fonte idem erat nostris majoribus, qui curam & bella Regni gerit. Possem ejus originem deducere etiam ab Arabico באנא / (*Bana*,) vel בינון / (Bajnon) *excelluit*, *præstitit*: ut sic *Bajan*, vel *Bejanon*, esset, *perspicuus* & *insignis* in populo. Sed quia non invenio hoc nomen inter Orientales olim, alicujus magni in populo Ducis titulum fuisse, nisi apud nostros; ideò priùs datæ potiùs origini nominis adhæreo, si non clarior & evidentior, aliunde occurrat. Certe nomen *Bajanos*, à nostra lingua non esse alienum, satis ostendit nomen proprium loci Hungarici in nostra Patria, *Bajom*, sive *Bajon*.

XIX. Hæc de nominibus veterum *Hunnorum* & *Abarum* eorumque Ducum, dicta, sufficiant. Nunc ad rem ipsam venio, eaque narrabo, è quibus pleniùs appareat, tùm secundus Hunnorum adventus in Daciam & Pannoniam, tùm etiam, quomodo ab illo adventu continuatæ sint res *Hunnorum*, & *Hunno-Abarum*, usque ad illud tempus, quo iterum tertiò, *Hunni*, seu *Hunugari*, ingressi sunt Pannoniam, suumque nomen & robur auxerunt.

XX. Hunni *Abares* dicti, quo tempore, & quâ

(Bajja) *Væ*, *ah*. Est vox dolentis. Vid. Lex. Talm. Buxtorf.

& quâ de causâ moti venerint in Europam, uſque ad ripas Danubii, ſic nobis deſcripſit *Evagrius*, ejus ſeculi ſcriptor, quâ *Abares* in Pannoniam venerunt: *r. Abari* (inquit) *ſunt Scytharum gens, in plauſtris degentium, qui campos ultra Caucaſum ſitos incolebant. Hi cum à Turcis, finitimis ſuis, gravi detrimento affecti eſſent, relictis ſedibus, univerſi cum uxoribus ac liberis, ad Boſporum venerunt. Deinde relictis littoribus Euxini Ponti, (ubi multa quidem barbaræ habitant gentes; Urbes verò & caſtra ac Stationes quædam à Romanis conditæ ſunt, cum aut milites veterani, aut coloni ab Imperatoribus eò deducti eſſent:) ulterius progreſſi ſunt, cum omnibus barbaris, qui in itinere occurrerent, depugnantes. Tandem verò cum ad ripas Iſtri* (ſeu Danubii) *perveniſſent, Legatos ad Juſtinum* † *miſerunt.* Hæc ille. Sequentia, quæ ille omiſit narrare, conſignavit nobis, ei coævus *Menander* Protector, an. D. 590. ſic ſcribens: *ſ. Juſtinus ad Iuſtinianum retulit; qui illi mandavit, ut ejus gentis Legatos ad ſe Byzantium tranſmitteret. Electus verò fuit ab ea* (nempe Abarorum) *Gente, quidam Candich* † *nomine; qui cum primus legatus ad Imperatorem veniſſet, dixit:* * *Adeſſe*

r. Evagr. Hiſt. Eccl. Lib. 5. c. 1. Ἔθνος ἦ σκυθικὸν οἱ Ἄβαροι τῶν ἁμαξοβίων, τῶν ὑπὲρ τὸν καύκασον τὰ ἐπέκεινα πεδία νεμομένων. &c. † Qui juxta Danubium cum ſuis militibus tunc excubias agebat. ſ. Menand. de Abaris, in Excerp. Legat. pag. 99. † Græc. κανδὶχ.

* *Adesse gentem omnium fortissimam & populosissimam*, ‡ *Abaros scilicet*, *genus hominum invictum*, *& inexpugnabile*, *qui ejus omnes hostes repellere*, *& funditus exstinguere possent. Illius rationibus valde conducere*, *cum eis armorum societatem facere*, *& auxiliarios optimos sibi habere & adsciscere; qui tamen non aliâ conditione erga rempublicam Romanam benevolo futuri erunt animo*, *quàm si donis pretiosis*, *annuis etiam pensionibus*, *& fertili regione*, *quam inhabitarent*, *donarentur. Hæc Candich Imperatori. Erat eâ tempestate Imperator*, *effœto corpore; non eadem illi vis animi*, *quâ florebat*, *cum juvenis adhuc*, *Gilimerem Vandalum*, *& Vuittigem Gotthum*, *captivos fecit. Itaque jam senex exactâ ætate*, *cum animi robur & belli appetentem virtutem*, *desidiâ & otio commutasset*, *barbarorum exercitum*, *non quidem bello*, *etiamsi decertaret*, *eum penitùs deleret*; *sed prudentiâ & consilio*, *priusquam ipse debito fine extingueretur*, *propulsare cogitabat. Et cum diù superstes esse non posset*, (*etenim non multò pòst hinc migravit*,) † *societatem facere curavit. De ea re Imperator*, *concionem apud Senatum habuit*; *qui ejus* (nempe Imperatoris) *prudentiam*, *& in* *rebus*

* Græc. *ὡς πάρεστι τό μέγιστόν τε καὶ ἀλκιμώτατον τῶν ἐθνῶν· καὶ ὡς τὸ φῦλον οἱ Ἀβαροὶ ἀκαταμάχητοί τί εἰσι.* &c. ‡ Illud Cantoclari: *Quæ se illi traderet*, non habetur in Græco textu, nec sequentia permittunt; ideoque excludendum.

† E Græc. propriè esset: *aliud consilium vertit*, vel iniit. Sed rectè, quoad sensum in textu Latino.

rebus gerendis vim & acerrimum judicium valdè collaudavit. Hoc facto, statim Imperator dona ad Legatos misit, catenas auro variegatas, & lectos, & sericas vestes, & alia quàm plurima, quibus leniret animos superbiæ & insolentiæ plenos. Misit quoque Legatum Valentinum, cui præcepit, ut Gentem (Abarorum) *Romanis societate conjungeret, & efficeret, ut suos inimicos bello aggrederentur. -- Cum igitur Valentinus ad eos profectus esset, & munera præbuisset, ac mandata Imperatoris exposuisset,* * *primum quidim Viguros, deinde Zalos, Hunnicam gentem debellarunt, & Sabiros everterunt.* Hæc ille. Ubi postrema sic intelligenda sunt: ex Hunnis, in Europa usque ad Tanaim ac paulò ultrà extensis, & alia Scytharum colluvie, qui armis sese opposuerunt, illos debellarunt, & severius cum illis egerunt. Non tamen Nationem Hunniacam deleverunt, sed suæ societati & regimini ita conjunxerunt, ut ipsi noviter advenientes tanquam potentiores, (ut fit in ejusmodi mutationibus,) superiores fierent; manente interim parte honoris & magistratûs etiam apud *Hunnos* priùs è Scythia egressos, ut tandem junctis viribus, agenda agerent. Præterea iidem advenientes, depresserunt etiam valde cornu-

* Gr. *πρῶτον μὲν ἐξεπολεμήθησαν Οὐϊγύροις, εἶτα Ζάλοις, Οὐννικῷ φύλῳ· καὶ Σαβήρους ἦ καθεῖλον.* Rectè vertitur etiam *Ongoros*; qui sunt *Vgri.* Alibi etiam (pag. 109.) *Uguros*, vocat quosdam Hunnos.

cornua Bulgarorum Pſeudo-Hunnorum; qui paulò poſt mortem filiorum Athilæ, cœperunt oculos aperire †, & inſolenter ſe erigere, paſſimque in Thracia & alibi graſſari. Inter populos autem hîc nominatos, jam ex ſuperioribus benè novimus qui fuerint *Viguri*, vel *Vguri*. *Zali* ſeu *Sali* fuere olim populi Sarmatiæ Europææ, apud Ptolomæum *s*. *Sabiri*, (qui & *Sapiri*,) erant gens Pontica *t*., in mediterraneis. Fuerunt ergo hi Zali & Sabiri cum Hunnis colluvies Scythica, Hunnorum nomen gerens, non tamen genuina natio Hunniaca. Iidem hi *Abares* ſub ſuam poteſtatem redegerant etiam illos *Hunnos*, qui Procopio ‡ *Hunni Vturguri*, ultra Mæotidem, & *Hunni Cuturguri* cis Mæotidem, dicuntur; ut ex ſequentibus Mænandri verbis patet: * *Abarorum Dux, miſit Targitem*, (nempe ad Juſtinum,) *qui unà cum Vitaliano interprete, Imperatori denuntiarent, ut Sirmium, & pecunias, quas Cutriguri* † *& Vtiguri à Iuſtiniano accipere ſoliti erant, quia* * *VTRAMQVE GEN-*

† Hoc colligi facilè poteſt, ex Agathia de Regn. Juſtinian. Lib. 5. Ubi narrat ſuo tempore, inde jam ab imperio Leonis, *kotriguros* Hunnos, fuiſſe celebres. *s*. Geogr. Lib. 3. c. 5. *t*. Vid. Ortelii Theſau. Geograph. ‡ Procop. de Bell. Bell. Gothic. Lib. 4. c. 18. * Menand. de Legat. pag. 154. † Græc. κȣτρίγȣροι, καὶ Οὐτίγȣροι. * Græc. οἷα δὴ αὐτῷ ἄμφω τῷ φύλῳ τούτῳ καθε-

TEM SUBEGERAT, illi traderet. Non dubito, quin aliqui Hunnorum *Utigurorum*, seu *Uturgurorum*, etiam cis Mæotidem, mixti cum aliis habitarint; sed tamen verba de subactis *Utiguris*, tam latè sonant, ut etiam illi hic comprehendantur, qui in ulteriori Mæotidis ripa habitabant. Et sanè Procopius hos, specialiter una cum suo Rege, ultra Mæotidem collocat: atque etiam apertè innuit, quòd Justinianus eos subinde muneribus honoraverit. Qui sint *Utiguri* illi, jam superiora nos edocuerunt. Per *Cutriguros* autem, pariter monui jam, debere intelligi propriè *Bulgaros*; sic tamen, ut in verbis Procopii, sub nomine illo comprehendantur alii etiam veri *Hunni*, seu *Hunoguri*, mixti *Cutriguris*, & sub potestate eorum tunc existentes. *Cuturguros* enim Procopius (in verbis Regis Sandil,) ὁμογενεῖς, *ejusdem generis* vocat, cum Hunnis *Uturguris*; quod ob illam commixtionem sic dici puto; atque eandem commixtionem, causam etiam unam esse existimo, cur etiam Bulgari Hunni vocati fuerint. Sed redeo ad propositum.

XXI. Habemus ergò in his jam perspicuè enarratum, *Abarum* Hunnorum adventum in Europam, hoc est, *secundum exitum*, majorum

λόντ☉. Unde proprie, quasi, *utramque gentem destruxisset*; sed rectè quoad sensum, vertit Cantoclarus.

rum Hungaricæ Nationis, ex Asiatica Scythia, in regiones Danubio adjacentes, factum, imperante Justiniano seniore, non multis ante mortem ejus annis, ejus imperii juxta quosdam anno 30 mo, *u.* juxta alios veriùs *x.* 36 to; hoc est an. Domini, 564. jam supra à nobis notato.

XXII. Hunni *Abares*, postquam ad Istrum positi, benignè ab Imperatore Justiniano sunt excepti, atque etiam ceteris Hunnis in ordinem à se redactis juncti, iterum *x. legationem* ad *Justinianum* mittunt, *postulantes* ab Imperatore *ut illis liceret circumspicere terram, in qua eorum gens sedes & domicilia poneret.* Quòd hoc tempore adhuc, tantùm de coloniis & præsidiis eorum intellige. Nam patet ex Menandro, Chaganum ita suis terram in Pannonia postulasse, ut tamen ipse nunc adhuc cum multis Magnatibus, in illis Daciæ partibus, ubi nunc est Transylvania cum parte Hungariæ Transtibiscanâ, ac partim in Jazygum regione, permansurus esset. Atque hasce regiones, (ceu Scythiæ quondam accensitas,) præsertim Daciam, intelligo hîc in verbis Menandri per *Scythiam*, dum scribit, quòd *y. Abares*, (scilicet Chaganus & multi cum illo,) *Scy-*

u. Author. Hist. Miscell. *x.* Victor Turonens. de quibus vide Notas *Valesii* in Menandrum. p. 215. *x.* Menand. Exc. de Legat. pag. 101. *y.* Ibid.

thiâ sibi exeundum non censuerunt; illius enim desiderio, quoad fieri poterat, tenebantur. Invenio aliquando *Chaganum* Hunnorum, resedisse etiam *Anchiali* in Thracia, ad tempus; ut hoc infrà † patebit. Sed redeo ad legationem secundam Hunnorum. Dum Imperator consultat, an illam terram det illis, (*secundam* nempe *Pæoniam* z., vel *Pannoniam*, tunc Græcis dictam, in tractû Sirmii & Singiduni,) in qua *Heruli*, h. e. pars Gothorum, ad tempus *habitaverant*, sed Romanis iterùm † reddiderant; *Hunni* responsionis diù protelatæ pertæsi, magna ex parte *Regionem* animô Imperatoris versatam, *occuparunt* priùs, quàm responsum accepissent. Interim Imperator remissurus legatos, cum muneribus quidem, at sine responso, *a. mandavit clàm Justino* tunc supremo Duci militum ad Danubium, ut *Legatis arma*, quæ Constantinopoli comparassent, *quâcunque ratione & viâ posset, in reditû illis eriperet. Dux cum legatos exciperet, Imperatoris mandata est executus. Hinc cœperunt inter Romanos & Abaros inimicitiæ multis ex causis antea accensæ; maximè quod non statim Legati eorum dimissi essent. Præceperat enim Bajanus,* † *ut*

† Parag. 30. huj. cap. z. Vid. Menand. Loc. cit. † Hoc colligo, ex narratione Menandri, pag. 111. Apertè autem habetur apud Evagrium de *Sirmio*, Hist. Eccl. Lib. 5. c. 12. ed. Valesf. a. Verba sunt Menandri, loc. cit.

† *ut quamprimùm redirent.* Interim suos hîc vincentes affectus, altum corde dolorem presserunt, & aliis negotiis se occupandos addixerunt.

XXIII. Ubi enim jam inferiorem Hungariæ partem ad *Sirmium*, & circumcirca, præ manibus haberent, prima cura eorum fuit, *Gepidas*, (partem Gothicæ Nationis,) Regionem quæ nunc Transylvania, & partes Hungariæ, exceptâ magnâ parte Pannoniarum, tunc imperio tenentes, debellare, eisque gubernacula Regni eripere; ac tandem etiam cum Longobardis, † Pannoniam tunc supra Dravum & ultra tenentibus, rem ita transigere, ut ipsi omni Pannoniâ potiri possent. Interea *b. Rex Longobardorum Alboinus*, qui *multas cum Cunimundo Gepidarum Rege inimicitias exercebat*, & *quâcunque ratione Gepidarum opes sibi evertendas ducebat*, non expectatâ *Abarorum* in se hostili irruptione, *legatos ad Bajanum misit*, *quibus eum ad armorum societatem adhortabatur. Legati cum advenissent*, *precibus cum Bajano Abarorum Duce agebant*, *ne se contemneret*, *qui nefanda omnia à Gepidis passi erant*, *quin etiam à*

†. Sic Græcè apud Menand. Βαϊανὸς sæpè dicitur, qui aliàs *Chaganus*. † Sunt etiam *Longobardi* pars Herulorum & Gothorum, ex Septentrionalibus ad Scandinaviam Nationibus; qui non diù ante Abaros venerant in Pannoniam, Gepidasque illic vicerant. *b.* Menand. de Legation. Pag. 110.

Romanis, Abarorum Nationi infestissimis, qui Gepidas bello juvissent. Accusabant etiam *Justinum*, (qui jam tunc post defunctum Justinianum suum patruum regnabat,) quod *is fœdera non ita dudum cum Justiniano transacta, pro nihilo habens, Abaros consuetis muneribus privavit. Adjecerunt* etiam, quòd *si cum Longobardis se conjungerent Abari, fore ut invicti essent, & Gepidis exterminatis, eorum opibus & regione communiter potirentur. Tum inposterum totâ Scythiâ † subactâ, beatè vitam traducerent. Inde facile illis fore Thraciam occupare.* Hæc & similia adulatoriè Legati Longobardorum ad Chaganum, seu *Bajanum.* At verò *Bajanus*, legatos quidem Longobardorum excepit, *c. sed visus est eos parvi facere, volens eos, conditionibus, quæ sibi utiles essent, ad armorum societatem secum contrahendam, pellicere. Et modo se non posse, modo posse, prætexebat, ‡ sed nolle.* Tandem *magnâ cum difficultate statuit, eorum petitioni se assentiri, sed non aliâ conditione, quàm si decimam partem quadrupedum, quæ tunc temporis apud Longobardos essent, confestim acciperent. Et si superiores evaderent, dimidium prædæ, & tota Gepidarum regio ejus juri cederet. Hæc cum ita conventa essent, bellum inferre Gepidis deinceps instituerunt.*

XXIV. Ge-

†. Scythiam præsertim Europæam intelligunt, usque ad Danubium: interim Pannoniam sibi volentes reservare. *c.* Menand. loc. cit. pag. 111.
‡ Προΐσχετο.

XXIV. Gepidæ, & si magno studio à Romanis auxilia, (uti aliàs,) impetrare conarentur, nunc tamen penitùs rejecti sunt. Eventus brevî hic secutus est, quod *Abares* Hunni, victores facti, *d. res Gepidarum eveterunt*, eosque suo imperio subjecerunt. *Longobardi* verò videntes se non posse subsistere in *Pannonia*, paulò post, hoc est, circ. an. D. 568. in Italiam migrarunt, ibique Regnum & sedes suas fixerunt.

XXV. Hunni verò Gepidis debellatis, non curantes, (aut potiùs curam differentes,) quod *Justinus* etiam petentibus ipsis, denegaret ex pacto promissa a Justiniano munera; consultum sibi fore duxerunt, si cum Rege Franciæ, (tunc Sigiberto,) fœdus inirent. Hanc in rem igitur excurrunt numerosè in Franciam, an. D. 566. quam terrore suo percellentes, citò & facilè sui voti compotes facti sunt. Sic, *e. Abari & Franci, fœderibus invicem initis, cum pax firma inter eos esset, Bajanus significavit Sigiberto Francorum Duci, suum exercitum commeatûs inopiâ laborare. Decere eum, qui Rex esset, & qui nunc in terra sua resideret, minimè negligere exercitum sibi fœdere conjunctum. Promittebat autem, quòd si exercitum suum recrearet, se tertio die, castra inde moturum. Hæc ubi Sigiberto sunt nuntiata; statim farinam* †, *legumina* ‡, *oves & bo-*

d. Menand. de Legat. pag. 114. *e.* Menand. pag. 110. †. ἄλευρα. ‡. ὄσπρια.

& boves ad Abaros misit. Post hæc *Chaganus* etiam ad sua est reversus.

XXVI. Interea, dum *Chaganus* cum exercitu suo esset in Francia, Romani, ut ex Menandro querelam *Chagani* referente, perspicue colligitur, *Sirmium*, & circumjacentem Tractum, *Hunnis* domi relictis violentâ manu eripuerant. Quapropter rediens Chaganus, illico, *f. de Sirmio obsidendo cogitabat.* Interim priùsquam suum propositum exequeretur, per suos Legatos, hæc ad Ducem Imperatoris, Sirmii tunc residentem, (nomine *Bonum*,) ac per eum Imperatori Justino deferenda, nuntiavit: *g. Abarorum Dominus, o Romani, apud vos hæc proponere jussit*, (verba sunt Legatorum,) *ne illi succenseatis, quod contra vos bellum suscepit. Etenim priores bello causam dedistis. Multis exhaustis laboribus, & non minoribus itinerum fatigationibus toleratis, vix istam regionem ceperam, & vos mihi illam vi † eripuistis. Præterea Usdibadum ‡, qui ex captivis dominio meo cesserat, mihi ereptum habetis. Multas quoque alias acerbas contumelias in me effudit Imperator vester, neque id semel atque iterùm, sed sæpiùs; neque quicquam eorum quæ justa erant, & æquitati consentanea, facere*

f. Menand pag. 111. g. Pag. 112. † Hoc est, quod supra jam dixi, Chagano in expeditione Francica existente. ‡. Lat. Int. Ουσδήζαδον, vertit *Oudobatum.* Erat autem hic Gothus, seu Gepida.

cere voluit. Itaque si tot tantisque injuriis & damnis à vobis affectus & lacessitus, armis sum usus, in nullo sum reprehendendus. Quòd si vultis, nunc etiam de fœdere & pace, nobiscum verba facere, prompto animo id faciemus. (In oblata pace, subintelligebatur conditio restituendi Tractûs *Sirmii*, ut jam antè armis *Hunnorum* acquisiti.) *Vestri igitur arbitrii res est*, inquiunt, *quod expedit præoptare, & pacem bello præponere.* Hæc illi. Verùm legati, modestè hæc proponentes, nihil præter superba & immodestiæ plena verba, retulerunt; nimirùm, quod Chaganus, *vanâ gloriâ elatus & tumens*, mittat *ad Imperatorem si ita videbitur, legatos, qui de pace conveniant.* Bajanus non longe in castris positus, nîl super his motus est, animadvertens intra se, *rectè* *h.* Ducem Cæsareum loqui, (etiamsi immodestiam suis sermonibus misceat,) se nihil sine Imperatoris mandato hac in parte posse facere. Nihil itaque ob hoc ei succensuit; sed antequam ulteriùs inde suum moveret exercitum, & mitteret ad Imperatorem, *i. parva munuscula* à Duce & ceteris Sirmiensibus postulabat, videlicet, *pateram ex argento factam, & modicum auri, præter hac togulam Scythicam*; ne videretur penitùs *frustrà eam expeditionem suscepisse.* Hoc postulatum ut exiguum, & si primùm tùm *Bono Duci*, tùm *Episcopo Urbis*, ceterisque placeret, tamen Dux, secunda

 men-

h. Pag. 113. *i.* Ibid. Menand.

mente mox recusavit, vel minimum quicquam dare.

XXVII. k. *Super his indignatione motus Bajanus, jurando minatus est, se emissurum exercitum, qui in Romanorum regionibus excursiones faceret.* Quod & executus est. *Jussit* enim, *decem millia Cotrigurorum* † *qui dicuntur Hunni, trajicere fluvium Savum & vastare Dalmatiam. Ipse verò cum omni suo exercitû, transmisso Istro, in finibus Gepidarum* ‡. *substitit.* Mittit illicò *Targitium* Legatum ad Imperatorem. *Petit à Romanis sibi tradi Sirmium oppidum, tanquam quod esset, sua privata & domestica* possessio. *Et quia ab ipso*, (Principe Abarorum,) *Gepidarum res essent eversæ, neque quicquam præteritis annis, ex pecuniis quas Justinus Hunnis, quotannis* antea *pendebat, acceperant; omnes simul Targitius persolvi, & ita in posterum, earum annuas collationes valere flagitabat. Usdibadum quoque poscebat.* At Legati, a Justino *elusi & contempti*, re infectâ, discesserunt. Mox iteratò & tertiò etiam, legati missi à *Chagano*, super eadem re. *Tiberius* supremus tunc Dux militum Imperatoris, pacem volebat, atque etiam consentiebat in hoc, *ut Abaris*, sub conditione dandorum obsidum Nobilium, *daretur terra inhabitanda.* (Eam

k. Ibid. pag. 113. & 114. †. Erant Bulgari, ut jam alio loco, de hoc nomine dixi. ‡. Scil. quòd paulò ante illic dominarentur. Intelligit autem Daciæ veteris, (inclusâ Jazygum regione) limites.

(Eam partem intellige Pannoniæ, quam abſente Chagano, Hunnis Romani eripuerant.) At Juſtinus, Chagano perpetuò infenſus *l.*, nîl niſi bellum volebat. Ob idque, *m. ubi diſcordia prævaluit, & bellicum cani cæptum eſt*, itum eſt ad manus. *Tiberio Duce victô, & victoriâ potitis Abaris, conventum eſt, legationem per inducias ad Imperatorem mitti*; ut ei ſignificarent, *quæ contigerant, & quæ Abari vellent.* Subjicit eventum Menander: *Tandem fœdus inter Romanos & Abaros eſt factum.* Ubi etſi non exprimat quid fœdus illud pro *Hunnis* continuerit, tamen ex poſtulatis illorum, & ex prima Tiberii Ducis annuentia, facilè colligitur, terram ante ereptam, ipſis fuiſſe repromiſſam; etſi non illicò in totum promiſſio ſuum ſortita ſit effectum: ut apparet ex eo, quòd abhinc adhuc, annis aliquot elapſis, *Sirmium*, non ſolùm Juſtino, ſed & Tiberio imperante, ponte ſuper flumine *Savo* facto, oppugnare debuerint, ſicque, poſt longum tempus, Civitate potiri. Sic enim narratur exitus, Sirmianæ obſidionis: *n. Qui in Sirmio erant, ingenti fame oppreſſi, cibis nefandis ſe ſuſtentabant, & rerum neceſſariarum inopiâ laborabant; propterea, quòd hoſtes pontem in Sao fecerant, & trajectionem impediebant. - Itaque Cives & Urbis incolæ*,

l. Menand. pag. 114. & 115. *m.* Ibid. pag. 115. *n.* Menand. Lib. 8. Excerpt. de Legat. pag. 174. & 175.

colæ, minimè duris rebus assueti, ejulari, & cum ad extremas spes redacti essent, omnium istorum malorum causam, in Duces Romanos rejiciebant. Hæc ubi Tiberius (jam Imperator) *didicit, potius esse duxit, Urbis deditionem facere, quàm Civium multitudinem in captivitatem & servitutem una cum Urbis amissione abduci sinere: itaque per literas jussit Theognidi* Duci, *bellum conventionibus solvere, ut liceret omnibus, qui in Urbe habitabant, salvis & incolumibus eâ exire, neque quicquam suarum rerum inde asportare, præter victum, & indultum indumentum unum.*

XXVIII. His conditionibus, incolis permissum est ut quo vellent abirent, Urbemque Hunni suæ jurisdictionis fecerunt: quod contigit annis circiter quatuor ante mortem Tiberii, & imperium Mauritii, hoc est, circ. an. D. 579. quod non obscurè colligitur ex verbis quibusdam *Menandri*, *o.* paulò post à me recitandis. Unde, verba illa Simocattæ, dicentis, *p. exiguo admodum spatio temporis, ante* imperium *Mauritii*, *captum* esse *Sirmium* ab *Hunnis*, non secùs cum narratione Menandri conciliari possunt, nisi exiguum illud tempus, ad minimum, pro quatuor, vel pro semiquatuor annis accipiamus.

XXIX. Ubi jam *q. Sirmium in manus Hunnorum*

o. Lib. 8. de Legat. sub fin. pag. 175. *p.* Hist. Lib. 1. c. 3. *q.* Menand. de Abaris, (Lib. 1.) pag. 117.

norum † *deveniſſet*, ad ea *fœdera* Romani cum Hunnis ineunda, conſentire debebant, *r.* *quorum conditiones Romanis* (ut loquitur Menander) *turpes & probroſa* erant. *Ad tantum enim* (inquit) *malorum colophonem res redacta erant, ut Romani ſedentes, tanquam certaminum judices, pretioſa munera pro præmio cladis illata, barbaris largirentur, & octuaginta mille aureos, in argento & variis veſtimentis per mercaturam* comparandis, *ſponderent.* Habet hæc omnia de verbo ad verbum ex *Menandro*, etiam Theophylactus *Simocatta.* *ſ.* Sed in hoc aberrat à ſcopo *Menandri*, quod omnia hæc de fœdere Romanis probroſo, (quantùm ejus mentem percipio,) videtur putare, contigiſſe tempore *Mauritii*, non Tiberii, aut ſaltem valde proximè ante imperium Mauritii. At verò ſequentia Menandri verba, immediatè capti (ſub Tiberio) *Sirmii*, & inde ceſſantis belli narrationi ſubjecta, longè aliud nobis ſuadent. *s. Exegit autem Chaganus* (inquit ille) *etiam trium præteritorum annorum aurum, quod non acceperat ex conſueto* †, *quod* Romani *ei ſolvere ſolebant, ut armis abſtineret.* Subjicit illicò. ‡ *Erant verò pecuniæ, quæ pro pace uno quoque anno pende-*

†. Sic intitulat, quos alibi, Abares vocat. *r.* Ibid. Menand. *ſ.* Hiſt. Lib. 1. c. 3. *s.* Menand. Lib. 8. pag. 175. † Κατὰ τὸ σύνηθες. ‡ Ἦσαν δὲ τὰ εἰρηναῖα χρήματα, ἑκάςῳ ἔτει, ἀμφὶ χιλιάδας ὀγδοήκοντα χρυσίου νομισμάτων.

pendebantur, ad octuaginta mille aureos nummos. Hæc oſtendunt, citiùs hanc transactionem factam eſſe, quàm tempore Mauritii, aut proximè ante initium imperii ejus; ita ut videtur Hiſtoricus innuere, immediatè poſt captum Sirmium & factam hanc transactionem, dediſſe quidem Romanos aliquid Abaris, ſed mox per tres annos deſiiſſe quicquam dare. Unde paulò ante mortem Tiberii, id quod neglexerant, per Legatum ſuum Targitium, exegit Chaganus ab illis. Hæc eadem transactio etiam ſub initium imperii Mauritii, hoc eſt, an. D. 583. iterùm confirmata eſt. Atque hoc ſenſû narratio Simocattæ de fœdere, conditionem ſolvendorum 80 mille aureorum involvente, quaſi ſub Mauritio inito, accipi poteſt.

XXX. Sub eodem Mauritio, (transacto biennio fœderis confirmati, h. e. an. D. 585.) contigiſſe etiam, hiſtoriam *Elephanti t.* maximi, poſtulati primùm ab Imperatore, per nuncium Chagani, ſed mox remiſſi; nec non, *Lecti aurei*, expetiti primùm, ſed mox contempti à *Chagano*, tanquam ſe indigni, & vilis coram ſuis oculis, ob idque remiſſi; colligi poteſt, tum ex Menandro, tum præcipuè

t. Vid. Menand. Pag. 117. & Simocatt. Hiſt. Lib. 1. c. 3. Græc. Κλίνη χρυσῆ. Erat Sponda, aureis lamellis & coloribus variegata & ornata, non verò ex auro integrè facta.

puè ex Simocatta. Dum Chaganus, se in lecto seu sponda vili, velut deludi & contemni interpretaretur, mox ad 80. millia aureorum, alia 20 millia, annuatim sibi adjici, a Romanis postulabat. Verùm ubi Imperator *Mauritius*, id præstare renuit, *Chaganus* illico, *spreto* (ut Menander ac Simocatta scribunt,) *fœdere & juramento*, † *amicam bello tubam inflari jubet, agmina sua in expeditionem evocat*: (cujus an non etiam alia gravior causa, *Chaganum* ad hæc provocans, silentio à Græcis pressa, subfuerit, ex infra dicendis, æquus lector dijudicare poterit;) coactis copiis, *Urbem u. Singidonem* † *haud munitam, & militari apparatû destitutam, capit. – Alias item non paucas, & huic vicinas, deprædatus est. – Augusta* *, *& Viminacio* ‡. *ad Illyricum pertinentibus, in potestatem adductis, mox Anchialum* † *infesto exercitû profectus, ejus agrum & vicos circumjectos, populationibus & incendiis deformavit. Thermarum*

* *adi-*

† Περιφρονεῖ τὰς συνθήκας, καὶ τὰς ὅρκους ταῖς ἀνέμοις φέρειν ἐδίδε. Menand. pag. 117. & Simoc. Lib. 1. c. 3. sub fin. & sub init. 4. *u.* Theophyl. Simoc. Hist. Lib. 1. c. 4. †. Infra, demonstrabitur, esse Nandor Albam. * Hodie Vég. *Szendrö* Hungaris, valde probabiliter. ‡. Hodie Widin. † Anchialus fuit locus Thraciæ, infra Varnam, juxta Pontum, non procul a Paniso fluv. Ptolomæo in elev. grad. Poli, 44. min. 30. & Long. gr. 54. min. 34. Geogr. Lib. 3. c. 11.

* *ædificiis pepercit, quod ejus concubinæ ibi laterent*; † *iſtamque commercii ſui cum eo gratiam peterent.* His *Romani* territi, cum vires ad reſiſtendum Chagano, pares non haberent, tribus elapſis menſibus, *Anchialum* ad Chaganum oratores mittunt, *qui bellum deprecarentur*, & *de fœdere conſervando* Chaganum rogarent.

XXXI. Chaganus primùm rigidum ſe exhibet, adeò ut etiam legatum *Commentiolum* in carcerem abduci curaret, ejuſque *tentorium diſcindi juberet*; (quod indicium pœnæ mortis erat;) attamen die ſequenti, Primores Abarum, oratione idoneâ Principem mitigant, intimantes, ne ſupplicium capitis in *Commentiolum* decernat. Annuit *Chaganus*, & legatos remittit. Suæ igitur ſecuritati conſulentes Romani, ſummam 20 millium aureorum, quam priùs detrectabant, jam nunc ſuis malis edocti, ultrò promittunt in ſingulos annos, ſupra 80 millia. Legatum enim Hunnum à Chagano, Anchiali tunc commorante, decernendorum arbitrum, (qui erat *Targitius*,) ad ſe mitti per alium legatum poſtulant; ac præſente ejus Legato, *x. decidunt, ſtatuuntque*,

* Thermæ erant in territorio Anchiali. † Per auditum hoc ſe accepiſſe, dicit Simocatta. Nota interim hîc id quod ſupra paragr. 22. dixi, Chaganum, aliquando etiam *Anchiali* ad tempus reſediſſe. x. Simoc. Lib. 1. c. 6. Conf. Excerp. de Legat. p. 176. & 177.

que, ut Romani vicenis millibus summam priorem cumulent; aut si hoc negligerent, bellum experiantur. Hâc ratione, fœdus recreari, ac resoveri aliquo modo visum est, & ab armis concessa vacatio.

XXXII. Erat sane magna Dei irati virga *Chaganus* ille cum suis super Christianos illo tempore, imprimis super Orientales Romanos; verùm non raro Christianorum quidam, ipsimet eos etiam quiescentes, contra se incitarunt & irritarunt; ut Scriptores illius ævi, non obscurè prodiderunt. Imprimis de *Abaris*, si quis legerit *Menandrum* & *Simocattam*, perspicuè animadvertet è narratione illorum, non minùs fuisse Hunnos *Abares* (etsi Ethnicos,) in fœdere & pactis conservandis fideles, quàm Romanos; imò his aliquando fideliores, ut infrà patebit. Imò Deus aliquando ita direxit corda *Hunnorum*, ut Romanis etiam contra se (rupto fœdere) pugnantibus, in summa panis inopia constitutis benè facerent, ac minùs iis nocerent, quàm potuissent; quod etiam in sequentibus clarum erit. Quibus omnibus, Deus in antecessum, ad hoc illos, velut signis præviis & indiciis maturabat, ut tandem eorum posteri Christianam fidem reciperent, Sanctæque Ecclesiæ aggregarentur. Ausim dicere ex iis quæ lego de illis, quod si Christiani, (hoc est, potentiores inter Christianos,) maturè & seriò de illorum æterna salute, cum illis prudenter

& pacificè aliquandò tractare, aut quacunque viâ sanctâ, amorem fidei & communionis Christianæ, eorum Primoribus insinuare voluissent; non per omnia hoc in studio repulsam ab istis reportassent: Sed inter tot legationes Constantinopolitanorum ad eos missas, ne verbum quidem de commendatione fidei Christianæ, ad Hunnos *Abares*, interjectum fuisse lego.

XXXIII. Quàm non fuisset alienus ab acceptanda bonâ aliquâ Christianorum informatione *Chaganus*, (& si non illicò sed gradatim ad majora iturum eum sperandum erat,) apparet ex illo juramento quod Christianis ipse, dùm adversùs Sirmium tenderet, ultrò præstitit super Sacra Biblia, eaque reverentiâ, quâ neque Christianorum multi, Sacro Dei Codici, ejusque in jurando nomini, majorem exhibent: quod eò magis mite & docile ejus in rebus divinis ingenium arguit, (si Doctorem habuisset,) quòd jam antea, patrio more juramentum postulantibus Romanis deposuerat, sed eô non contentus, etiam Christianorum more, nemine rogante jurare voluit.

XXXIV. Cum sciam antiquitatis studiosis rem hujusmodi non esse injucundam, apponam historiam ejus, uti scriptis consignavit Menander. *Sethus* (inquit) *Singidone præfectus*,

*. De Legat pag. 127.

fectus, ad Chaganum misit, qui ex ipso quæreret, quoniam pax & amicitia illi cum Romanis esset, quid sibi vellet, quod ad Sauum venisset; quem si ponte jungere, inconsultô Imperatore tentaret, non negligeret. (scilicet nunciare Imperatori.) *Ille non ut quicquam mali Romanis machinaretur, pontem struere ait, sed ut contrà Sclavinos* † *expeditionem susciperet.* Et aliquantò infra. *a. Veriti Romani qui Singidone erant, Chaganum ad jusjurandum provocarunt.* καὶ ὃς παραυτίκα τοὺς τε Ἀβαρικοὺς ὤμνυεν ὅρκους, ξίφος σπασάμενος, καὶ ἐπαρασάμενος ἑαυτῷ, τε καὶ τῷ Ἀβάρων ἔθνει παντοίως, εἰ κατὰ Ῥωμαίων τι μηχανώμενος γεφυροῦν βούλοιτο τὸν Σάον, ξίφους μὲν αὐτός τε καὶ Ἀβάρων ἅπαν ἀναλωθείη φῦλον· τὸν δὲ οὐρανῶν (v. potius οὐρανὸν) ἄνωθεν αὐτοῖς, καὶ τὸν ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ Θεὸν πῦρ ἐπαφήσειν· καὶ τὰ πέριξ ὄρη, καὶ τὰς ὕλας αὐτοῖς ἐπιπείσεσθαι· καὶ τὸν Σάον ποταμὸν ὑπερβλύσαντα, συγκαλύψειν αὐτούς. τοιαῦτα βαρβαρικῶς ἀπομοσάμενος ὁ χαγάνος, νῦν ἔφη, καὶ τοὺς Ῥωμαίους ὅρκους ὀμνύναι βούλομαι· καὶ ἅμα ᾔτει παρ' αὐτῶν, ὅ τι δὴ πιστόν τε καὶ σεβάσμιον ἔχειν νομίζειν καθ' αὐτούς, ὀμνύντας τὴν τοῦ Θεοῦ μῆνιν, ἣν ἐπιορκοῖεν, οὐκ ἐκφεύξεσθαι· παραχρῆμα οὖν ὁ τῆς Σιγ-

† Seu Sclavos. *a.* pag. 128.

Σιγγηδόνος πόλεως τὴν ἀρχιερωσύνην διέπων, τὰς θεσπεσίας βίβλους αὐτῷ διὰ τῶν ἐν μέσῳ τὰς ἀγγελίας διακομιζόντων, [ενεχείρησε,] καὶ ὃς δολερώτατά πως ἐπικρυψάμενος τὸν νοῦν, ἀνίσταταί τε ἐκ τῆς καθέδρας, καὶ σὺν φόβῳ δῆθεν πολλῷ καὶ σεβάσματι ταῦτα προσποιησάμενος δέχεσθαι· καὶ προσκυνήσας προθυμότατα, ὄμνυμι κατὰ τοῦ λαλήσαντος τὰ ἐν ταῖς ἁγίαις διφθέραις ῥήματα Θεοῦ, μηδὲν εἰρημένων παρ' αὐτοῦ διαψεύσεσθαι. *Itaque confestim Abarico ritû jusjurandum ad hunc modum præstitit. Ense educto, & in altum sublato, sibi & Abarorum genti dira est imprecatus, si quid mali commi-nisceretur Romanis, in eo quòd pontem super Sao flumine facere susceperat; ut ipse & unversa gens Abarorum, gladio consumeretur; Cælum ex alto ipsis, & Deus Ignis, qui in Cœlo est, irrueret; sylvæ & montes, casû & ruinâ illos obtererent; Saus fluvius, superscaturiens, eos submergeret. Hæc ubi barbarico ritû jurasset Chaganus, nunc ego, inquit, jusjurandum Romanorum volo jurare. Tum quæsivit ex ipsis, quid esset, quod Sanctum & religiosum ducerent, quod jurantes si fallerent, Dei iram, minimè evitaturos crederent. Statim igitur, is qui in Singidone Urbe summam sacrorum potestatem habebat,* (id est, Episcopus,) *Sancta Biblia ipsi † per eos, qui*

in

† Cantoclarus vertit: *Sancta Biblia quæ in medio continebant [Sacrosancta] Euangelia, protulit.* Verùm unusquisque Græcæ linguæ non ignarus, videt

in promptu nunciata (ſeu *mandata*) *perferebant, protulit. Et ille quidem occultans ea quæ mente volvebat, multo cum tremore & magna cum reverentia præ ſe ferens, ea ſuſcipere, procedit è cathedra; tum alacri & prompto animo, in genua provolutus, Juro, inquit, ſecundùm loquentem, in verba quæ habentur in Sacris Dei chartis, me in nullo eorum, quæ prolata ſunt, mentiri & fallere.* Subjicit Menander: *Itaque Sethus admiſit Legatos ab eo miſſos, & ad Imperatorem Tiberium in Regiam Urbem*, nempe Conſtantinopolim *tranſmiſit*: ut nempe daret conſenſum Imperator de ponte in Sauo jungendo, uti etiam dedit.

XXXV. Hîc quidem Menander tradit contra fidem datam, *Chaganum*, Sirmium tandem invaſiſſe & occupaſſe: qua in criminatione, *Chagani* ut hominis Ethnici patrocinium ego ſuſcipere nolo; conſtat tamen ex ipſo Menandro, Chaganum hunc, Sirmium ita reputaſſe, tanquam propriam & domeſticam ſuam poſſeſſionem. *b. Petebat enim* priùs *a Romanis ſibi tradi Sirmium Civitatem*, (ut lo-

N 3 qui-

ex contextû Græco, hujuſmodi verſionem Græca hîc non admittere; ſed ſenſum eum eſſe verborum, quem in verſione expreſſi. Τὰς ἀγγελίας enim διακομίζειν vel διαφέρειν, idem eſt Græcis Scriptoribus, quod *mandata* ſeu *nunciata* ad alium *portare*. Scilicet per aliquos miniſtros, Epiſcopus curavit Biblia *Chagano* præſentari. *b.* Menand. pag. 114.

quitur Menander,) *ut quæ esset sua propria & domestica possessio* †. Respexit sine dubio, partim ad majorum suorum inde à temporibus *Atilæ*, *Ruæ* & *Uldin*, factam in illas partes victricem expeditionem, partim in propriam suam, non ita diuturnam illic victoriam, partim etiam in antiquissimas Scytharum Jazygum, aliorumque in eam terram olim transpositas colonias. Sed ipse Menander non minora alibi, etiam de Romanis recenset, quantum ad fœderis violationem.

XXXVI. Porrò in hoc juramento Chagani ritû Christiano deposito, animadvertimus Episcopum Singidonensem præivisse sermone ipsi Chagano, ut informantem eum, quomodo juraret, & quid virium juramentum ejusmodi contineret; ut apparet ex illis verbis: ὄμνυμι κατὰ τοῦ λαλήσαντος τὰ ἐν ταῖς ἁγίαις διφθέραις ῥήματα Θεοῦ, &c. *Juro secundum loquentem, verba Dei, quæ sunt in Sacris chartis, in nullo eorum quæ ab ipso dicuntur me mentiri.* Quasi diceret: Uti ille me informat, hæc & talia Deum in suo verbo sacro codice contento, minari illis, qui pejeraverint in nomine ejus, ita juro &c. Unde valdè probabiliter colligimus, (cum nullum vel vestigium mediantis interpretis hîc appareat,) Episcopum illum, potuisse loqui cum Cha-

gano

† Οἰκεῖον ὂν αὐτῷ κτῆμα.

gano immediatè, linguâ nimirùm *Hunniacâ.* Quod nemo hoc absurdum esse putabit, si consideret antiquissimos incolas illius terræ, ubi est *Sirmium*, fuisse Scythicæ originis, partim Hungarico nostro idiomate, qualis Jazygum, partim Illyrico loquentes; ut jam ex iis, quæ alio loco à me dicta sunt, patere potest. Non magis erat mirum veteres incolas Singidonis & Sirmii, Hunniacè loquentes, fuisse tunc Christianos, alios verò eorum fratres carnales, hoc est, Scythas *Hunnos*, Paganos, quàm Romæ olim, & in maxima parte Europæ, aliisque mundi partibus, eadem Natio, hâc parte Christianâ, illâ verò Ethnicâ constabat.

XXXVII. Neque illud prætereundum hîc censeo, quis locus olim fuerit *Singidone*, vel *Singidunum*, cujus tùm hic apud Menandrum, tùm apud alios veteres *c.* subinde occurrit mentio. Locum hunc qui putaret eundem fuisse, qui hodie apud nos, inter Tibiscum & Danubium, (at juxta Tibiscum,) *Szeged* seu *Szegedinum* dicitur, multùm falleretur, ut mox patebit. Ego cum primùm cœpissem rimari, cui loco hodie, vetus *Singidunum* responderet, cujus etiam *Theodoretus d.* meminit, cogitabam, annon is fuisset, qui hodie

c. Vide Simocattam, Lib. I. c. 4. Item Aurel. Victor. in Jovin. & Theodoret. Hist. Eccl. Lib. 2. c. 8. *d.* Hist. Eccl. Lib. & cap. cit. pag. (mihi) 79.

die Vég-*Szendrö* vocatur, juxta Danubium, non nimis procul à *Nandor-Alba*, ad ejus Orientalem plagam; in quo juvare me id potuisset, quòd Ptolomæus [e] *Singidunum* in eo plane loco ponit, ubi nunc in Tabulis visitur V. *Szendrö*: verùm ubi penitiùs excussi ea, quæ narrantur à Menandro de Expeditione Principis Hunnorum, adversùs Sirmium, comperi nullum alium locum fuisse vetus *Singidunum*, quàm qui hodie *Belgradum*, seu *Nandor-Alba* dicitur; Ptolomæo [f] autem *Taururum*, & Plinio [g] *Taurunum*. ‡ Nam Menander [h] sic narrat hanc Chagani expeditionem: quòd Chaganus, † *multis* & *magnis navibus*, quas *per superiorem Pannoniam coëgerat*, armatâ militum manû munitis, per *Istrum* seu Danubium descenderit juxta Singidonem, *ad fluvium Saũum*; & cum eò pervenisset, *consedit ad Saũum*, suaque *castra inter Sirmium & Singidonem posuit*; tum postea, *pontem super fluvio jungere aggressus est.* Quis non videt ex hoc itinere, & hoc situ castrorum, qui aliquid legit vel audivit de dictis locis & fluviis, hunc situm

[e] Geogr. Lib. 3. c. 9. [f] Ptol. loc. cit. [g] Pl. Hist. Natur. lib. 3. 25. ‡ Hoc fortè veteribus nostræ Nationis Scythis, dictum fuit *Tourona* aut *Tour*; pro quibus hodie, dicimus *Toronya* & *Tuúr*, certa loca iis denominando. [h] Men. lib. 2. pag. 127. † πλοῖα συναγείρας ἐκ τῆς ἄνω Παννονίας εἰς τὸν Ἴστρον πολλὰ βαρέα.

tum *Singidonis* veteris, nulli alteri loco celebri hodie congruere, quàm *Belgrado*, ſeu Nandor-Albæ? *Vég-Szendrö* autem puto illi loco veteri reſpondere, qui apud Simocattam *i.* in geſtis Mauritii & Chagani, *Auguſta* dicitur.

XXXVIII. Ad authoritatem autem Ptolomæi de *Singiduno*, aliud nunc dicere non poſſum, quàm quod ejus adhuc temporibus, nondum *Taurunum*, (ſeu Bel-gradum) illo nomine (*Singidunum*,) vocabatur, ſed vicina aliqua Civitas, v. gr. ea, quæ hodie à noſtris vocatur *Vég-Szendrö*. Succeſſu verò temporis non diù poſt tempora Ptolomæi, paulatim illud nomen de *V. Szendrö* evanuit, & tributum eſt Tauruno. Legentibus Hiſtorias veterum, obviæ ſunt ſubinde ejuſmodi mutationes nominum de Urbibus & Civitatibus. Sufficit nobis conſtare ex *Menandro*, ejus tempore, illam Urbem fuiſſe vocatam *Singidunum*, quæ hodie eſt *Belgradum*. Sed hæc & paulò præcedentia, velut in digreſſu, occaſione juramenti Principis Hunnorum, in hunc finem memorati, ut pateret, fuiſſe aliquam docilitatem & remotam proclivitatem in Chagano ad Chriſtianiſmum, ſi Doctorem habuiſſet. Certè quotieſcunque Deus, barbaras & crudeliſſimas Nationes undarum inſtar emittit in Chriſtianiſmum, ſuper eum-

i. Lib. 1. c. 4.

que prævalere facit, ſemper penes primarium hunc finem, ut ſua per eas judicia, in populum Chriſtianum erga ſe ingratum, effundat, alterum etiam hunc habet, ut paulatim & dietim maturet converſionem talium Nationum, eisque velut exploret Chriſtianos, an ſumma ſalutis earum curâ tangantur, vel minimè. Si non, tum eò graviùs per eas puniuntur; & quo diutiùs differunt, hanc in Paganos, in baratro inferni conſtitutos charitatem, quâ animabus eorum ſeriò ſtudeant benefacere, eò gravior divina ſuper eos continuabitur vindicta. Experientia oſtendit, quamprimùm Deo excitante cœpere Chriſtiani Principes & Epiſcopi, (primùm tempore Caroli M. ſed ſecundò, præcipuè ſub exitum ſeculi decimi,) ſerio laborare in convertenda Natione Hungarica, cito deſideratum laboris ſui fructum experti ſunt: quamvis Deus & ante Nationalem noſtrorum converſionem, jam ſubinde aliquos ex illis ad ſe converterat; ut alio in opere, Deo dante, patebit. Nunc pergo paucis adhuc proſequi ea, quæ inter Mauritium & Abaros fuere geſta.

XXXIX. Poſt confirmatam ſub Mauritio inter Hunnos & Romanos pacem, appromiſſis 20. millibus aureorum ad octuaginta millia, (uti non obſcurè colligere poſſum, k.) Sin-

k. Simocatt. Lib. 3. c. 4. & 5.

Singidunum & Anchialus, cum aliquot locis in Mœsia & Thracia, fuere ab Hunnis restituta Romanis. Pax tamen illa non diù fuit durabilis. *l. Sclavini enim ab Hunnis submissi ac subornati, impressione factâ, Romanæ telluris partem latissimam occupant, & usque ad murum longum* in Thracia, *confertim prosilientes, grassantesque, funera multa faciunt.* Si verum fuit, quod existimat *Simocatta*, hos Sclavos, authoribus *Hunnis* fuisse subornatos, ut Thraciam invaderent, ipse nobis alibi aperit hujus rei causam; quòd ipsi Romani aliquando fœdus priùs violaverint, quàm Chaganus in ipsos misisset, vel irruisset: ut infra patebit. Interim ut aliunde liquet, Sclavi & Bulgari interdùm, etiam invito & contempto Chagano, latrocinia exercebant in ditionibus Romanorum, ita ut ipse Chaganus Romanorum causam suscipere, & armatâ manû severè tandem illos compescere, debuerit.

XL. Lego post hæc iterùm *Anchiali*, item circa *Driziperam*, seu *Drusiperam*, & *Heracleam* (aliàs Perinthum,) in *Thracia*, Chaganum vastasse; sed palàm nobis prodit Simocatta, Ducem quendam Romanum, nomine *Priscum*, subinde contra fœdus & juramenta, adversùs Abaros & Sclavos Istrum transivisse: ita ut *m. Chaganus de infesto Romanorum,*

l. Simocatt. Lib. 1. c. 6. & 7. Bulgaros simul cum Sclavis intellige. *m.* Simoc. Lib. 6. c. 6.

rum, in terras Hunnorum *adventu*, *certior factus*, *legatione missâ ad Ducem Priscum*, hæc per unum ex suis, nomine *Coch* †, Duci & Romanis denuntiare jussit: * *Quid hoc rei est? o Dii immortales! Quibus proprium erat Religionem colere, iis nunc facile ac promptum est impiè agere. Pacem Romani violarunt, fœderis lex vitiata est, sal pactionis infatuatus* †, *fidei reverentia evanuit; sequestre jusjurandum periit. Ister hostile spectaculum, & Priscum, qui paulò antè pacem Romanis & Abaris desponderat, ferro armatum videt. Iniquus es Cæsar, dum fraude malâ bellum nefariè struis. Non est Imperatorium, quod moliris: non sunt ab auctoritate isti spiritus: consilium istud est prædatorium; palàm execrabile est factum tuum. Aut coronæ ornamentum depone, aut potestatis decus ne corrumpe. Vos barbaros ad nequitiam instituistis. FOEDUS DISSOLVERE NESCIVISSE.*

† Græc, Κὸχ. Hungar. *kocs*, vel *kocsi*.

* τί τῦτο Θεοί; οἷς τὸ δεισιδαιμονεῖν ἐστιν ἁρμόδιον, ἄρτι τοῦ τὸ δυσσεβεῖν καθέστηκε πρόχειρον. εἰρήνην τὸ Ῥωμαϊκὸν παρελύσατο, συνθήκης θεσμὸς κιβδηλεύται, ἅλες ὁμολογίας ἠθέτηνται. &c. † Sic vertit Jacobus Pontanus. At Græcum, propriè significat, *aboleri*, *irritum reddi*, vel *sperni*. Ubi nota, Salis usum inter Scythas, in fœdere sanciendo: & confer ea, quæ de aliis etiam *Hunnis* Orientalibus, scribit Procopius de bell. Persic. Lib. 1. c. 4. qui etiam in usu habebant, sale interveniente fœdera sanciri. De antiquitate hujus consule, Num. 18. vers. 19. & 2 Chron. 13. vers. 5.

SEMUS, NISI VOS MENDACII MAGISTROS INVENISSEMUS, qui à bello nunquam feriamini, & pacem nunquam complectimini. Dum bellum geris, injustus es: dum fœdus percutis, mœrorem ac dolorem affers. Et quando tandem credi poterit, te quietem ab armis diligere? Quam nuper vobis humanitatem exhibuimus, Prisce Dux, reverere. Tanquam amicos, non hostes futuros vos servavimus. Proh humanitas! quæ nobis ægritudinem periculumque parturis. Qui nobis salutem suam debent, nunc longè aliud rementiuntur, & nos, juxtaque Deos ipsos, oppugnant. Obsidetur enim arx Sacramenti †, & quod præstantius est, à deteriori vexatur, & dolus liberè grassatur, & mendacio principatus committitur, & injuria palàm exercitum ducit. Si igitur tu Dux vires tuas infirmas, nostras contra validas agnoscens, nos reverebere, damnum tuum præter pudorem nullum erit. Si autem non, ultio tibi magistra fiet, quæ cum cladibus pœnitudinem adducet. Ad hæc Dux Mauritii, violati à se fœderis probè conscius, nihil reponere valuit, sed hoc colore factum suum palliavit, quòd *m. bellum hoc adversus Sclavos suscepisset*, non igitur pactum cum Hunnis ipse violaret. (Intellexit autem Sclavos illos, qui se nolebant Chagano subjicere, sed passim latrocinia exercebant.) Hæc tam magnifica, tam diserta, tam pathetica, tam nervo-

† Quod nempe juramentum floccipenditur.
m. Simoc. ibid.

nervosa; tam plana, intrepidi Hunnorum Legati ad Romanos peroratio, ipsas conscientias fœdifragorum intimè pungens, ab Historico etiam tàm diligenter consignata, (cui parem nullam ex ore adversantium Hunnis illis prodiisse lego,) evidens argumentum est, *Hunnos* hosce fœderi juramentis confirmato, strictius inhæsisse, quàm ipsos Romanos: quod apertè fatetur infra ipse etiam Græcus Historicus.

XLI. Lego alibi etiam, quòd dum *Chaganus*, Duci cuidam Mauritii, nomine n. *Petro*, *per legatos, fœderis violati crimen exprobraret, Petrus legatos, verbis ad fidem faciendam compositis, DELUDIT, & causam delicti hujus, ipsam admissi ignorantiam PRÆTEXIT. Quamobrem donis insignibus, & spoliis præterea, ultrò in pœnam restitutis, barbarum ad benevolentiam traducit.* Vide fraudem hominis, qui se vult Christianum dici! Similiter cum alias etiam pro suo consueto, tentassent Romani, contra fœdus transire cum exercitu Danubium, hæc Priscus Dux, & ceteri cum eo Romani à Chagano audiverunt: o. *Quid vobis Romani, cum provincia mea? Quid ultra quàm fas, pedem profertis? Ister vobis externus, ejus unda hostilis est. Armis hunc acquisivimus; hastis hunc subegimus. Apage cum facinore isthoc, tàm iniquo Prisce! ne quietem quàm vobis tot dona in nos profecta pepererunt,*

n. Simocat. Lib. 7. c. 4. o. Simoc. Lib. 7. c. 10.

runt, disturba. Reverere fœdus: reverere cautionem juramenti. - *Priusquàm incipias deliberato opus est. Præcipiti istâ temeritate, temet lædis. Qui malè consuluit, ei primò cœpta nocent. Insidiosè & fraudulenter bellum geris, o Dux! Pacem & ordinatam* † *aciem sustulisti, dum fœdus facis ut amicus, & oppugnas tamen ut inimicus. Aut alterum igitur horum desere, fœdus, inquam, & apertè arma infer; aut quietem ne turba.* Subjicit Historicus. *Insuper hæc ad verbum effatus est: JUDICET DEUS inter Chaganum & Imperatorem Mauritium, & is ALIQUANDO RETRIBUAT.* Hæc paulò post illud tempus dicta sunt à Chagano, quo *muros p.* Urbis *Singiduni everterat, ejusque populum,* ad se transire habitatum jusserat. (Ubi nota, cives Urbis, tanquam suæ originis & Nationis populum, in hoc agnoscit.) Quod cur fecerit, satis ex tot *Chagani* querelis animadvertere possumus.

XLII. His consonant etiam illa, quæ post hæc, circa an. D. 600. à Chagano acta & dicta esse leguntur. *Armaton q.* quidam Legatus Imperatoris, eo tempore, quo *Chaganus,* ob *septem q. filios, uno die, peste* universaliter passim grassante extinctos, in *vehementi dolore* esset, venit ad Chaganum, tunc *Drizipera* com-

† Intelligit, ordinatum & apertum pugnandi modum. Græc. εἰρήνην ἐνόθρδυσας, καὶ παράταξιν. *p.* Vid. Simoc. Lib. 7. cap. 10. sub init. *q.* Simocatt. Lib. 7. c. 15.

commorantem, ut de irritatis Hunnis, & rupto fœdere, *leni ac placidâ oratione* Chaganum *demulceret. Chaganus Imperatoria dona suscipere gravatur, tantùm non è tragœdia illud occinens,* † *hostium dona, non dona, nec utilia sunt. Tandem multis verbis, eum legatus permovet, ut se donis coli patiatur. Postridie pace firmatâ,* * *inde castra movit, hac ad verbum eo succinente: JUDICA DEUS INTER MAURITIUM ET CHAGANUM, INTER ABAROS & ROMANOS. Accusabat enim Imperatorem rupta pacis, nec mentiebatur.* (Verba sunt Simocattæ.) *Revera namque ROMANI PACE MALE CONSERVATA, & BELLO IRRITATO, prædictas sibi clades accersebant. Etenim principia non bona, pernicioso exitu concluduntur. Ex pacto Ister ad Romanorum Abarumque fines dirimendos constituitur, & potestas ejusdem contra Sclavos* (nempe prædantes,) *trajiciendi, conceditur.* Subjicit illicò, quæ secuta deuuò est pœna Romanos ob fœdifragium. *Præterea* (inquit) *denuò* † *vicena aureorum millia antea pactis adduntur.* Sic ergo erant centum & viginti millia aureorum, an-

† ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, οὐκ ὀνήσιμα.
* πρὸς τὴν ἀνάζευξιν ἔβλεπεν. Propr. *Ad inde removeri, respexit.* Pontanus *Domum rediit.*
† ἐπεντίθενται δὲ καὶ ἄλλαι εἴκοσι χιλιάδες χρυσῶν. &c.

annua penſio. Addit deinde: *Atque hoc modò, bellum inter Abaros & Romanos profligatum eſt.* Geſta hæc ſunt proximè poſt illud tempus, quô Chaganus irritatus à Romanis, *Driziperam* Urbem Thraciæ, ipſis eripuerat, (quam tamen in pace reddidit,) & *Tomeam* † quoque obſederat, perſeverans etiam hyeme in Urbis obſinione. Quo in loco, Romanis (Thracibus & Græcis,) in Urbe obleſsâ, fame coarctatis, quàm eximiam Chaganus, licet ab hoſtibus illis ſuis ad hanc ſuſcipiendam expeditionem irritatus, præſtiterit charitatem, dignum eſt è Græco Hiſtorico hic interſerere.

XLIII. r. *Vere* (inquit) *appetente, Romanos fames occupat. Cumque Chriſtianis ſolennia mortis & reſurrectionis Domini Salvatoris in foribus eſſent, Romanique commeatûs inopiâ premerentur, inexpectatâ quâdam providentiâ, Chaganus legatione miſſa, ſi eis placeat, velle ſe eorum famem depellere. Priſcus dignationis* † *tantæ novitate anceps hærebat, ac diffidebat. Poſtquam verò inter utroſque data & accepta eſt fides, dierum quinque compoſitis induciis, Chaganus eſurientibus plauſtra cibariis referta, ſubmiſit. Quocirca uſque hodie barbarica iſta humanitas UT ADMIRABILIS, & præter omnium*

O

† Τόμοι (Tomi) Ptolomæo. Geogr. Lib. 3. c. 10. Eſt Civitas Myſiæ inferioris, ad Pontum Euxin. infra oſtia Danubii. Locus *Ovidii* exiliò clarus. r. Simocatta Hiſt. Lib. 7. c. 13.

† τῆς ἀξιώσεως.

omnium opinionem exhibita celebratur. Concessit etiam Romanis, quietem & immunitatem *ab armis*, durante Paschali solennitate, ita ut *habitarent simul sub iisdem pellibus*, *extra omnem metum* utrinque *adversariæ copiæ.*

XLIV. Quam etiam fuerit Princeps *Hunnorum* docilis, ad sana suscipienda consilia, & proclivis, ad iram fastumque deponendum, ubi prudens intervenit mediator, satis apparet ex eventu illo, quem *Theodorus*, vir ingenio clarus, professione Medicus, (circ. an. D. 596.) ex sua ad Chaganum placide & prudenter factâ admonitione, ne sibi in sua felicitate, instar Sesostris illius Regis Ægypti nimis placeret, consecutus est. ʃ. *Chaganus enim hominis in admonendo lenitate commotus; fastum abjicit, confidentiam comprimit, ad pacem se dat Et postquàm horis pluribus conticuit, tandem Theodorum his affatur: Novi imperare animo meo, cum limites egreditur: NOVI IRAM DEBELLARE, sed in tempore. Desino Prisco † irasci, Theodore: ille vicissim ex æquo & bono mihi amicus esto.* Apparet Chaganum in multis se exhibuisse tanquam Patrem suis adversariis; dummodò placide & sine irritatione ab ipsis tractatus fuisset. Sed animadverto in multis Hunnorum & Abarorum adver-

ʃ. Simocat. Hist. Lib. 6. c. 11. † Is nunc etiam contra fœdus, Danubium cum exercitu transiverat, cujus exorbitantiæ causâ, Theodorus Chaganum iratum placandi ergo advenerat.

adverſariis, (quod candidè hic abſque partium ſtudio, conſigno,) loco Chriſtianæ charitatis, quâ ſalutem hoſtium eſurire, & pro viribus operari debebant, odium neſcio quod Diabolicum & invidiam, erga miſeram illam & barbaram tunc Nationem, pectora illorum inſediſſe. Ac imprimis Hiſtorici quidam, ſimiles ſe nonnunquam exhibuerunt illis animalibus, quæ lapidem contra ſe jactum rodunt, non curantes originalem cauſam, unde lapis in ipſos proficiſcitur. Ita etiam quidam Scriptores, obliti Supremi Directoris & Judicis Orbis terrarum, qui barbaras nationes, ob noſtra peccata, & futuræ etiam cum tempore, ſalutis illarum causâ, in nos immittit, in ipſam Virgam à Deo immiſſam, ſolent maledicta evomere: cum tamen & ipſi, conſcientiæ dictamine adacti, non rarò majores de illis referant virtutes, quos ab una parte lacerant, quàm quorum ex ſuis, cauſam in particulari defendere nituntur. Cauſam in particulari voco, ubi non cauſæ Chriſti, ſed perverſo humano affectui, ſuis ſcommatibus & maledictis, patrocinantur. Quod terram extrà priores ſuos limites, barbari tales, potentiores facti, occupant; menti revocandum eſt illud: *s. Domini eſt Terra & plenitudo ejus*: dat cui vult, hanc vel illam Terræ portionem; præſertim dum inter Chriſtianos,

O 2 vel

s. Pſal. 24. verſ. 1.

vel in vicinia eorum, Nationis alicujus futuram conversionem, vult jam jam maturare. Quamquam, si ingenuè fatendum est, externas etiam non parvas (respectû aliarum Nationum,) habuerunt Abares & alii ejusdem originis Hunni prærogativas in eam Terram, quam demùm fixè pro suis sedibus, Deo dante occuparunt: quod lector judiciosus, facilè animadvertet ex iis, quæ jam in superioribus à me sunt dicta. Sed redeo ad continuandam ulteriorum, quæ hîc desunt, narrationem.

XLV. Vidimus hactenus, quomodo res *Abarorum* Hunnorum se se habuerint cum Romanis, usque ad *Mauritii* tempora inclusive; videamus paucis, quomodo etiam cum *Bulgarorum* quorundam & *Sclavorum* natione refractariâ, subinde magnas colluctationes habere debuerint. Hos Hunni Abares, citò post suum in Pannoniam adventum subegerant, ut ex Menandro patet; nihilominùs, captatâ mox iterum occasione, pars aliqua se ab eorum jurisdictione subtraxit, amans sine freno vagari suique tantum juris esse, & passim per insidias latrocinari. Sic gemina accessit causa, cur tales, bello aggredi debuerit Princeps Hunnorum. Ex una enim parte ipse Romanorum Imperator *Tiberius*, sub initium sui imperii, circa an. D. 576. conquerebatur per suos Legatos apud Chaganum, (sive Ba-

ja-

janum,) de insolentia Sclavorum, (quorum sub nomine, etiam partem *Bulgarorum* hìc apud Menandrum intelligo,) ipsumque rogabat, ut bello eos compesceret; ab alia parte, suam etiam habebat Chaganus causam, quod non solùm nollent, ejus directioni & jurisdictioni subesse, (quamvis & ipsi Scythæ essent,) sed insuper verbis superbissimis & immodestis Chaganum & Hunnos, contrà se irritarunt. Audiamus Menandrum: *t. Bajanus* (inquit,) *in ulteriorem fluminis* (*Istri*) *ripam transgessus, vicos & pagos Sclavinorum, igni ferroque vastavit: & cum nemo barbarorum auderet cum illo manus conserere, (etenim in sylvas & cavernas aufugerant,) omnia quæ potuit, rapuit. Atque huic Abarorum in Sclavinos eruptioni, non sola Cæsaris legatio causam dedit, aut quòd Bajanus Romanis gratiam referre vellet, (quòd eum Cæsar liberalitate prosecutus fuerat,) sed etiam privatæ eum inimicitiæ movebant, quia Bajanus erat Sclavinis privatim infensus. Miserat enim Abarorum Dux ad Laurentium Sclavinorum Ducem, & eos qui apud gentem auctoritatem habebant, ut Abaris dicto audientes essent, & eorum numero se adscribi sinerent, qui tributa illis pendebant. At Laurentius † & gentis Principes: „Quis hominum, in-*

O 3 „*quiunt*,

t. Menand. de Legat. Lib. 8. pag. 165. † Habetur hìc in Græco Λαυρίτας, *Lauritas*. Fortè & superiori loco, ita debebat esse.

„ *quiunt, est, qui Solis radiis tepescit, ‡ qui nostram potentiam possit sibi subigere & domare? „ Aliorum enim regionis dominatum acquirere solemus, non alii nostra; qui nos certò manet, donec „ erunt bella & enses.* Et paulò infrà. *Sclavini cum ira moderari nequirent, legatos qui ad se venerant, occiderunt. Hac audita, Bajanum abalienarunt. Cum igitur à multo tempore, hoc haberet, quod illis objiceret, reconditum odium in pectore gerebat. Atque adeò quia imperata facere noluerant, molestè ferebat.* Sic illo tempore eos Chaganus compescuit, & effecit ut se metuerent, suoque dicto obedientes essent. Nihilominùs aliâ vice iterum legimus illos, subinde posthabito respectû se majorum & potentiorum, sine freno passim grassatos fuisse. Redeo iterum, ad res Hunnorum, quæ fuere cum Romanis.

XLVI. Tempore quô fatalis illa ac lugubris, Mauritio cum filiis, à Parricida *u. Phoca* an. D. 602. crudeliter interfecto, incubuit tempestas, (cujus jam paulò antè, mortem hujusmodi violentam, *x. vir quidam solitariam agens vitam, & in arcanis exercitatione contemplationis* versatus, impulsû quodam interno actus, *gladio evaginato, à foro usque ad vestibu-*

‡ Vide superbiam & cæcitatem humanam in his, qui & ipsi sæpè radiis Solis tepescebant, huc & illuc vagando. *u.* Simocatt. Lib. 8. c. 11. *x.* Idem Lib. 7. c. 12. Qui etiam annotat, anno 19. imperii Mauritii, hunc virum hoc fecisse.

ſtibulum palatii regii *currens*, *prædixerat*; apertè pronuncians, *Mauritium*, *ejuſque filios gladio cæſum iri*;) & quo etiam, poſt ejus *necem*, toti ferè *y*. *Romanorum imperio*, undique *variæ clades & ingentes*, *ipsâque magnitudine intolerandæ*, vivo adhuc, & hæc ſcribente Simocattâ, *nunquam defuerunt*; hoc inquam tempore, toto, nihil de *Hunnis* legimus, quo aliud quicquam concludere poſſemus, niſi hoc, quod ſe tunc in ſilentio, quietè continuerint. Non ſanè apud quenquam reperimus Hiſtoricum, quòd hac funeſtâ rerum Romanarum facie, *Hunni* Romanis inſultâſſent, eoſque vel in minimo contriſtaſſent; (quòd reverà, ſi quid tale fuiſſet, Simocatta præcipuè & Nicephorus Patriarcha, conſignare non neglexiſſent;) quamvis & ipſa occaſio cædis Mauritii, rupti fœderis cum Hunnis, teſtimonium fuit. Imperator enim, etiam hyeme jam inſtante, ſeverè demandaverat militibus, ut *Iſtrum* ‡ contra Abaros tranſirent, ex eorumque Regione alimenta ſibi compararent; quod cum illi ob ſævientem tempeſtatem, & alias cauſas, facere nollent, elegerunt potiùs ſibi ſeditiosè *Phocam* Centurionem pro *Exarcho* primùm †, deinde pro Capite Imperii, quàm Mauritium ampliùs pro Imperatore agnoſcerent. Magna ſane hæc erat, (Deo guber-

O 4 nan-

y. Simoc. Lib. 8. c. 12. ‡ Simoc. Lib. 8. c. 6. 7.
† Simocat. Lib. 8. c. 7. coll. c. 10.

nante,) in Hunnis animorum moderatio, quòd illo tempore, quo maximè Romanos ita inter se divisos, obruere potuissent, silere tamen potiùs voluerunt, quàm hostibus suis ullam creare molestiam. Legimus apud *Nicephorum* Patriarcham Constantinopolitanum, (qui floruit, ab an. D. 787. usque ad. 828. factus Episcopus Constantinopol. A. 806.) hoc vulgò, regnante Phoca, jactatum fuisse ab omnibus, z. *Persas foris Romanum Imperium vastare, Phocam verò intùs multò iis deteriora facere:* de Hunnis autem, nihil tale, (ut dictum,) quod Romanis hoc tempore tristitiam auxisset, reperimus. (Quod enim Phocas, a. *fœdus* renovavit cum *Chagano* Abarum, hoc nihil obfuit Romanis.) Non dubito causam hujus rei quantum ad Hunnos, hanc fuisse, quod terram dudum quæsitam jam tenentes, tùm se, tùm suos colonos, in quiete maluerunt esse, terræque culturæ dehinc operam dare, quàm bellum (nisi irritarentur,) aliis inferre.

XLVII. Regnante demum *Heraclio* Imperatore, (qui de Parricida *Phoca* an. D. 611. ultionem sumsit,) legimus apud *Nicephorum* C. P. quod pars *Hunnorum*, b. (per quos, præcipue Bulgaros, cum intermixtis quibusdam genui-

z. Niceph. C. P. in Breviar. Hist. sub initium, pag. 3. edit. Paris. An. 1648. a. Land. Sag. Hist. Misc. Lib. 17. pag. 543. b. Niceph. Hist. pag. 9.

genuinis Hunnis, puto intelligi,) circa an. D. 618. Constantinopoli Christianam fidem fuerit amplexa: quod indicium erat, jam tunc *Hunnos*, pacatiores quàm antè fuisse redditos. De alia vero parte potiori, eorum nempe, quos *Abares* nominat, hæc circa an. D. 620. lego apud eundem Nicephorum: c. *Abarum Princeps, legatos de pace ad Heraclium misit: quibus magnopere gavisus* (Heraclius,) *donis illum remuneratus est, ad eumque vicissim legatos destinat, Athanasium Patricium, & Cosmam Quæstorem, qui voluntatem suam renuntiarent.* At verò ait Nicephorus, quod *Abarus amicitiam* tantùm *simulasset.* Nam cum Imperator Principi Abarum, venienti fœderis gratiâ, *ad Heracleam* † *Urbem, uti inter eos convenerat, occurrere decrevißet, & præmisso scenico apparatû, (cum equestre certamen ad eum suscipiendum pararet, ac insuper splendidam ei vestem, & ipsius comitibus ferret,) ipse Selymbriam* ‡ *pervenisset:* tum *triduo deinde Chaganus cum ingenti Abarorum multitudine, Heracleam contendit. Ibi parte suorum delectâ, quicquid*

O 5

c. Ibid. Ubi præmittitur: Μετὰ δὲ ταῦτα. *Post hæc autem.* Quô innuit C. P. præcessisse, quod paulo ante, de aliis Hunnis narrabat. † Aliàs *Perinthus.* Est in Thracia, infra Adrianopolim & Drusiparam, ad Propontidem, in long. gr. 54. m. 50. lat. 42. m. 20. Vid. Ptol. Geogr. Lib. 3. c. 11. ‡ Est locus inter Constantinopolim & Heracleam, juxta Propontidem, non procul ab Heraclea.

quid roboris erat, per ſaltus ac ſylvas, quæ longis muris imminent, clam diſſipari, ac per condenſa montium pergere jubet, ut Imperatore a tergo circumvento, medium ipſum, ejuſque comitatum omnem, in poteſtatem haberent. Senſit hæc Heraclius (Selymbriæ,) & inopinatâ re, nec mediocriter perculſus, purpuram exuit; ac vili detritoque habitû, quô privatus eſſe videretur, indutus, & coronam regiam, brachio † *alligans, ſtatim indecorè ſe in fugam conjicit: vixque fuga Byzantium eſt elapſus. Abari fugientes, animoſiùs inſecuti, ad campum uſque qui ex adverſo Urbis* (Conſtantinopol.) *eſt, nomine Septimus, ibi caſtra poſuerunt. Inde ad Barnyſſi fluminis pontem uſque diſperſi, circumjecta loca populabantur, & per Romanorum cædes impunè graſſabantur. Inter cætera, Imperatoria veſtis in poteſtatem hoſtium redacta, cæterique illi, quos paraverant amictus, cum ſcenico omni inſtrumento, & cum iis, qui ea perferebant. Tandem cum infinitâ captivorum multitudine, ad ſuos limites* (ultra Danubium) *regreſſi ſunt. Compertum eſt, ex captivorum quorundam, qui furtim aufugerant, conſtanti relatione, ad ducenta & ſeptuaginta millia, captorum utriuſque ſexûs numerum, perveniſſe.* Hæc Nicephorus. In Dei conſilio eſt, cur hoc tempore, Hunni per aliquot annos quieſcentes, nunc tàm ſubitò, tantam Romanis

Græ-

† Poteſt verti etiam, *Ulna*. Græc. τῇ ὠλένῃ περιαψάμενος.

Græcis & Thracibus cladem intulere; ex iis tamen quæ jam de illis didicimus, (quàm ſtrictè fœdus ſemel ictum, quantùm in ipſis ſtabat, inviolatum conſervare niterentur,) probabiliter colligere poſſumus, motos ideò fuiſſe, quòd viderent ſe diù quieſcentes contemni & poſthaberi à Romanis, tributoque ex pactione debito, penitùs defraudari. Quod *Nicephorus* narrat, primùm oblatam fuiſſe pacem à Chagano Romanis, & mox eum inſperatò in hoſtem verſum eſſe; ego ingenuè fateor, defectum hîc narrationis, ſive ex ignorantia omnium ante geſtorum, ſive è partium ſtudio profectum, ſubeſſe agnoſco. Poterant hîc multa alia antecedere & intercedere, ad propoſitam vel deſideratam concluſionem pacis, quæ non exſtant in Nicephori narratione.

XLVIII. Mox iterùm *d. Heraclius* ſequenti *anno decimo imperii ſui*, (h. e. an. D. 621.) *miſſis ad Chajanum Avarum legatis, queritur ſuper his, quæ nequiter acta fuerant ab eo, & ad pacem hortatur. Acies quippe diſponens, contra Perſidem dirigendas, paciſci cum Chajano volebat. Qui reveritus dilectionem Imperatoris, ſe pœnituiſſe pollicebatur, & pacem fieri repromiſit: pangenteſque fœdera, legati in pace reverſi ſunt.* Item, anno etiam 12. imperii ſui, Heraclius *motus contra Perſidem, e. ſcripſit ad Chajanum Avarum preces, curam agendi ſuper Roma-*

d. Land. Sag. Hiſt. Miſc. Lib. 18. pag. 553.
e. Ibid. Hiſt. Miſc. pag. 553. & 554.

Romanorum negotiis, tanquam qui fuerit secum amicitiam pactus, Tutorem filii sui compellans. Ad res etiam Hunnorum meliùs pernoscendas, pertinet illud, quod scribit *f. Fredegarius*, exortam fuisse circa an. D. 642. inter *Avaros cognomento Chunos*, (ut ille eos vocat,) & Bulgaros, contentionem *vehementem. Unus ex Avaris, & alius ex Bulgaris, collectâ multitudine, uterque in invicem impugnarunt. Tandem Auari Bulgaros superant.* Ex *Bulgaris* verò *novem millia virorum cum uxoribus & liberis*, è Pannonia exules, ad Regem Franciæ *Dagobertum*, confugerunt: qui dum eo annuente in Bavaria aliquamdiù commorarentur, mox ejusdem & *Francorum consilio*, omnes ad unum *unâ nocte* à Bavaris miserè ac dolosè *interficiuntur*. Hanc illi misericordiam fugitivis à se receptis exhibuerunt.

XLIX. Subsequentibus dehinc temporibus, usque planè ad tempora *Caroli* Magni, h. e. usque ad an. D. 783. nihil penitus apud fide dignos hac in re Historicos hactenùs extantes, de motibus Hunnorum genuinorum & Abarum in alias Nationes, legimus. Unde meritò concludimus illos, tanquam post tot bella quietis & agriculturæ cupidos, ubi ab aliis non infestarentur, se intra suos limites per totam Pannoniam, Daciam, & partem magnam Scythiæ huic contiguam, in silentio

f. In Chron. Script. Hist. Francor. Tom. 1.

tio quantum ad Europæos, illo tempore continuiſſe. Cum enim nullâ penitùs armorum vi legamus illos ab ulla Natione fuiſſe debellatos, poſt Mauritii vel Heraclii tempora, quin potiùs conſtet ipſos etiam tempore Heraclii ſuperiores Romanis exſtitiſſe; atque etiam Simocattam, agnoſcere *Hunnos -Abares*, ſuo, h. e. Heraclii tempore, *g. Pannoniam* tenuiſſe; nec aliter uſpiam Nicephorus quoque Conſtantinopolitanus loquatur, imò aperte ſic ſcribat: *h. Pannonia, quæ NUNC Sub Abarorum poteſtate eſt:* non aliud ſane inveniri poteſt, quod hîc dicatur, quàm id quod dixi, eos nempe quietis & agriculturæ avidos, per totum illud tempus, intra ſuos limites, ſe ſilendo continuiſſe. De *Bulgaris* & *Sclavis* iiſdem junctis, lego tum apud Nicephorum CP. tum apud alios, quòd intra

tra

g. Hiſt. Lib. 7. c. 7. *Abari, qui in Europa & Pannonia ſedes habent.* *h.* Niceph. Brev. Hiſt. pag. 23. Loquitur illic, de quinque filiis Curati cujuſdam Principis Bulgarorum, (an. D. circ. 650.) quos ille Hunnos & Bulgaros ſimul vocat, Ubi de quarto illius filio dicit: Ὁ δὲ τέταρτος τὸν Ἴστρον ποταμὸν διαβὰς ἐν Παννονίᾳ τῇ νῦν ὑπὸ Ἀβάροις χειμένη αὐλίζεται, ὑπόσπονδος ἐγχωρείω ἔθνει γενόμενος. *Quartus, trans Iſtrum penetrans, in* PANNONIA, *quæ nunc ſub Abarorum poteſtate eſt, fœdere cum habitatoribus inito, domicilium collocat.*

tra ſpecificatos ſuprà temporis terminos, nunc ipſi Romanis damnum ſubinde intulerint, nunc à Romanis fuerint cæſi; nunc verò amicitiam & fœdus cum Romanis habuerint. Quòd verò *Hunnis* ſive *Abaris*, intra illud tempus, Bulgari aliquam memorabilem injuriam, in ipſam Nationem redundantem, intuliſſent, nihil de eo apud Hiſtoricos apertis verbis proditum invenio: quin Bajano, ſive Chagano ita conjunctos eos fuiſſe lego, ut aliquando, Chagani germanus frater fuerit Dux Bulgarorum, à Bulgaris ipſis electus. Narrat enim Nicephorus ad annum D. circiter, 765. quod *Umarum i.* quendam à Romanis-Græcis per *Sabinum* pro *Duce Bulgaris præfectum*, *Bulgari Principatû exuerint*, *& loco ejus* † *Toctum virum Bulgarum*, *Bajani fratrem ſubſtituerint.* Quibus ex verbis, etiam hoc colligo, quod jam hoc tempore, adeo ſibi affinitate junctæ fuerant utræque illæ Nationes Scythicæ, Hunnica & Bulgarica, ut ex eadem Natione, utriuſque Nationis Principes aliquando conſtarent. Cum enim *Toctus* ille Bajani frater dicitur fuiſſe Bulgarus, aut confundit Nicephorus Nationes, & Bulgarum pro Hunno vel Abaro accipit, (aliquoties enim Bulgaros vocat Hunnos,) aut verò Duces

i. Niceph. Hiſt. pag. 45. † Τόκτον ἄνδρα Βουλγαρον τοῦ Βαϊανοῦ ἀδελφὸν.

Duces & Majores Bulgarorum, conſuevere paulatim, filias Hunnorum pro Uxoribus accipere, ex iiſque tales ſuſcipere liberos, qui & apud Hunnos in eo eſſent honore & authoritate ob virtutes eorum, ut aliquando è medio illorum, eligerent ſibi Bajanum ſeu Chaganum.

L. Dixi paulò antè, non inveniri apertis verbis aliquid contrà Nationem Hunniacam, dicto ante tempore, à Bulgaris patratum, proditum. Implicitè enim, ſaltem contra quoſdam terreſtres Dominos, perpetratum ab iis, annon involvatur in quibuſdam Nicephori verbis, valde ſuſpicor. Sic enim inter res, circa an. D. 763. geſtas ſcribit. *k. Apud Hunnos & Bulgaros iſta contigerunt. Fœdere illi inter ſe conſtituto, † Xerenſibus quorum in Dominatu erant, interfectis, Ducem ſibi Teleſium nomine præficiunt, arrogantem hominem.* (Hic citò ab iiſdem Bulgaris interfectus eſt.) Quid hîc per eos qui e *Xera* fuerant, intelligat Nicephorus, id nec ex ipſius verbis, nec ex alio Scriptore mihi conſtat. Non enim novi ullam Nationem ſic vocari. Neque putandum eſt, eum loqui de *Seris*, ſeu Cathajanis. Annon, in vocabulo erret, cum ex Hungarica lingua, ſcribendum fuiſſet *Soros*, vel potiùs *Szeres*,

k. Hiſt. pag. 44. † τοὺς μὲν ἐκ Ξηρᾶς τὴν κυρείαν τὴν ἐπ' αὐτοὺς κεκτημένους, κτείνουσιν.

Szeres, valde dubitò. Sic vocantur aliquando apud noſtros præſertim vulgares, exactores illi, qui ordine velut vicatim, & capitatim, aliquas contributiones à ſubditis colligunt. Sic ſenſus erit, quaſi Dominorum ſuorum Exactores interfeciſſent. Sed hæc in medio reliquo. Conſtat ſaltem, inde non magnum inter Hunnos & Bulgaros ortum eſſe diſſidium, cum ſtatim, ad an. 765. legitur apud eundem Nicephorum, (quod jam notavi,) fratrem Bajani electum fuiſſe pro Duce a Bulgaris; inter quem, & alterum illum faſtuoſum *Teleſium*, non alter interceſſit, quàm *Sabinus* quidam Romanus ad exiguum tempus, & alter, nomine *Umarus*; quem diximus a Romanis fuiſſe Bulgaris, impoſitum.

LI. Legimus etiam hæc de Hunnis Abaris apud Nicephorum. Quod nempe, cum circa an. D. 669. Romani ita cum *l. Sarracenis* a ſe victis, 30 annorum pacem feciſſent, ut in ſingulos annos Sarraceni Romanis Conſtantinopolitanis, tria aureorum millia penderent; hæc *ubi ad Occidentales* † *barbaros perlata ſunt*, (ut ſcribit Nicephorus,) *ad Abarorum ſcilicet Ducem*, & *ad alios Principes* ‡, *qui ultra*

l. Brev. Hiſt. pag. 22. † Occidentales dicuntur, ratione Urbis Conſtantinopoleos Abari, Pannoniam & partes Daciæ incolentes. ‡ καὶ οἱ ἐπέκεινα ἄρχοντες τῶν πρὸς δύσιν ἀνακειμένων ἐθνῶν.

ultra eos, ad Occidentem positis gentibus præsunt; munera cum legatis ad Imperatorem, (nomine Constantinum Pogonatum,) *mittunt, ac pacem postulant; quibus Imperator assensus est. Ita deinceps, tàm in Oriente, quàm in Occidente, altissima pax & tranquillitas fuit.*

LII. Alibi verò, quasi de sua ætate, & illâ, quæ eam aliquanto præcessit; hoc est, circiter de an. D. 680. usque ad 800. loquens, hæc de Bajano scribit: *m. Hoc modo divisâ* Hunno-Bulgarorum † *gente ac dissipatâ in varias sedes, Chazarorum natio, ex interiori Berylia profecta, quæ Sarmatis vicina est, excursiones impunè faciebat; atque ita grassantes, transductis copiis, ultra Euxinum mare perveniunt; ubi Bajanum in suam potestatem redigunt, ac stipendiarium faciunt.* Videmus in his, quantum jam an. circiter D. 680. & proximè sequentibus, Chazari, hoc est Turcæ cum quibusdam Tartaris, profecerint; ut etiam ultrà Pontum ex Asia prædandi causâ penetrarint. Lego sanè Chazarorum Ducem seu Chaganum, jam circa an. D. 696. *n. Phanagoria*, inter Pontum & Mæotidem ad

P Orien-

m. pag. 23. † Sic vocat eos, Hunnos & Bulgaros simul. † Græc. τὰ τοιαῦτα πάντα κατέδραμον, χώραν τὴν ὑπὲρ Πόντον τοῦτο Εὔξεινον γῆς καὶ θαλάττης ἐπέρασε. μεθ' ὧν καὶ Βαϊανὸν ὑπεξούσιον ποιησάμενος, εἰς ὑπαγωγὴν φόρων κατέστησε. *n.* Vide ex Theophan. Histor. Miscell. Lib. 18. pag. 569. in octavo.

Orientale latus Tauricæ Cherſoneſi, commoratum fuiſſe. Et videntur primâ fronte verba allegata id ſonare, quaſi Chazari illi, uſque planè ad Hungaros excurriſſent, eorumque Ducem tributarium feciſſent. Verùm, (niſi quis hîc putet per Bajanum, tantùm Bulgarorum Ducem deſignari,) error manifeſtiſſimus eſt in textu Nicephori, ita ut pro Βαϊανὸν, legi hic debeat Βασιανὸν, vel Βατβαϊαν. Hîc enim unicè de *Curati*, ſive potius *Crobati* †, Ducis Bulgarorum primo & natû maximo filio eſt mentio; qui ab ipſo Nicephoro vocatur Βασιανὸς, (*Baſianus*,) à Theophane autem Βατβαϊαν, *Batbajan*. Atque hinc Theophanes, qui aliquanto vetuſtior eſt Nicephoro, dum hanc eandem rem deſcriberet, non *Bajanum*, ſed *Batbajanum* ſcribit. o. καὶ τὸν (inquit,) πρῶτον ἀδελφὸν Βατβαϊαν τῆς πρώτης Βουλγαρίας ἄρχοντα ὑποτελῆ καταστήσας. &c. ***Et primum fratrem*** (è quinque fratribus) ***Batbajanum, primæ*** (ſeu antiquæ) ***Bulgariæ Principem ſubigens, tributum ab eo in hunc uſque diem percipit.*** Landulphus etiam *Sagax*, ſecutus Theo-

† Sic legitur apud Theophanem & in Hiſtoria Miſcella. Vbi nota obiter, ***Croatas***, (Germ. ***Krabaten***,) nomen ſuum ab hoc ***Crobato***, ſive directè, avi ſui nomine retento, ſive per filium ejus quartum, qui ſe Abaribus Hunnis ſubdidit, ſortitos fuiſſe, valdè probabile eſt. o. Theophan. in Fragm. de Bulg. orig. ed. à Petav. Par. (cum Niceph.) p. 76.

Theophanem, tantum de Bulgariæ Principe hæc accipit; quem ipse *Bathabian* nominat; at de Hunnorum *Bajano* ne γρῦ quidem habet. Intelligitur autem hîc Bulgaria, non Europæ ad Hungariam, sed Scythiæ Asiaticæ ad Volgam; ita ut, non trans Pontum in Europam, sed ultra & supra Pontum inde à mari Caspio, grassando penetrasse dicendi sint, hi Chazari, quomodocunque Nicephorus sua verba intellexerit. Hæc ideò discutere placuit, ne quis lectione Nicephori deceptus, putaret jam olim Hunnos in Dacia & Pannonia Chazaris fuisse tributarios. An verò, an. 744. aliqui in Pannoniam advenerint *Hunni*, sequenti capite, discutietur.

LIII. Quis porrò circa an. D. 783. & paulò post, Hunnorum status fuerit, ex sequentibus, Adonis Viennensis (qui floruit an. D. 879.) verbis, non obscurè colligi potest. *q. Excellentissimus Rex Carolus, super Albium* † *fluvium pontes constituit; - - atque Sclavos quorum vocabulum est Vultze, perdomuit.* Et paulò post. *Avarorum gens effera, finibus Bojovariorum* * *infestissima, Ecclesias oppidaque circa fines suos* ‡, *immanissimè depopulans atque devastans, metû pii & gloriosi Regis, ac timore exercitus illius, dimissis firmi-*

p. Hist. Miscel. Lib. 19. c. 17. *q.* Ado Vien. in Chron. Æt. Sex. in gest. Carol. Mag. ad an. 783.
† H. e. Albim. * Hodie diceremus, *Bavarorum.*
‡ Hoc est circa fines Pannoniæ ad occidentem.

tatibus suis & præsidiis, fugâ elabitur, ac pristin *possessionem relinquit.* † Regino autem Abb Prumiensis, (qui an. D. 908. objit.) pau citeriùs, hoc est, ad an. D. 799. hæc scribi r. *Eodem anno* (scil. 799.) *gens Avarorum, à fi quam promiserat,* ‡ (nempe Carolo,) *defecit.* E paulò pòst. *Per id tempus, Geroldus, cum es Bojoariæ* † *Præfectus, commisso cum Avaribus pr lio, interficitur.* Quos autem per *Avaros,* v *Avares* intelligat, exposuit se in superioribu cum dixit: s. *Hunni, qui & Avares, comper morte Clotharii, super Sigibertum irruunt;* quo contigisse, circa an. D. 566. jam notavimu Post hoc autem tempus, hoc est, post an. I 799. iterum amicitiam iniisse Hunnos cu Carolo M. ex Adone colligere possumus; q scribit, *Principem* quendam *Avarorum, ad C rolum se contulisse, & cum populo suo credidiße.* Ho quidem Ado subjicit, anno D. 792; verù probè notum est iis, qui Adonis hujus Chron con aliquando legerunt, hunc Adonem lo gè dissitos à se invicem annos subinde poner resque diversis & aliquot annis gestas, u alicui anno subjicere. Puto igitur hoc pr ximum contigisse, circiter an. D. 800. *Sig* *be*

†Intelligo sic, quòd loca quædam in finibus B variæ & Pannoniæ superioris, reliquerit. r. Rhe Chron. Lib. 2. ad an. 799. pag. 33. ed. Franc. a 1583. ‡ Fidem fœderis intelligo. † H. e. B variæ. s. Lib. 2. pag. 9. 10.

bertus autem Monachus Gemblacensis, hæc de Hunnis ad annum D. 804. scribit: *t. Avari qui & Hunni, longo contra Francos bello perdomiti, à fortitudine & potentia sunt diminuti, ut qui alios ultrò solebant lacessere, jam nec se ab aliis valeant tueri; quia in hoc bello* (inquit) *omnis eorum gloria & nobilitas periit.*

LIV. Scribit *Ado* Viennensis, hæc quoque de Hunnis & eorum Principe, ad annum D. 804. *u. Theodorus Capuanus, Princeps* † *Hunnorum, propter infestationem Sclavorum, (erat enim Christianus,) locum sibi dari ad habitandum inter Sabariam* * *& Carnutum* † *postulavit. Quem Imperator benignè suscepit, & precibus ejus annuens, muneribus donatum redire permisit.* Sic intelligo, quod per Legatos (quibuscum poterat forte filius ejus præsens esse,) petiit Carolum, ut ejus beneficio & assistentiâ, posset contra infestatores suos, priora sua loca illic possidere.

 Nam

t. Sigeb. in Chron. *u.* Chron. Ætat. 6. † Nota, Rhegino hîc consuetum Orientis titulum retinet, ad an. D. 805. scribens: *Cacanus Princeps Avarorum Imperatorem adiit.* &c. * Hung. *Szombat-hely*, versus Stiriam. Est etiam fluvius Sabarias apud Ptolomæum, ibidem. † Reginoni & Sigeberto *Carantanum.* Est apud Ptolom. in Pannonia superiori, *Carrodunum*, (Geogr. Lib. 2. c. 18.) circa locum, ubi hodie prope Drauum est Zeriny-Vár, ad Occidentem Canisæ; Verum ex Scriptoribus Latinis, Carnutum, *Carinthiam* ego esse censeo. Est etiam in Vindelicia, Carrodunum, Ptolom. Lib. 2. c. 13.

Nam constat etiam ante hoc tempus illa loc
ut & alia versus Orientem, Hunnos poss
disse. Ergo nunc petunt, ut in Occident
parte patriæ, (nam de Orientali nulla hic co
troversia legitur,) ad minimum liceret ip
tutò illas suas possessiones tenere, contra co
tra colluviem variorum Sclavorum illius te
poris, quæ sunt inter terminos jam memor
tos. Sigebertus, hanc rem sic describit: * *A
vari non sufferentes infestationem Sclavorum, à C
rolo Imperatore inter Sabariam & Charamtanum
impetraverunt habitandi locum; ibique sine Re
nomine resederunt, sub ditione Francorum.* At Vi
nensis *Ado*, qui ut tempore his gestis propi
& ipse quoque Gallus, nihil tale habet, qu
in postremis lineis Sigebertus consignavi
sine Regni nomine eos, *sub Francis* fuisse. H
saltem liquet, in magno apud ipsos respect
Carolum Imperatorem habitum fuisse; ita
facile concesserim, honorariam aliquam e
superiori, subjectionem, eos præstitisse. Q
sensu intelligo illa Hermanni Contracti (
vixit an. D. 1050.) verba ad an. D. 7
y. *Huni munera mittentes, Carolo, subjiciuntur.*

LV. Sed audiamus de hisce rebus, ipsu
Eginhardum, (qui Carolo Magno, jam
D. 806. à secretis fuit, & usque ad an.
836. supervixit,) hunc in modum scrib
te

x. Sigeb. in Chron. ad an. D. 805. y. In Chr
Obiit. an. D. 1054.

tem: z. *Maximum omnium, quæ ab illo,* nempe Carolo, *gesta sunt, bellorum, præter Saxonicum, huic bello succedit, illud videlicet, quod contra Avares sive Hunnos susceptum est: quod ille & animosius quàm cætera, & longè majori apparatu, administravit. Unam tamen per se in Pannoniam, expeditionem fecit. Cæteras filio suo Pippino, ac Præfectis Provinciarum, Comitibus etiam atque Legatis perficiendas, commisit. Quod cum ab his strenuissime fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo Regia Cagani erat, ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo, humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum Nobilitas periit, tota gloria decidit; omnis pecunia, & congesti ex longo tempore thesauri, direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum* †, *humana potest memoria recordari, quò illi magis ditati & opibus aucti sint. Quippe cum usque in id temporis penè pauperes viderentur, tantum auri & argenti in Regia repertum, tot spolia in præliis sublata, ut meritò credi posset, hoc Francos Hunis justè eripuisse, quod*

z. Eginhard. in Vita Carol. M. Script. Hist. Franc. Tom. 2. pag. 98. ed. Paris. 1636. † Non tamen legitur ab Hunnis primùm fuisse suscitatum hoc bellum contra Francos: sed Carolus M. zelo Christianæ religionis eos aggressus est, proximè Bojis, (paulo ante à se subactis,) hac in parte assistens.

Huni priùs aliis Gentibus injustè eripuerunt. Hæc ille.

LVI. Placet etiam ex Joh. *Aventini* de his rebus narratione, aliquid hîc inserere: præsertim quòd is eâ occasione, etiam munimenta quædam veterum Hunnorum, in ea parte Pannoniæ, ubi nunc est Austria cum parte quadam Hungariæ, pro more illius gentis & ævi exstructa, recenset & describit. *a. Cum* (inquit) *de limitibus, Bojis & Auaris non conveniret: & Auari gens efferatissima, infestissimaque Boiis, Templa, Oppida, Vicos, agros, Bojorum* †, *in confiniis crudeliter depopularetur, Carolus illis bellum indicit, anno ab orbe servato, septingentesimo super nonagesimum. Ipsos Hunnos sive Auares, Boiis, cum hi adhuc multos Deos colerent, societate militandi conjunctos fuisse, & pulsis Rom. Noricum inter se divisisse, suprà narravimus. Porrò Auari portionem suam,* (in Norico scilicet,) *novem segmentis & circulis, quos Rhingos & Landuueras dicimus, tutandi causâ cinxerant. Distabant autem inter se hujusmodi tutelæ, circiter millia passuum quadraginta* ‡; *Unaquaque circuitû, millia passuum* 50 * *amplectebatur, & septa erat aggere militari* †. - *Cujus ratio ita instituta fuit. Crebri stipites,*

a. Aventin. Annal. Bojor. Lib. 4. pag. 249. & 250. edit. Basil. 1580. † Bavaros (ut norunt eruditi,) intelligit per *Bojos*. ‡ H. e. octo milliar. Hungaric. seu decem German. * H. e. decem milliar Hungaric. † Sequitur illic: *qui murus à*

stipites, truncique abiegni, querni, fagini, in orbem in terram defixi erant. His item contrarii jungebantur è regione vicenum pedum intervallo. Id ubi aut salicibus constratum, limovè completum erat, cespitibus integris contegebatur. Latitudo itaque hujuscemodi sepimenti extendebatur 20. *pedibus, totidem altitudo eminebat. Obseri solebat utrinque intùs & extrà hoc genus valli, salicibus majoribus, ulmis, albis populis, atque arboribus, quæ putatæ, propagine sarciunt locum senescentium. Tam inexuperabile munimentum, perangustâ, velut à latrocinantibus, adibatur portâ. Inter hosce aggeres, Vici & Villæ quantùm vox humana hauritur, distabant. Extrà verò illa septa, prædia & ædificia, ita quoquò versus disposita sitaque erant, ut in unoquoque quodvis signum tubâ datum, in altero audiretur. Proximi invicem quiritari poterant, ne procul repetendum esset mutuum auxilium. In hæc tutissima, sive Castra, sive Latibula adpellari libeat, per trecentos † fermè annos omnium gentium latrones, opes Orbis congesserant: ipsi interim intacti omninò ab exteris populis. Gravissimum hoc bellum, secundùm Saxonicum, quod unquam gessere Reges Francorum, apparuit. Ideò istud Carolus, majore apparatû, fortitudine &* auda-

P 5

Varrare, à Teutonibus Haga, Heccaque vocari solet. Ubi in verbis illis *à Varrare*, si manifestus error non sit, nescio, quid sibi velit. Forte potiùs legendum est, *qui murus Vár ab Avaris, a Teutonibus Haga* &c. *vocari solet. Arx* enim nobis est *Vár.*

† Desunt circiter 70, ex 300.

audacià gesſit. - Non exſtiterat in memoria hominum bellum, ubi tantum auri, argenti & divitiarum Franci comparaſſent. Antea pauperes fuerant, bellum Hunnicum, ditiſſimum militem Francum reddidit. At è diverſo hoſtium omnis nobilitas periit; plurima edita ſunt prælia, multum ſanguinis effuſum eſt. Omnis gloria, quâ longo tempore Hunni clariſſimi exſtiterant, extincta; gazâ, theſauris, prædâ omni, noſtri potiti ſunt. Terra ita ferro, cædibus, flammâ, adtrita, ut ne veſtigium quidem Regiæ appareret. Hæc ille. Sed quod immediatè ſubjicit, *Nomen Auarorum, Hunnorum, ſimul cum gente exciſum, evanuit*; in eò turpiſſimè fallitur, Hiſtoricus alioquin multæ lectionis. Ipſe enim ſe in hoc refutat paulò infrà, dum refert, *Auares* ſeu Hunnos, *ultra Tibiſcum* fuiſſe *ſubmotos*. Verùm ſuò loco, falſitas illius dicti, ampliùs pateſcet. Menſuram porrò Munitionum, & diſtantiarum inter ſe, ab Aventino hîc ſpecificatam, non debemus planè ad ἀκρίβειαν Geometricam examinare, (quam multa hic obſtacula non admitterent,) ſed præter propter, aut certè pro ſatis magnis menſuris & intervallis accipere.

LVII. Scribit deinde: *b. Partito Exercitû, Theodoricus nothus Caroli, & Magofridus cubiculi Præfectus, cum Saxonibus & Friſiis, in Aquilonari ripa; alterâ parte ipſe cum Franconibus & Suevis; in medio Danubio Pipinus cum Bojis, ac claſſiariis, qui*

b. Ibid. pag. 250.

*qui annonam devehebant, secundâ aqua vectus, infesta intentaque acie, pulsis præsidiis hostium, ad fines Hunnorum, usque ad Auarorum munimenta procedunt: unum super Cambum ‡ fluvium, haud procul ab Urbe Chremsa *, Septentrionem spectabat; alterum juxta Comagenos, oppidum in monte Camenberg † ad austrum vergens, vallo firmissimo, (uti paulo antè explicavimus,) erat cinctum. Fusis hostium præsidiis, hujuscemodi munimentis captis, excisis, omnia ferro, igne adteruntur. - Ceteri Auares, ubi conspicati sunt utraque ripâ exercitus, & medio Histro Classem, terrore subitò ingenti, divinitùs velut dono Dei, (sicuti ejus c. tempestatis Scriptores credi volunt,) exanimati ac stupefacti, fuga comparatâ, finibus suis ultra Arabonem fluvium excedunt, seque in solitudinem ac sylvas abdunt, notasque latebras quærunt. Carolus incolumi milite, nemine resistente, usque ad Arabonem ‡ & ad confluentem ejus & Danubii, cum triplici exercitu castra movet. Ibi aliquot dies, stativa habet; - hostes Vallis fixis, congestis aggeribus, excludit. Deinde Bojorum colonias, Geroldum Bojariæ Præsidem deducere jubet, Templa exstrui imperat; agros, prata, vineas, inter Præfectos, equites, Monachorum magistros, Pontificesque Bojariæ, sicut vetera testantur diplo-*

‡ Est fluvius Austriæ. * In tabulis hodie *krems*, benè supra Viennam ad septentrionale latus Danubii. † Al. *Chaumburg* vel *kaumburg*. Vid. Ortelium ex Lazio in Thesau. Geogr. ad voc. *Comagenum*. c. pag. 251. ‡ *Rab*, vel *Raba* hodie.

diplomata, distribuit: - eaque regio Austria ‡, *h* *est, Orientalis Bojariæ limes tum vocata, adhuc n* *men retinet. -- Eaque pars Norici, nuncupatur* *Romanis Noricum Ripense: deinde, Rugilandia* *Rugiis, Longobardia a Longobardis: eadem Hu* *nia & Auaria; post Orientalis Bojaria, id est, n* *stro sermone, Austria dicta.*

LVIII. Et paulô pôst. *Auares ubi audive* *Carolum procul abesse, ex latebris prodeunt, cu* *Bojis pugnam conserunt; sed victoria penes Bojos fui* Et infrà. *d. Zotan, Thuduni maximi Auaroru* *Rector* ‡, *deditionem Gentis Carolo facit, in Philo* *sophia Christiana institui & imbui petit.* Subdit hoc fuisse, an D. 795. Aliquantò post. *In* *terea Pipinus filius* (Caroli) *cum Bojis, Bonoma* *rus Venedus* †, *Tribunus Henrici, quem Rex For* *Julii præfecerat, junctis copiis arma in Auaros, qu* *ultrà Arabonem ad Eurum vergebant, & inter* *quoque tumultuabantur, ac civili bello dissidebant* *promovent. Iringus & Jugurro Cacani* *, *hoc est* *Hunnorum Reguli, interempti sunt. Rhingus præto* *rium eorum, & caput Abarum munitissimum, ub* *gaz*

† Alibi explicat Teutonicè, *Osterricha.* (Q. d Orientale Regnum,) pag. 257. *d.* pag. 254 ‡ Hoc est Tuduni Supremi Principis inter Hunno magnus aliquis Dux vel Capitaneus. † *Vened* hîc sunt gens origine Sclavonica. Alias dicuntu etiam *Winidi*, vel *Winidæ.* * Hinc apparet jam hoc tempore plures fuisse Hunnorum *Chaganos* se *Bajanos.* Unus tamen aliquis ceteris potentio erat, ut is qui hic *Thudun* nominatur.

gaza Regia, captum, direptum, solo æquatum est. Thudunus Rex Auarum, uti superiore anno pollicitus erat, se nobis dedit, cum magno popularium numero, & ingenti thesauro, ad Carolum ire jussus, cœlesti lavacro, cum omnibus lustratus est: amplissimisque acceptis muneribus, in Hunniam infra Arabonem remittitur. Paulò post statim fidem frangit; sed statim à Pipino & Bojis, qui firmis præsidiis provinciam tenebant, pugnâ interficitur. - Is Thudunus, ultra Danubium, in ea Regione, quam Ptolomæus Jazygas habitare tradit, suprà Tibiscum amnem, Occidentem versùs regnavit; ejus regionis caput Bormanon, † Prætorium Thuduni: qui & ibidem sepultus est, haud ita procul ab Agria. Auares qui reliqui erant, rursùs vires reparant; Chajam quendam Regem creant. Qui postquam videt copiis hostium se clausum, neque fuga neque præsidii ullam spem fore, optimum factu ratus, aut vincere, aut succumbere; statuit fortunam belli tentare, atque quàm primùm cum Pipino & Geroldo † Præside, pugnis contendere. Animis igitur suorum ad prælium concitatis erectis-

‡ Apud Ptolom. & *Bormanon*, & *Germanon* legitur in edit. Græc. Lat. Amstel. Lib. 3. c. 7. (per ομικρὸν.) Ponitur in long. gr. 43. m. 40. & Lat. 48. m. 15. vel 4. juxt. Græc. Videtur esse locus ille, qui hodie nobis dicitur, *Jász-Biriny*: nisi quod Ptolomæus, elevationem Poli aliquanto majorem ponit, quàm est illic loci: quæ circiter est gr. 47. m. 26. † Hic Geroldus & Henricus Præfectus Foro Julii, ceciderunt in pugna; ut habet Aventinus, pag. 250. & Eginhardus in Vita Caroli M.

erectisque, in aciem procedit. Nec nostri certamen detrectant. Acriter utrinque, & diu ancipiti prælio conflictatum est. Hunni tandem amisso Rege, terga vertunt. Victor Pipinus & Boji, omnia ab Arabone & Peisone, sive lacu Odenburgensi, usque ad Dravi fluenta, & ad ejusdem atque Histri confluentes, vi & armis subigunt; cuncta in ditionem & obsequium cogunt, resistentes cadunt; Auaros fugientes, qui se tradere recusabant, ultra flumen Tissam submovent; reliquias in fidem accipiunt; firmissimis valentissimisque Bojorum, Venedorumque ‡ præsidiis, provinciam muniunt. Item alibi. * *Cœpere itaque in eo tractu, unde Hunni extrusi fuerant, multiplicari Boji atque Venedi; qui adhuc ibi mixti Ugris habitant.* Et paulò post. *e. Confectum itaque est octavo tandem anno bellum Auarorum, quod & Hunnorum appellant: non sine magno, (ut verbis Ludovici Pii Cæsaris Augusti †, utar) præliorum labore: Bojariaque Regnum usque ad Dravum flumen ejusque ostia, prolatum est.* Hæc ille. Nusquam tamen lego, Francos & Bojos, Tibiscum transiisse; neque omnem Jazygum regionem occupasse. Unde apparet in illis partibus *Hunnos* & *Avares* permansisse. Imò ultrò recognoscit Aventinus etiam id, quod jam ante ipsum veteres scripto consignarunt; *Hunnos* nempe, non

‡ Paulo ante monui *Venedos*, esse hic gentem Sclavonicam. Aventinus alibi Sclavos & Bohemos vocat. e. Ibid. * pag. 257. † Hic an. D. 814. Patri Carolo M. defuncto successit.

non obſtante tanta victoriâ adverſæ partis, *Pannoniam f.* etiam, tenuiſſe dehinc quoque ex conſensû Caroli M. inde à *Sabaria*, (*Szombat-hely*,) uſque ad *Carnuthum*, (ſive *Carnuntum*,) h. e. uſque ad Carinthiam †. Addit etiam, quod ſub Ludovico Pio, (Caroli filio,) an. D. 823. in *Conventu g. Francofurtenſi*, fœdus & pax cum *Avaris*, ceterisque Nationibus, iterum *renovata* eſt. Et paulò poſt, ſcribit *Ratofredum Epiſcopum Hunnorum*, *h. Viennæ inter eos habitaſſe.* Porrò quale teſtimonium ferat de Hunnis ad an. D. 864. Herm. *Contractus*, id in Eccleſiaſtica noſtræ Nationis Hiſtoria, Deo dante, audituri ſumus.

LIX. Hæc de *Hunnis Abaribus*, hucuſque dicta, ſufficiant: quorum adventus (ut antea conſignavi,) eſt mihi *Secundus* Hunnorum adventus in Pannoniam. In ſequentibus, de nova jam & ulteriori hujus Nationis in Europa, inclareſcentia, agetur.

CAP.

f. Avent. Annal. Boj. Lib. 4. pag. 265. † Vid. Annal. Fuldens. ad an. D. 863. Ubi *Carinthia* & *Carathani* idem. *g.* Annal. Lib. 4. pag. 291. & 292. *h.* Ibid. pag. 263.

adventus in Hungariam, *qui contigit an. D.* 1242. *enarratur.*

Deo ex altis opitulante, progredior nunc ad enarrandum *tertium* Hunnorum in Pannoniam *adventum*; qui deinceps ferè constanter *Hungari* ſunt vocati apud Latinos. Subjiciam deinde aliquid etiam de *Cumanis* noſtris. Oſtendam verò ſparſim tum hoc † capite, tum in ſubſequentibus ‡, *Hungaros*, (ſeu *Ungaros*,) qui tertiò appulerunt in Pannoniam, ejuſdem eſſe Originis, linguæ & Nationis, cujus fuerunt proximè Hunni *Abares*, & ante hos *Hunni* peculiariter ſic dicti. Imo magnis indiciis, velut totidem argumentis, docebo etiam, præſentem linguam *Hungaricam*, quoad fundamentalia, eſſe eandem, quæ fuit vetuſtiſſimorum quorundam & celebratiſſimi nominis Scytharum, ad fluv. *Araxen* & *Thermodonta*, Syris, Aſſyriis, Chaldæis, Cappadocibus, & Paphlagonibus olim vicinorum, atque inde ſuis in coloniis, etiam ad Græciam uſque extenſorum.

II. Hiſtorici & Chronologi noſtri communiter tradunt, ſecundum Hungarorum in Pannoniam adventum, (quem ego hîc *tertium* voco,) contigiſſe anno D. 744. aut circa id tempus. (Medium enim illum, quem ego *ſecun-*

† §. 4. 5. 10. 16. 17. 18. 19. 24. ‡ Infr. Cap. 8. §. 1. 2. 9. 10. & paſſim.

dum voco, explicare nobis ob authorum juxta se penuriam, [quod illis condonandum,] non potuerunt.) Hinc illud in Chronico Calendarii Hungarici, quotannis, in hunc usque diem, interseritur: *An. C.* 744. *A' Magyarok másodszor jünek ki Magyar Országban.* H. e. *Hungari secundò egrediuntur, in Hungariam.* Habent autem Calendaristæ hoc à Scriptoribus Rerum Hungaricarum. Sic Johannes *Turoczius*, (qui teste Trithemio, adhuc an. D. 1494. in vivis fuisse perhibetur,) de secundo Hungarorum in Pannoniam adventû hæc habet: *Anno ab incarnatione D. J. C.* 744. *a morte verò Attilæ Regis, anno trecentesimo primo.* -- *Hungari tempore Constantini* † *quinti Imper. & Zachariæ Papæ, denuò ingressi sunt Pannoniam.* Pariter sentit *Ranzanus*, *Bonfinius*, & qui hos sequuntur. Verùm hæc scribendo, turpiter hallucinati sunt, & aberrarunt à rei veritate; decepti sine dubio, à spurio aliquo Scriptore, qui ante illos tale quid ausus est fingere pro illo anno. Apud Scriptores enim, quibus magis fides danda esset, qui nempe, temporibus illis propiores fuere, ac res Hunnorum memorabiles, magnique momenti, scripto consignare non neglexerunt, uti sunt, *Engelhardus*, vel *Eginhardus*, (Carolo M. ut jam dixi, à Secretis,) *Nicephorus Patriarcha Constantinop. Theophanes, Ado* Viennensis,

a. Chronic. Hung. Part. 2. c. 1. pag. 30. † Al. Copronimi, dicti.

is, *Rhegino*, *Luitprandus* Ticinensis, (non spurius, sed verus,) *Aimoinus* Floriacensis, *Hermannus* Contractus, *Cedrenus*, *Sigebertus*, *Zonaras*, & his coævi; apud hos inquam, altum penitùs est silentium, de Hungarorum illo adventu in Pannoniam, qui an. D. 744. contigisset. (Nec celeberrimus Annalista *Baronius* id consignare neglexisset, si rem tantam illo anno contigisse novisset. Sed & ipse de hoc silet ad annum modo memoratum.) Atqui rem tam memorabilem impossibile erat, ita ignotam fuisse Europę, & rerum Europę Scriptoribus, Græcis vel Latinis, ut ne virgula quidem de ea apud ullum eorum, quibus hîc fides maximè danda esset, exstaret. Quin potius illi, (quod magnum etiam pro nobis argumentum est,) semper *Hunnorum* ante Arnulphi tempora, ita meminerunt, tanquam Hunnorum *Abarum*, suum *Chaganum* habentium. Vide plurima in hanc rem testimonia, paulò antè à nobis, Capite præcedenti citata. Sed illi ipsi, qui decepti annum D. 744. perperàm hîc usurpârunt, suum produnt errorem, ac ignorantiam Chronographiæ in hoc puncto; & ostendunt implicitè, hunc adventum Hungarorum in Pannoniam, ad eum reducendum esse calculum, quem infra positurus sum; hoc est, ad an. D. 888. & proximum. Nam scribunt id quod verum est, Hungaros in hoc suo adventu bellum habuisse cum Rege

quodam *Zwatapolug*, (aliis *Suatebogus*, vel etiam *Swentebaldus*,) eumque debellasse, atque sic terram majorum suorum, nempe Pannoniam, ab alienis liberasse. Atqui *Zwatapolug* ille, Rex nempe Moravorum, seu Sclavorum, vixit temporibus *Arnulphi* Imperatoris, circ. an. D. 888. ut constat ex omnibus Historicis melioris notæ.

III. Dum in his occuparer, succurrit mihi, annon ex aliquo *Sclavorum* mixti generis, post an. D. 744. aliquot annis in Europam adventû, *Hunnorum* illo tempore adventum, cuderint quidam & finxerint per errorem. Inter res enim circa an. D. 763. gestas, hæc lego go apud *Nicephorum* Constantinopolitanum: *b. Sclavini patriis finibus extorres, Euxinum trajiciunt, quorum numerus ad octo & ducenta millia pervenisse dicitur. Hi ad fluvium quem † Artanam nominant, consederunt.* Qui meliùs me noverunt, ubi sit fluvius *Artanas*, (imprimis si Hungaris notum, dari alibi *Artányos-vize*) suo tempore moneant hæc scribentem, aut saltem consignent id quod quæritur, in margine. Ego sane fluvium *Artanam* apud alium, cum hoc sono, hactenùs non inveni. Sed lego ἀρτα-

b. In Breviar. Hist. pag. 44. ed. Paris. An. 1648. Σκλαβηνῶν γένη τῆς ἑαυτῶν μεταναστάντα γῆς, φυγάδες διαπερῶσι τὸν Εὔξεινον, &c. † ὃς Ἀρτάνας καλεῖται.

ἀρτάνην, *c. Artanen*, Bithyniæ; item *Artemin d.* etiam fluvium, in regione Bactrianorum; & *Artanissam e.* Civitatem Iberiæ:) sed non est putandum, de illa trajectione hîc loqui Nicephorum, quæ fuisset ex Asia in Asiam ubi Bithynia; vel ex Europa in Asiaticam Scythiam; sed potius e Scythia in Europam: ita ut existimare liceat, hos Sclavos à Chazaris tunc infestatos, in Europam transmigrasse. Est adhuc alter fluvius, qui levi mutatione Ἀτάρνης (*Atarnes*) Thraciæ, dicitur apud Herodotum †: qui locus sane congruebat Sclavis & Bulgaris. Quicquid sit de hoc, saltem manet verum illud quod asserimus, Hungaros illo tempore, aut circa illud, non venisse cum exercitu in Pannoniam.

IV. Rem igitur hanc quoad rei veritatem, ita se habuisse, ex fide dignis Historicis cognoscimus. Dum uterque Imperator, tùm Occidentis, *Arnulphus*, an. D. 888. & 889. tùm Orientis, *Leo* Philosophus, an. D. 893. contra suos hostes, ille contra Moravorum Regem, hic contra Bulgaros, subsidio indigerent; miserunt uterque causâ subsidii, ad *Hungaros*, non ad eos, qui sub Hunnorum & Avarorum nomine Pannoniam incolebant, (illi enim tunc à Sclavis & Moravis afflicti, ipsi quoque auxilio indigebant,) sed ad illos, qui remo-

c. Vid. Ortel. Thes. Georg. ex Arrhiano.
d. vid. Ptol. Geogr. *e.* Ibid. † Herod. Lib. 4.

tiores erant in partibus Daciæ, & versùs ostia Danubii ad Pontum & supra Pontum. Hi occasionem hanc, præsertim priorem ab *Arnulpho* oblatam, optimam fore rati, quâ suis fratribus succurrere, & *Pannoniam* e manibus hostium suorum, cum tempore pro se vindicare possent, libenter tùm Arnulpho, tùm deinde Leoni, subsidium præstiterunt. Quâ quidem occasione, ut ultrò obvium est perspicere, illi qui in propinquiori siti, (in partibus Daciæ,) hac de re moniti fuerant, hanc sui vocationem aliis etiam suis popularibus, qui erant juxta Mæotidem, & in ulteriori latere Mæotidis, significarunt, eosque ad succurrendum suis fratribus, & reoccupandam hâc occasione *Pannoniam*, excitârunt. Interea verò labentibus annis, usque dum *Arnulphus* è vivis excederet, magis ac magis suum numerum adauxerunt. Unde verò hi fuerint, & ex qua parte Hunnorum originem duxerint, & an revera è stirpe *Hunniaca* exstiterint, qui in subsidium Arnulpho & Leoni Imperatoribus advenerunt; superiora, de dispersione Hunnorum post mortem Athilæ, filiorumque ejus, ac de latitudine imperii *Abarum* Hunnorum dicta, nos edocere possunt. *Abares* enim Hunni, non solùm propinquiores Hunnos, circa Pontum & Borysthenem, sed etiam remotiores, circa, & paulò ultra Mæotidem ac Tanaim habitantes, (exceptis illis,

llis, qui remotiùs in interiori Scythia, Turcarum demùm cessère Dominio,) sub sua inspectione ac directione habebant; ut in superioribus jam visum; adeò ut penitiùs Historias evolvendo, video *Hunnos* diversi nominis, inde à tempore adventûs *Abarorum* in Pannoniam, Tractum Scythiæ Europeæ per lineam ab Occidente in Orientem æstivum, usque ad oram Asiaticæ, paulò ultra Tanaim & Mæotidem, sub Principibus Abaricis, unà cum Dacia & Pannoniis utrisque, usque ad tempora Caroli M. inhabitasse & tenuisse; atque etiam inde à Carolo, ejus permissû, Pannoniæ majorem partem iterum tenuisse: ultrà Pannoniam verò, Daciam & reliqua loca, usque ad Tanais ulteriorem ripam, a nullo ipsis hoste, erepta fuisse lego, usque ad istud tempus, quo iterum de novo fama Hunnorum, nempe *Unogurorum* seu *Ungarorum*, innotescere cœpit in Orbe Christiano. Quibus consideratis, ultrò & facilè animadvertere possumus, hos *Hungaros*, qui à temporibus Arnulphi cœperunt de novo inclarescere, non alios esse vel fuisse, quam posteros eorundem *Hunnorum Onogurorum*, sive Uturgurorum, (ut vocat Procopius,) qui divisi post tempora Athilæ, mox iterum sub Ducibus Abaricis, coaluerunt in unum imperium, seu regimen.

V. Quòd tempore Caroli M. fratres suos

in Pannonia non adjuverint illi, qui remotiores erant ad Ortum solis; id imputare possum perversæ divisioni animorum inter ipsos, & distractioni jam illo tempore, in varios Principatus. Nunquam sanè multi Principatus unius alicujus Nationis ei salutares sunt, nisi omnes illi concentrentur in uno aliquo supremo Principe, ab eoque dependentiam habeant. Cum verò varii Duces & Principes Hunniaci, talem tunc ab uno Principe justam dependentiam non habuerint, (licet nominalem eum Supremum vocaverint, quem diximus ex Aventino, tempore Caroli M. in Jazygum regione fuisse sepultum,) non est mirum, quòd tunc tam facilè, alii ipsos superaverint. Accedit, quòd horrendum hoc Dei judicium erat super illos eo tempore. Illi ergo, sive posteri illorum, qui ante aliquot annos, justissimo Dei judicio humiliati, & ad silentium redacti erant sub Carolo Magno, an. D. 803. nunc iterùm post 85. & 86. annos, (an. D. 888. & 889.) vires suas recolligunt, & adsunt etiam è locis remotioribus, in subsidium Arnulpho, ipsos contra Szwatepolugum evocanti; ad sunt etiam Leoni Imp. contra Bulgaros: qui tandem post mortem Arnulphi, Pannoniam ut suam, penitùs pro se vindicârunt, unusque facti sunt populus cum ceteris fratribus, qui nunc *Hunni*, nunc *Avares* dicebantur; ut jam communi

uni consilio, unoque humero, Patriæ onesustinerent. Ostendit sanè author Annaım *Fuldensium* *c.*, (is qui circa an. D. 900. vit,) Hungaros, Hunnos & Auares, unius usdemque sanguinis populos fuisse; qui il·s, tùm *Auares*, tùm *Ungaros* vocat: quod ç Simocatta quoque, facilè colliges, qui .bares ex Gente *Ogor* † deducit: *Ogor* autem ınt * *Ugori* vel *Ugri*, h. e. *Ungari*. Baroius *d.* etiam eos, nunc *Hunnos* nunc *Ungaros* ocat.

VI. Testimonia jam Historicorum proucenda sunt; quæ antequam producam, ıoneo, de *Rheginone* Abbate Prumiensi, qui primus in ordine erit,) quòd dum cauım adventûs Ungarorum assignat, pulsioıem à *Patzinacis*, (h.e. Dacis, †) in eo, quoad nultitudinem illam, valde fallitur; (nisi forè pars aliqua eorum ultra Tanaim, ab aliqua Turcica sive Chazarica potentiâ, fuerit nfestata;) de tali enim pulsione eorum, alii Historici veteres, sive Græci sive Latini, pe-

 nitùs

c. Vid. infrà paragr. 10. † Vid. Supr. p. 163. & 164. * Infr. cap. 8. §. 10. *d.* Baron. Annal. Tom. 10. ad an. D. 902. n. 16. coll. an. 893. n. 9. & an. 916. n. 1. † Sic Ortelius ex Suida, notat Dacos tempore Suidæ (h. e. an. D. 980.) dictos fuisse *Patzinacitas*, in voce Dacia. Alibi scribit, Scythicam esse gentem, à Borysthene, ad Pannoniam usque.

nitùs tacent. Adde quod *Patzinacæ*, citeriùs ab aliis describuntur, quam ad Tanaim. Vixit autem *Rhegino*, tempore hujus tertii adventûs Hunnorum, usque ad an. D. 908. Cujus verba huc spectantia hæc sunt: *e. Anno Dominicæ incarnationis* 889. *gens Hungarorum ferocissima & omni belluâ crudelior, retrò antè seculis ideò inaudita* †, *quia nec nominata, à Scythicis regnis, & à Paludibus,* ‡ *quas Tanais in immensum porrigit, egressa est.* Et paulò post. *Ex suprà dictis igitur locis, gens memorata, à finitimis sibi populis, qui Pezinati vocantur, à propriis sedibus expulsa est, eò quod numero & virtute præstarent, & genitale rus exuberante multitudine, non sufficeret ad habitandum. Horum itaque violentiâ effugati, ad exquirendas quas possent incolere terras sedesque, statuêre. Valedicentes Patriæ iter arripiunt. Et primò quidem Pannoniorum & Avarorum solitudinem pererrantes, venatû ac piscatione victum quotidianum quæritant. Deinde Carantanorum* †, *Marahensium* ‡, *ac Bulgarum fines crebris incursionum infestationibus, irrumpunt; perpaucos gladio, multa millia sagittis interimunt; quas tantâ arte ex corneis arcubus dirigunt,* * *ut earum ictus*

e. Chronic. Lib. 2. pag. 64. 65. edit. Francof. 1583. † Cur sic loquatur paulò post in testimonio Luitprandi, rationem à me audies. ‡ Mæotidis paludes intelligit. † Ubi hodie *Carinthia.* ‡ Hoc est, *Moravorum* & Sclavorum. * Nota & hic genuinam propaginem antiquissimorum Scytharum in his Hungaris.

us vix pracaveri possit. - Hujus nefandissima gentis udelitate, non solùm memorata Regiones, verùm iam Italia Regnum, ex permaxima parte devastam est. Hæc Rhegino.

VII. At verò *Luitprandus*, Ticinensis priùm Diaconus, ac deinde Cremonensis Episcopus, (qui floruit An. D. 946. & sequ.) c fusius, & longè accuratius, illos illorumque adventum describit. Verba ejus sunt: *Arnulphus, earum, qua sub Arcturo sunt gentiùm Rex fortissimus, quùm Zwentebaldum Maravanoum † Ducem, sibi viriliter repugnantem, debellare nequiret; depulsis his ‡ (proh dolor!) munitissimis interpositionibus, quas vulgo clusas * nominari prædiximus, HUNGARORUM Gentem, cupidam, audacem, Omnipotentis Dei ignaram, scelerum omnium non insciam, cadis & omnium rapinarum solummodo avidam, in AUXILIUM convocat; si tamen auxilium dici potest, quod paulo post, eo moriente, tùm Genti sua, tum cateris; in meridie, occasuque degentibus Nationibus, grave periculum; imo excidium fuit. Quid igitur? Zwentebaldus vincitur, subjugatur, fit tributarius: sed Domino, † solus. O cacam Arnulfi Regis*

ʃ. Hist. de reb. Europ. Lib. 1. c. 5. † Hoc est, Moravorum. ‡ Id est, non curato, quod procul & magnis obstaculis sejuncti ab Arnulpho, distarent Hungari. * Vide de hac voce, sequentem paragraphum. † Hoc est, Hungari, non se ei subjecerunt, sed Regem Moravorum in ejus potestatem concesserunt.

Regis regnandi cupiditatem! O infelicem amarumque diem! Unius homuncionis dejectio, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribus orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus, Populisque Dei captivitates, Ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines, cæca ambitio paras? (Nota hic hominem *audacem* *, *Dominatus contemnentem*, & *dignitates*, in Imperatore, ejusque asseclis, *blasphemantem*, nullo autem modo animum in Dei consilia erigentem.) Pergit deinde. *Devicto Zwentebaldo Maravanorum Duce, Arnulfus pace habitâ, regno potitur. Hungari interim observato exitu*, † (rerum nempe,) *contemplatique Regionem cordibus, malum quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur.*

VIII. Alibi verò scribit in antecedentibus hunc in modum: *g Hungarorum gens, cujus omnes penè Nationes experta sunt sævitiam, (quæ miserante Deo, Sanctissimi atque invictissimi Othonis potentiâ, mutire non audet, exterrita,) nobis omnibus tunc temporis* ‡, *habebatur ignota: Quibusdam nam-*

* 2 Pet. 2. vers. 10. † Hoc vult dicere: Hungaros post debellatum Regem Moravorum, in Pannonia, & vicinis ad ortum regionibus, subsistentes, observasse, quis exitus erit rerum Arnulphi, & qualis ei Imperator, successurus. Intereà verò Regionem etiam benè contemplati sunt. g. Hist. Lib. 1. c. 2. ‡ Scilicet tempore Leonis, filii Basilii, Græcorum Imperatoris, (de quo paulò antè loquebatur,) qui cœpit regnare an. D. 889. Unde colligo *Luitprandum* fuisse jam senem

mque difficilimis separata à nobis erat interpositio-bus, quas Clusas nominat vulgus, ut neque ad me-diem, neque ad occidentalem plagam exeundi ha-berit facultatem. Clusa, (cujus vocis hîc & præce-denti paragrapho, meminit Luitprandus,) est odie Italis, locus quidam in ore Alpium Tri-ento vicinarum. Significat etiam iis *Verru-um.* Sed ex vi vocis (à *claudo*,) idem est Luitprando, quod claustrum & obstaculum. ntelligit ergo hic per *Clusas*, varia montium, ylvarum, & aquarum obstacula, ab Italia sque ad Scythicam Hungarorum sedem, nde temporibus Arnulphi sunt egressi. Ideò icit alio loco, hæc obstacula, *munitissimas nterpositiones.* Nam etiam qui Tanaim hac po-tremâ vice transire non debebant, (sicut altem de magna parte eorum ita sentio,) abebant tamen ante se fluvios celebres, Bo-ysthenem, Hypanim, Tyram, Hierasum, & alia tum aquarum, tum montium & syl-varum, in tanto itinere impedimenta. Quòd post Rheginonem, Gentem Hungaricam, gnotam ante annum D. 889. fuisse dicit; in-telligendum hoc ratione novarum copiarum Nationis illius, quæ deinceps peculiari no-mine vocata est *Hungarica.* Quæ, non mirum, quod

& grandævum cum hæc circ. an. D. 946. aut ali-quanto post, scriberet. Supponit enim se jam circ. an. D. 889. fuisse talem adolescentem, aut puerum, qui adventûs Hungarorum recordari potuerit.

Regis regnandi cupiditatem! O infelicem amarumque diem! Unius homuncionis dejectio, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribus orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus, Populisque Dei captivitates, Ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines, cæca ambitio paras? (Nota hic hominem *audacem* *, *Dominatus contemnentem*, & *dignitates*, in Imperatore, ejusque affeclis, *blasphemantem*, nullo autem modo animum in Dei consilia erigentem.) Pergit deinde. *Devicto Zwentebaldo Maravanorum Duce, Arnulfus pace habitâ, regno potitur. Hungari interim observato exitu*, † (rerum nempe,) *contemplatique Regionem cordibus, malum quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur.*

VIII. Alibi verò scribit in antecedentibus hunc in modum: *g Hungarorum gens, cujus omnes penè Nationes experta sunt sævitiam, (quæ miserante Deo, Sanctissimi atque invictissimi Othonis potentiâ, mutire non audet, exterrita,) nobis omnibus tunc temporis* ‡, *habebatur ignota: Quibusdam nam-*

* 2 Pet. 2. verſ. 10. † Hoc vult dicere: Hungaros post debellatum Regem Moravorum, in Pannonia, & vicinis ad ortum regionibus, subsistentes, observasse, quis exitus erit rerum Arnulphi, & qualis ei Imperator, successurus. Interea verò Regionem etiam benè contemplati sunt. g. Hist. Lib. 1. c. 2. ‡ Scilicet tempore Leonis, filii Basilii, Græcorum Imperatoris, (de quo paulò antè loquebatur,) qui cœpit regnare an. D. 889. Unde colligo *Luitprandum* fuisse jam senem

namque difficilimis separata à nobis erat interpositionibus, quas Clusas nominat vulgus, ut neque ad meridiem, neque ad occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem. Clusa, (cujus vocis hîc & præcedenti paragrapho, meminit Luitprandus,) est hodie Italis, locus quidam in ore Alpium Tridento vicinarum. Significat etiam iis *Verrucam*. Sed ex vi vocis (à *claudo*,) idem est Luitprando, quod claustrum & obstaculum. Intelligit ergo hic per *Clusas*, varia montium, sylvarum, & aquarum obstacula, ab Italia usque ad Scythicam Hungarorum sedem, unde temporibus Arnulphi sunt egressi. Ideò dicit alio loco, hæc obstacula, *munitissimas interpositiones*. Nam etiam qui Tanaim hac postremâ vice transire non debebant, (sicut saltem de magna parte eorum ita sentio,) habebant tamen ante se fluvios celebres, Borysthenem, Hypanim, Tyram, Hierasum, & alia tum aquarum, tum montium & sylvarum, in tanto itinere impedimenta. Quòd post Rheginonem, Gentem Hungaricam, ignotam ante annum D. 889. fuisse dicit; intelligendum hoc ratione novarum copiarum Nationis illius, quæ deinceps peculiari nomine vocata est *Hungarica*. Quæ, non mirum, quod

& grandævum cum hæc circ. an. D. 946. aut aliquanto post, scriberet. Supponit enim se jam circ. an. D. 889. fuisse talem adolescentem, aut puerum, qui adventûs Hungarorum recordari potuerit.

quòd præsentis illius seculi hominibus, imprimis Latinis, non fuit nota. *Hunni* tamen & *Avares*, ejusdem originis populi, benè noti erant. Quin & *Hunugari* vel *Onoguri*, satis antea noti erant Græcis & Jornandi Gotho. Quàm latè autem patuerit in Oriente supra Thraciam, inde à temporibus Arnulphi, (vivente adhuc Luitprando,) Hungarorum dominium, apparet ex illis Luitprandi verbis, quibus dicit *Constantinopolitanam Urbem, ab Aquilone habere Hungaros*: (Ubi nominat etiam Pizenacos, [hoc est, Dacos,] Chazaros, & Russios; primo autem loco collocat Hungaros, tanquam maximè tunc terribiles ab Aquilone Urbi memoratæ.) Qui situs Hungarorum respectû Constantinopoleos, ostendit Geographiæ peritis, Hungaros tunc, etiam circa Pontum Euxinum supra Danubii ostia, Regiones sub sua potestate habuisse. Sic enim erat, tùm *Athila* & filiorum ejus, tùm verò florentium Principum *Hunno-Abarorum* temporibus.

IX. Idem Luitprandus, gesta & progressum Hungarorum proximè post mortem Arnulphi, sic describit: *h. Postquam vitalis calor Arnulfi Regis membra deserens, corpus reddidit exanime, ejus filius Ludovicus, Rex cunctis à populis ordinatur.* (Scilicet an. D. 900.) *Tanti denique casus viri, vicinos † Hungaros, (sicut nec in toto Orbe*

h. Histor. Lib. 2. c. 1. † Erant jam vicini, ex

Orbe degentes,) *latere non potuit. Quid igitur? Primo mortis hujus, natique ejus ordinationis anno*, ‡ *permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo, Rex Arnulfus subdiderat, sibi vendicant; Bojoariorum* † *etiam fines occupant; castra diruunt; Ecclesias consumunt, populos jugulant; & ut magis magisque timeantur, interfectorum se se sanguine potant. Innumerabilis denique illa gentis pessima collectio, copiis Ludovici obviam properare festinat. Nec videas sitientem animam, ardentius haustum laticis gelidi, quàm prælii diem, gentem hanc crudelem appetere. Neque enim aliud quàm dimicasse juvat.* Et paulò pòst. *Prius itaque ac Titani croceum linqueret aurora cubile, Hungarorum gens necis sitiens, belli avida, hos, videlicet Christianos, adhuc opprimit oscitantes. Nonnullos namque spicula prius quàm clamores,* * *evigilarunt. Citiùs enim ab eis spiritus recessit, quàm somnus. Gravis itaque hinc inde oritur pugna. Versi terga, seu in fugam, Hungari, directis acriter telis, plurimos sternunt.* Et aliquanto post. *Serenus adhuc Ludovici partibus Mars favebat, quum Turci* †, (hoc est Hungari,) *sicut*

quo, tempore Arnulphi e Scythia prodierant, suisque in Pannonia & Dacia fratribus se conjunxerant. ‡ H. e. A. D. 900. † H. e. Bavarorum. *i.* Lib. 2. c. 2. ‡ H. e. *Excitarunt*, vult dicere. Quasi evigilare fecerunt. † Hanc denominationem Hungarorum, accepit à Græcis dum esset Constantinopoli, an. D. 946. Ita enim etiam apud *Zonaram* & Cedren. nominantur *Hungari.* Imo jam

ficut non incallidi, pofitis ex adverfo infidiis, fugam fimulant. Quos dum Regis populus doli ignarus, impetû validiffimo infequeretur, omni ex parte prodeunt infidiæ, quafi victi ipfi, victores interimunt. Rex ipfe è victore, fe victum effe miratur; fitque illi non opinatus gravior cafus. Videres equidem faltus, agros, paffim cadaveribus ftratos; rivos & flumina fanguine permixta, rubere. &c. Hungari præterea, compotes voti fui effecti, Chriftianorum hâc tam immensâ nece, propriæ non fatisfecere nequitiæ; fed ut rabiem perfidiæ fatiarent, Bojoariorum, Suevorum, Francorum omnia deflagrando regna, percurrunt. Nec quifquam erat, qui horum præfentiam, nifi labore non parvo, naturave munitiffimis præftolaretur in locis; factufque eft per nonnullos annos populus hic tributarius. Idem. *k. Paucis vero interpofitis annis, quum nullus effet, qui in Orientali & Auftrali plaga, Hungaris refifteret; (nam Bulgarorum gentem atque Græcorum, tributariam fecerant;) ne quid inexpertum his effet, quæ fub meridiano atque fub orientali † degerent climate, nationes vifere fatagunt. Immenfo itaque, innumerabilique collecto exercitû, miferam petunt Italiam.* Reliqua, longum effet ex ipfo defcribere. Eventus fuit *, Hungarorum magna victoria.

X. Annales *Fuldenfes*, qui ab an. D. 714. ad

dudum Græci Scriptores, *Hunnos* ex confufione nationum, fic vocarunt, ut fupra monuimus. † De partibus tantum Italiæ hîc ita loquitur. * Vid. Luitpr. Lib. 2. c. 6.

ad an. 900. ab ejuſdem ævi diverſis authoribus, continuantur, hæc pro noſtro ſcopo ad an. D. 892. de Hungaris habent: *l. Rex* (Arnulphus) *de Francia, cum victoria in Alemannia, Curte Regia Ulmâ, honorifice Natalem Domini celebravit. Inde Orientem proficiſcitur, ſperans ibi Zwentibaldum Ducem obvium habere. - Rex, aſſumptis ſecum, Francis, Bojoariis, Alamannis, Menſe Julio, Maravam venit. Ibi per quatuor hebdomadas, cum tantâ multitudine, UNGARIS etiam ibidem ad ſe cum expeditione venientibus, omnem illam regionem, incendio devaſtandam, verſabatur.* Et paulò poſt ad *an.* 895. hæc in iiſdem Annalibus habentur: *Pacem Græci eodem anno, cum Auaris (QUI DICUNTUR UNGARI,) facientes, quod eorum concives Pulgari, in pravum vertentes, hoſtili expeditione contra eos inſurgunt, & omnem Regionem illorum, usque portam Conſtantinopolitanam, devaſtando inſequuntur. Quod ad ulciſcendum, Græci aſtutiâ ſuâ naves illorum contra Avaros mittunt, ac eos in Regnum Bulgarorum, ultrà Danubium tranſponunt. Illi tranſpoſiti,* † *manû cum validâ, Gentem Bulgarorum ingreſſi, maximam partem cadendo neci tradiderunt.* Item ad *an.* 900. ibidem hæc legimus: *Auari qui dicuntur Ungari, totâ devaſtatâ Italia, ita, ut occiſis Epiſcopis plurimis, Italici, contrà, eos depellere*

R

l. Ann. Fuld. Tom. 2. Scrip. Hiſt. Franc. ad an. 892. edit. Pariſ. † Corruptè in textu legitur *tranſpoſitum.*

pellere molientes, in uno prælio uno die ceciderint XX *millia.* Et aliquantò poſt. *Ungari cum his quæ depradaverunt, redierunt, unde venerunt, ad ſua in Pannoniam.*

XI. Ex Græcis autem Scriptoribus, *Cedrenus*, (qui circa an. D. 1057. videtur vixiſſe,) ſic de Ungaris, (Turcas eos Græcorum more ſubinde nominando,) ad annum tertium Leonis filii Baſilii, h. e. an. 892. ſcribit: *m. Hac clade & contumelia,* (à Bulgaris nempe acceptâ,) *Leo in ſummum animi conjectus dolorem, Nicetam Patricium,* (τὸν τὴν ἐπωνυμίαν, Σκληρόν, διὰ τοῦ Ἴστρου πρὸς τοὺς Τούρκους τε Οὔγγρους καλουμένους ἀπέστειλεν, ἐφ᾽ ᾧ περαιώσασθαι τὸν ποταμὸν, καὶ τὴν Βουλγαρίαν τὸν ἐναντίον τρόπον, λυμήνασθαι. &c.) *cognomento Sclerum,* (h. e. Durum,) *per Iſtrum ‡ ad Turcos ſive* UNGROS *mittit; ab iiſque petit ut flumine trajecto, Bulgariam pro virili infeſtent. Nicetas Turcis immixtus* †, (h. e. iis præſens,) *iis, ut arma in Bulgaros moverent, perſuadet; obſidibusque acceptis, ad Imperatorem redit. Imperator quoque, bellum terra marique contrà Bulgaros ſuſcipit, Claſſi* (navali) *præfecto Euſtathio Patricio, Terreſtribus copiis*

m. Cedren. in Compend. Hiſt. Tom. 2. pag. 596. edit. Pariſ. ‡ Hæc verba ſatis oſtendunt, hos Hungaros, verſus oſtia Danubii ſupra Danubium reſediſſe, ad Orientem Tranſylvaniæ.
† Τοῖς Τούρκοις συμμίξας.

copiis Nicephoro Phoca, Patricio, commissis. - Dum ad Phocæ exercitum profligandum se parat Simeon, Dux nempe Bulgarorum, *interim Turci,* (Hungaros intellige,,) *fluvio transmisso, universam Bulgariam populantur. Quod ubi annunciatum est Simeoni, omisso Phoca in Turcos contendit; qui & ipsi cum Bulgaris prælium committere cupidi, Istrum transeunt, eosque pugnâ congressos, devincunt.*

XII. Summatim de hisce sic scripsit Sigebertus, ad an. D. 903. *n. Ungarorum gens barbara, quibusdam clusis remota, nec ad Meridianam, nec ad Occidentalem plagam, exeundi antea habuerat facultatem, per Arnulphum, ruptis clusis emissa, quæ Arnulpho vivente, aliquantulum temperaverat rabiei suæ, modo eô mortuo, per totam Galliam, Germaniam, Italiamque, ut fera tempestas diffunditur.* Idem ad an. D. 906. *Ungari victos Græcos, sub tributo redigunt.* Et ad an. D. 909. *Ungaris, Italiam depopulantibus, Rex Berengarius, bello congressus, miserabiliter vincitur.* Et ad an. D. 915. *Ungari Berengario confœderati, Alemanniam vastant, & à Bojoariis & Alemannis graviter cæduntur.* Item ad an. 917. *Ungari Alemanniam totam devastantes, usque Fuldam perveniunt.* Reliqua secutis temporibus gesta, & successus Hungarorum, facilè ex variis Historicis Latinis, peti possunt. Ea enim cum passim obvia sint, longè sunt notiora, quàm quæ in superioribus retuli: nec ea hîc jam ad scopum

n. In Chron. ad an. D. 903.

pum noſtrum de Origine Hungarorum, aliquid faciunt.

XIII. Ut verò origo & adventus poſtremorum Ungarorum in Pannoniam, adhuc clarior nobis fiat, placet hîc apponere, præclari etiam Hiſtorici Johannis *Aventini*, (qui obiit an. D. 1534.) ea de re, relationem. *n. Anno*, (inquit,) *qui fuit æra Chriſtianæ octingenteſimus ſuper undenonageſimum; vicini noſtri Ugri, qui ſua lingua ſunt Magari* †, *Rege Cuſſale ex Scythia, Sarmatiaque Aſiatica, ex maximo Roxolanorum ducatu* ‡, *tranſito Tanai* * *in Europam, Sarmatiamque Germaniæ* ‡ *veniunt. Quidam ſoli melioris gratia, patrios reliquiſſe lares; alii ad exonerandam prægravantem domi Regum multitudinem; alii pulſos à finitimis ferunt; pars, ab Arnulpho adverſùs Sclavos & Suatebogum, cujus tum imperium in Germania interiore latiſſimum erat, evocatos, immiſſosque Germaniæ, tradunt. Uteunque ſit, hæ ſenten-*

n. Aventin. Annal. Bojor. Lib. 4. pag. 359. & 360. ed. Baſil. 1580. ‡ Non Mægari, ſed *Magyar* jam hodie, vel *Magyarok* in plurali. † Qui nempe locus ſubſequentibus temporibus, ceſſit Ducatui hodiernorum *Roxolanorum*, h. e. Rutenorum & Moſchorum. * Hoc ego, antecedentibus innixus, de parte Hungarorum intelligo, non de omnibus. ‡ Ita ille, Germaniam latiſſimè extendit, ut etiam Daciam totam & Sarmatiam ultra Viſtulam, ſub ea comprehendat. Lib. 1. pag. 8. † Quâ occaſione egreſſi ſint, nempe vocati ab Arnulfo, de hoc nos non ſinit dubitare Luitprandus, vicinus,

tentiæ tamen minimè repugnant, neque sibi adversæ sunt, simul omnia confieri potuere. Hoc satis constat, ejus gentis progenitores, (sicuti periti ejus regionis scriptis produnt,) adhuc habitare ultra Tanaim, Rhaque flumen, extrà Sarmatiam Asiaticam, in Scythia, in extremo Aquilone, esseque accolas Oceani Scythici, maximè Septentrionalis: quibus sedes, nemora; alimenta, pisces, feræque; vestimenta, lupi, vulpes, martes, ursi sunt; sub imperio magni Principis Moschorum atque Roxolanorum, quos nos Massogetas, † atque Albos Russos appellamus. Hisque quotannis pro tributo pretiosas pelles murium, quos venantur, & nos Zobelos vocamus, pensitare. - Sed ad Ugros redeo: qui tres annos per Orientalis Germaniæ magnæ, Sarmatiæ utriusque fines, ferocissimas Nationes, vastas solitudines, sylvasque palantes, pererrarunt, prædando, latrocinando, venando, victum quæritarunt. Quarto demum anno, ab Arnulpho statas sedes impetrant. (Non supplicando sanè, sed occupando; ut ex superioribus clarum.) *Tum Daciam ultra Tibiscam amnem, quæ cum Histro ad Eurum vergit, invadunt.* Hæc ille. Quod verò ibidem statim subjicit,

imò coævus etiam, illis temporibus; & post eum Sigebertus. Addendum hîc præcipue, consilium divinum, de futura Gentis conversione, ut eventus ostendit. † Sed pace *Aventini* sit dictum, Veteribus Historicis, vetus illud nomen *Massagetarum*, longè aliud significat quam *Russos*, vel eos præcipuè; nempe Orientales Scythiæ populos.

Avaros, Hunnos, excindunt; delent; Avarorum tum, atque Hunnorum gens, nomen in Europa quidem interiit; in eo jam secunda vice turpiter fallitur; dixerat enim antè, o.(quamvis contra suas positiones,) *Hunnos* à Carolo M. fuisse deletos: hîc verò jam dicit ab Hungaris; quo in errore (posteriori,) nonnisi recentiorum de hac re hariolationibus, ne dicam nugamentis, nititur; sicut & alibi, insignis licet Historicus, errat recentiorum quorundam errorem, dicendo *Ugros p.* seu Ungaros, *non esse Hunnos*. Hujus autem erroris fundamentum est, quod imaginantur sibi quidam, ex vanitate solummodo sui cerebri, veterem *Hunniacam* Nationem, fuisse nescio quam Germanicam, *q. linguâque Germanorum* fuisse *usam*. De linguâ Hunnorum & Hungarorum, aliàs dicemus. Illud verò quàm falsum sit, *Ugros* sive *Ungaros*, non esse *Hunnos*, ex vetustis Historicis Græcis (jam supra † citatis) liquere potest; qui apertè tradunt, *Ugoros*, & *Onogoros*, hoc est *Ungaros*, Hunniacæ esse prosapiæ. Non ergò penitùs deleverunt priores Hunnos, dum in Daciam & Pannoniam pervenerunt, sed ut potentiores, regimen illis eripuerunt, sibique eos subjecerunt. Pro-

o. Sup. Cap. 5. Parag. 56. p. Annal. Lib. 1. pag. 9. q. Vid. Jacob. Spiegel. Schol. in Rich. Barthol. Austriad. Lib. 1. pag. 478. edit. Franc. 1584.
† Cap. 5. §. 10. 11. 20. coll. §. 8. ibid.

Procedente verò tempore, ubi se invicem magis ac magis agnoverunt esse fratres, proculdubio, omnis prior abhorescentia mutua inter illos, sublata est; effectumque, ut paribus humeris & consiliis tandem Patriæ onera sustinerent; quod jam supra monuimus. Veteres sanè Historici, qui propè illa tempora vixerunt, ne lineolam quidem de eo prodiderunt, quod hîc asserit *Aventinus*.

XIV. Quod porrò dicit, nostros Hungaros, postremò suo adventû, transito Tanai venisse in Europam; hoc quomodo intelligendum sit, superiora nos edocere possunt. Nempe quoad partem illam Hunniacæ gentis, quæ sub nomine *Utigurorum*, vel *Unogurorum*, ulteriorem Mæotidis & Tanais ripam, inhabitabant; indeque, moniti ab aliis fratribus suis, magno numero eruperunt. Reliqui autem partim venerunt, ex partibus cis-Tanaitanis & cis-Mæotanis; partim verò, ex vicinia Transylvaniæ supra Istrum, atque etiam ex ipsa Regione, quæ jam nunc dicitur Hungaria, vires suas recollegerunt. Illi tamen dehinc Principatum in hac Natione tenuerunt, qui à remotioribus locis advenerunt.

XV. Audiamus etiam, quid vir multæ lectionis & magnæ eruditionis Æneas *Sylvius*, (deinde Papa, *Pius Secundus dictus*,) circa an. D. 1454. de Hunnorum & Hungarorum antiquis sedibus, & subsecutis migrationibus,

prodiderit. r. *Ex Asiatica* (inquit) *Scythia, migraverunt in Europam Huni feroces populi. - Qui transmissâ Mæotide, omnem Barbariem inter Tanaim & Danubium, occupavere. Ex his magnus ille Attilas ortus est: qui subactâ Pannonia, Italiam ingressus, Aquilejam subvertit.* &c. *Ferunt & Hungaros, qui Danubii ripas incolunt, Scytharum genus esse, non quasi ab Hunnis ortos; quod propter verbi cognationem aliqui crediderunt; sed ab aliis Hungaris, quorum* ‡ *Jordanus meminit, qui, notos* † *eos dicit suo tempore fuisse, propter commercium pellium Mardurinarum.* Ibidem paulò pòst. ſ. *Noster* (inquit) *Veronensis, quem diximus ad ortum Tanais pervenisse, retulit, Populos in Asiatica Scythia, non longè à Tanai sedes habere, rudes homines, & idolorum cultores, quorum eadem lingua sit cum Hungaris Pannoniam incolentibus: voluisseque cum plerisque Sacrarum Literarum Professoribus, viris religiosis & ex Ord. B. Francisci, qui linguam illam noscunt,*

r. Hist. De Secund. Part. Asiæ, cap. 29. pag. 307. edit. Basil. ‡ Fuisse hos etiam veros *Hunnos*, facilè colliges ex eo, quod dicit de illis Jornandes: *quos tantorum virorum formidavit audacia.* Atqui hi non alii, sed Hunni tunc fuerunt. † Observa hic Diabolicam in aliquo correctore & depravatore Sylvii, nequitiam, qui plane contra mentem tum Sylvii, tum Jornandis, & contextûs ipsius, curavit hîc excudi *Nothos*, quasi Spurios. Excute antecedentia & consequentia, & consule Jornandem, videbis ibi, *notos* esse debere, à verbo *nosco*. ſ. pag. 308.

noſcunt, eò proficiſci, ſed prohibitum à Domino, quem de Moſca vocavit; qui cum eſſet Græcâ perfidiâ maculatus, ægrè ferebat, Aſiaticos Hungaros Latinæ conjungi Eccleſiæ, & noſtris imbui ritibus. Idem verò alibi. *s. Poſt Romanos, aliquando Huni, Scythica gens, aliquando Gothi, ex inſulis Balthei maris, populi, deinde Longobardi ex Germania profecti, Pannoniam occupavere. Poſtremò Hungarorum Natio, ex ultimis Scytharum finibus inundavit, quæ uſque in hunc diem regno potitur. Exſtat adhuc non longè ab ortû Tanais, altera Hungaria, noſtræ hujus, de qua ſermo eſt, Mater, linguâ & moribus penè ſimilis: quamvis noſtra civilior eſt, Chriſti cultrix; illa ritû Barbarico vivens, ſervit idolis.*

XVI. Quod dicit in his *Sylvius*, Hungaros, *non quaſi ab Hunnis ortos* Scythas eſſe, in eo, deceptus ab aliis, quàm aberret à vero, ſuperiora oſtendunt. Imò is ipſe *Sylvius* aliud agendo, ſatis nobis prodit *Hungaricam* nationem, eſſe *Hunniacam*. Supponit enim tanquam certum, (quod & verum eſt,) *Hunnorum* veterùm & hodiernorum *Hungarorum* linguam, fuiſſe ſibi mutuò cognatam; hoc eſt, quoad fundamentalia eandem; Sicut inter ſe ſunt cognatæ, Chaldaica & Syriaca, ac per conſequens Aſſyriaca; item, Germanica, Belgica Suecica & Danica; Perſica, Turcica & Tartarica; Sclavonica, Bohemica, Polonica,

 Thra-

s. Hiſt. de Europ. Cap. 1. pag. 388.

Thracica & Rutenica, sunt inter se cognatæ. Hoc enim manifestè verbis illis innuit: *Quod propter VERBI* (seu sermonis) *COGNATIONEM, aliqui crediderunt*, scilicet, Hungaros ab Hunnis ortos. At hîc cognationem non aliquam collateralem, simul & eodem tempore viventium, sed ut sic loquar descensionalem Sylvius intelligit; quâ posteri; cum suis antiquis majoribus dicuntur cognatam habere linguam; (quod verba ipsa satis ostendunt;) sicut, v. gr. Græci hodierni, & si multâ à veteri loquela, mutatione loquantur, cognatam tamen habent linguam veteri Græcæ, tanquam posteri veterum Græcorum: & Itali veri, cum Latina lingua, habent in loquendo cognationem, tanquam posteri antiquorum Latinorum. Similiter hodierni Hungari, habent cognationem linguæ cum veteribus Hunnis, tanquam veri posteri eorum, in illa linea vetustissimæ Hunniacæ familiæ, quæ *Ogor* vel *Ugor* olim vocabatur. Unde *Ugori* & *Hunoguri* sunt dicti; ut jam repetitò monitum. Per alteram Hungariam, in Scythia, intelligit hîc Sylvius eam, quæ hodie *Juhra*, vel *Juharia* vocatur, ultra fluvium Volgam, in Asia. Sed ea longissimè adhuc distat ab ortu, seu fontibus Tanais, versùs Septentrionem & Orientem. De ea verò, (quantùm ad exitum Hungarorum,) quæ sit nostra sententia, partim ex superiori-

rioribus, *t.* partim ex infra *u.* dicendis, peti poteſt.

XVII. Quid etiam hac de re, Rerum Moſcoviticarum Scriptores prodiderint, ut lectoribus non ingratum, lubet in medium producere. Celeberrimi nominis Baro, Sigismundus *Herberſteinius*, (an. D. 1517. & ſequent.) Auguſtiſſ. Imper. Maximiliano I. Carolo, & Ferdinando, charus, & aliquamdiù Orator, Maximil. & Ferdinandi, apud Ducem Moſcovitarum, ſic de hac re ſcribit: *x. Rutheni* Jugariam, *per aſpirationem Juhra proferunt, & populos, Juhrici vocant. Hæc eſt Juharia, ex qua olim Hungari grogreſſi, Pannoniam occupârunt, Attilaque Duce, † multas Europæ provincias debellarunt. Quo nomine Moſcovitæ multùm gloriantur, quod eorum ſubditi * magnam Europæ partem olim ſunt depopulati. Referebat Georgius, Parvus dictus, natione Græcus, in priori mea legatione, Juharos, ſubditos magni Ducis Moſcoviæ exſtitiſſe, & ad paludes Meotidis conſediſſe; deinde, Pannoniam, ad Danubium, & inde nomen Hungariæ accepiſſe: demùm Morawiam, ex fluvio ſic nomi-*

t. Cap. 5. Paragr. 8. *u.* Paragr. 19. huj. cap. *x.* Rer. Moſc. Comment. pag. 63. ed. Francof. A. 1600. † Hæc cum ſupra à me dictis, optimè conveniunt. * Sed in hoc multùm falluntur Moſcovitæ; cum Hungari olim Pannoniam occupantes, nunquam fuerint ſubditi Moſcovitarum, utpote illorum Regno, multo antiquiores. Nec *Juram* nimis diù poſſident, niſi à temporibus *Juan* ducis ſui.

nominatam, & *Poloniam à Polle, quod est planities, occupasse; de fratris Attilæ nomine, Budam* † *nominasse. Relata* (inquit) *saltem volui referre. Ajunt Juharos in hunc diem, eodem cum Hungaris idiomate uti. Quod an verum sit, nescio. Nam etsi diligenter inquisiverim, neminem tamen ejus regionis hominem habere potui, quocum famulus meus lingua Hungarica peritus, colloqui potuisset. Hi quoque pelles pro tributo Principi* (Moscoviæ) *pendunt.*

XVIII. Alexander autem *Gwagninus*, Peditum (ut se intitulat) in Arce *Vitebska* finitima Moscoviæ, Præfectus, ita de hac materia scribit: *y. Jugra, sive Juhra Regio, cujus incolæ Juhri, vel Jugrici appellantur, ad Oceanum septentrionalem sita est. Ex ea Hungaros sterilitate regionis causatâ olim prodiisse, & Pannoniam occupasse, ferunt; ajuntque eos patriis locis egressos, primo ad paludes Mæotidis consedisse. Deinde ad Danubium fluvium, Pannoniam versùs concessisse, à suîque denomina-*

†. Nomen hoc, non multum abest, à nomine *Bleda*, qui fuit frater major natù *Atilæ*. De nomine *Budæ*. Petr. *Ranzan*, legatus aliquando apud Matth. Regem, in Epitom. Rer. Hung. p. 206. sic scribit: *Buda vetus & nova, penes Danubium positæ. Dicta fuit illa, (ut nonnullis placet,) à Bleda, Atilæ Regis fratre, vel (ut malunt alii,) à Budinis, vetustissimis Scytharum populis, qui cum Atila & Bleda Pannonias domuere.* Placere sibi ait, *Bledam, ex vocabulo legionis Budinorum, qui sub ipso militaverunt, vocasse Budam.* Unde iterum nova, nomen sumsit. *y.* In Description. Moscov. pag. 167. ed. Franc. 1600.

minatione, Pannoniam, Juhariam, † *deinde Ungariam nominasse, & Duce Atilâ multas Provincias Asiæ & Europæ debellaße. Hinc ergo Moscovitæ plurimùm gloriantur, dicentes subditos suos, quondam Germaniæ, Italiæ, Græciæque fines vastasse, totôque Mundô terribiles esse. Indigenæ hujus regionis, Vectigal, magno Moschorum Principi solvunt, eodemque idiomate cum Ungaris loquuntur.* Idem alio in loco sic scribit: z. *Memineris* (inquit) *quòd supra dixi, hanc esse illam Juhram, regionem Scythiæ, de qua egressi sunt Juhri, à posterioribus Huni & Hungari dicti; qui ad Gothiam* † *ascendentes, vehementer multiplicati, transierunt maxima flumina, circa Paludes Mæotidas, intraveruntque in Pannoniam, & secundò regressû eam occupaverunt, & in hanc diem tenuerunt; suntque ejusdem sermonis & loquelæ præcisæ, nisi quod addiderunt, nostri Hungari aliqua vocabula ex Sclavonico idiomate, earum rerum, quæ in Scythia & Juhra non reperiuntur. Verùm in Pannonia Juhri sunt Christicolæ, in Juhra verò Patres eorum idololatræ.*

XIX. Paulus *Oderbornius* verò, hæc de eadem re tradit: *a. Ex Jugaria ad septentrionalem Oceanum sita, Ungaros prodiiße autumant. Ii enim cum longo tempore ad paludes Mæotidis consedissent, loci*

†. Hoc quam putidum sit, quantùm ad puros Hungaros, infrà apparebit. Vide §. 19. h. c.
z. Pag. 209. †. Partem Scythiæ Europææ cis Tanaim & Mæotidem intelligit. *a.* In vita Joan. Basilid. Magni Moscov. Ducis. Lib. 1. pag. 244.

loci sterilitate, ut credibile est offensi, ad Danubii ripas commigrârunt; occupatâque Pannoniâ, eam sua de nomine Jugariam primùm, & postea literis paululum immutatis, Ungariam appellaverunt. Et Jugrii quidem in hodiernum diem, idem cum Ungaris idioma usurpant. Quid de omnibus hisce sentiendum sit, superiora nos edocent. Quod dicunt *Herbersteinius* & *Gwagninus*, Hungaros ex septentrionali Asiaticæ Scythiæ, regione, (quæ nunc *Jubra*,) adhuc olim prodiisse, quo tempore, successivè, Duce *Athila*, Pannoniam occupaverant, in eo sanè nostram confirmant sententiam: qui veterum authoritate fulti, tenemus Hunnos sive Hungaros, magna ex parte, † ex septentrionali Asiaticæ Scythiæ parte, fuisse tunc motos, quando primùm, temporibus Valentis, An. 376. Europam petierunt. Atque ex tanta multitudine, non totâ Pannoniam & Daciam occupante, sed sedes sibi etiam circa paludes Mæotidis ponente, (tum cis, tum ultra paludes ex parte,) erupit demùm longo post tempore, agmen illud numerosissimum *Hungarorum*, junctum *Abaris*, quod postremò Pannoniam occupavit. Sicque Hungari, qui seculo nono Pannoniam ingressi sunt, non nisi, remotè in atavis & majoribus suis conside-

†. Alia pars eorum, ex qua plaga Scythiæ Asiaticæ latè patentis, venerit, superiora mea dicta ostendunt. Vid. cap. 5. paragr. 8.

fiderati, dici poſſunt è *Juhra* prodiiſſe. *Juhra* enim multò longiùs diſtat, quàm latera citeriora & ulteriora Mæotidis: ita ut rectè à Moſcoviticis Scriptoribus exitus Hungarorum ex *Juhra*, ad ſuperiora tempora referatur. Hoc tamen in his putidum eſt, & merum figmentum, quòd Hungari Pannoniam, de ſuo demùm nomine *Jugariam*, & deinde literis paululùm mutatis, *Ungariam* appellaſſent. Profectum hoc ex ignorantia linguæ Hungaricæ. Non patitur noſtra lingua taliter Hungariam nominari; ſed à Latinis, vel Latini ſermonis gnaris, vicinis, ejusmodi denominatio, & quidem cum tali terminatione, eſt noſtræ Patriæ impoſita. Sclavi quidem nos vocant *Uhri*, ut jam monui; ſed nec ipſi vocant Patriam nobis & ipſis communem, *Jugaria*, vel *Iuharia*; ſed, ſi benè pronuntio Sclavonicè, vocant eam *Uherſzky Zeme*: hoc eſt: *Hungarica Terra.* Nos verò idiomate noſtro; vocamus *Magyar-Orſzág.* H. e. Hungaricum Regnum. Sed de nomine *Magyar*, ſuo loco, plura dicemus.

XX. An verò *Iuhri* hodie in Aſiatica *Iuhra*, eodem utantur ſermone, quô nos, præter illa, quæ ex aliis hîc conſignavi, nihîl de hac re compertum habeo. Si Sereniſſ. Dux Moſcoviæ mitteret aliquando ſubſidium Auguſtiſſ. Rom. Imperatori, ac noſtro Regi Hungariæ Sereniſſimo, contra Turcas, vel

Tar-

Tartaros, & in medio ejus futuri essent aliqui è Regione *Iuhra*, & ex semine antiquissimorum *Hungarorum*, tunc hac de re apud Hungaros veros, judicium certius fieri posset. Si impermixtè, saltem quoad essentiam & fundamenta linguæ, antiquum Hunnorum idioma retinuerunt, tum illi, tum alii, si qui sunt in Asia Hunni; non dubium est, quin eandem nobiscum linguam, in essentialibus habeant. Nostra quidem adeò est impermixta, comparatè ad multas alias linguas citò variabiles, ut nihil quidem sibi ex aliis linguis, præprimis Europæis, immisceri patiatur, quasi necessaria, præter vocabula rerum illarum, quæ nostris in Scythia olim, aut erant penitùs ignotæ, aut saltem in illa terra nullibi dabantur. Ut v. gr. *sáffrány*, (Crocus) *gyömbér*, (Zingiber) *citrom*, & alia, ex aliorum linguis habemus: vel potiùs antiqua nostra, nota ad *Araxen*, ab Europæis resumsimus. Sed hæc in essentialibus, nullam linguæ huic mutationem, intulerunt. Excipi etiam hîc possunt, termini quidam, majoris elegantiæ & facilitatis ergo, à peritis linguæ Latinæ, ex Latinismo admisceri soliti. Sed neque illa admixtio, facit ullam in lingua nostra mutationem. Nam illiteratus, sine ulla talium terminorum intermixtione, expeditissime loquitur Hungaricè. Paucissima sunt, si quæ ex solo mutuo aliorum commercio nobis aliunde irrepse-

repſerunt; (ut *fertály*, [quarta pars,] & quid ſimile;) quæ tamen etiam noſtro idomate commodè exprimi poſſunt: eſtque hujuſmodi mutuatio aliis etiam communis; ac multis uſitatior, quàm nobis.

XXI. Porrò ſi quis ignarus Patriæ noſtræ, ſcire jam velit, qualis ſit terra illa Regni Hungariæ, quam noſtri Majores iteratis ſuis è Scythia eruptionibus, occuparunt, ſibique hæreditariam fecerunt; præter multos alios, Hungariam deſcribentes, inveniet proximè reſponſum, veritati & experientiæ congruentiſſimum; apud celeberrimi nominis Baronem, Sigiſmundum *Heberſteinium*; qui ſic de Patria noſtra ſcribit: *b. Si Chriſtiano Orbi nullum fuiſſet in Hungaria præſidium, (quod tamen fuiſſe maximum, quotidiana experientia, & jam clades additæ cladibus, teſtantur,) tamen vel propter ſolas opes, quas Deus Opt. Max. in Hungariam largiſſimè effudit, & inde vicinis Nationibus ſuppeditavit, non tantùm Hungaris ipſis, ſed Chriſtianis omnibus, pro ejus ſalute, tanquam pro communi Patria, eſſet laborandum. Nam quid ferè eſt in tota rerum Natura boni & pretioſi, quod Hungaria non habeat? Si metalla quæras, quæ pars eſt Orbis, Hungariâ fœcundior auro, cupro, chalybe, ferro? Nam plumbi minus habet, & ſtanno carere dicitur; ſi tamen carere eſt, quod nondum inveniri contigit? Quin & ſalem metallicum habet optimum, & puriſſimum, qui in-*

S *ſtar*

b. Rer. Moſcov. Comment. pag. 110.

ſtar lapidum, in lapidicinis, cæditur. Et quod jure mireris, alicubi etiam aquæ metallorum ſpeciem vertunt, & ex ferro cuprum reddunt. Vina dat pro locorum diverſitate, ut fit, diverſa; ſed pleriſque in locis, etiam extra Sirmium Vini proventu & bonitate clarum, quod amiſimus, tam generoſa & excellentia, ut pro Creticis haberi poſſint. Taceo frugum, ac omnis generis optimorum fructuum infinitam copiam. Porrò feras, & quicquid venatu vel aucupio capitur, quid attinet commemorare? Ita enim his abundat Hungaria, ut interdicere ruſticis, ne vel venentur, vel aucupentur, pro re valde inſolente habeatur. Pecoris certè adeò abundans eſt, ut jure mirari poſſis, unde proveniant tot & tanta boum & ovium agmina, quæ in Exteras Regiones, Italiam, Germaniam, Bohemiam mittit. Nam cum per Moraviam, Auſtriam, Stiriam, Slavoniam, perque alias Hungariæ vicinas provincias, multæ pateant viæ, per quas pecus agminatim expellitur; obſervatum eſt, per ſolam viam Viennenſem, uno anno, pluſquam octoginta millia boum, in Germaniam acta eſſe. Hæc ille: quæ imprimis de bobus & ovibus, tempore pacis intelligenda ſunt. In regione ſane *Jazygum* & *Cunorum* noſtrorum, multi ſolent eſſe, tales Patres familias, qui ad minus etiam, quingenta vel ſexcenta boum; item quingenta vel ſexcenta equorum, facilè numerant tempore feliciori in armentis ſuis. Habes apud eundem authorem, etiam de piſcium Patriæ noſtræ copia.

XXII.

XXII. Ad excitandam autem noſtram magis ac magis in Deum gratitudinem, qui tam ineffabili erga noſtram Nationem uſus miſericordiâ, dum alios adhuc in ſua tùm ſpirituali tùm corporali infelicitate reliquit, noſtris è contra, e Scythica ſterilitate eductis, ac in bona terra locatis, (ſi Dei bonitatem ſeriò recognoſcerent,) tum in ſpiritualibus, tum in corporalibus benedixit; (& præſertim antea benedixerat;) huic loco congruum eſſe duco, apponere illam deſcriptionem, quâ Matthias à *Michovia*, & ex eo *Gwagninus*, ſummam noſtrorum in *Jubra* popularium, & eis vicinorum, miſeriam utramque deſcribit. c. *Colunt* (inquit) *Solem*, *Lunam*, *Stellas*, *beſtias ſylvarum*, *&* *quod eis occurrit*. - *In his Regionibus non arant*, *non ſeminant*; *panes non habent*, *nec pecunias: feris ſylvarum*, *quæ apud eos abundant*, *veſcuntur*, *&* *non niſi aquam bibunt: morantur in denſis ſylvis*, *in tuguriis ex virgultis factis. Et quia ſylvæ illas terras contexerunt*, *homines ſylveſtres & ferinos effecerunt. Sunt velut beſtiæ ratione non utentes. Veſtimenta de lana non habent*; *pellibus teguntur*, *rudè & groſſè conſuentes varias pelles in ſimul*, *ex lupo*, *cervo*, *urſo*, *ſabellis & ſciſmis & cæteris*, *prout ſors obtulerit. Et quia ipſorum terra mineras non noverunt*, *pro homagio Duci Moſcoviæ mineras non pendunt*, *ſed pelles animalium ſylveſtrium*, *quibus abundant*. Hæc dum in authore

c. In Deſcript. Moſcov. pag. 209.

legerem; & inde exſcriberem, non potui me continere, quin oculi in lachrymas ſolverentur. *d.* *Quid nos tibi priores dedimus*, ô ineffabilis fons miſericordiæ? qui nos tantopere diligis, ut dum alios adhuc pro tuo beneplacito relinquis in ſuis miſeriis, nos ex eadem propinquiori maſſa in populum tibi peculiarem aſſumis, noſtræque Nationi à ceteris Scythicis propularibus ſequeſtratæ, uberrimè, tum in corpore, tum in anima benedicis; ex ratione ferè carentibus, rationales; ex bardis, ſtolidis ac barbaris, prudentes, ſapientes, ingenioſos ac generoſos; ex idololatris, veri Dei cultores, facis; ex tuguriis virgultorum, è medio ſylvarum, & terrâ infrugiferâ eductos, in terra, panis vinique & armentorum feraciſſima, atque in domibus bene ædificatis, multos verò etiam in palatiis, collocas; & qui olim ſordidis pellium lupinarum, urſinarum & ſimilium, conſutis utcunque centonibus induti, velut monſtra incedebant, eos (in poſteris ſuis) pretioſis & decoris induere veſtimentis dignatus es! O divinam in miſeram Gentem bonitatem, nunquam ſatis deprædicabilem! O utinam te tandem populus tuus ut Patrem vere cognoſceret! Utinam ſub horrendis & diuturnis plagis, ob ingratitudinem & abuſum tuorum bonorum, ei inflictis, ſeriò jam reſipiſceret; tuam-

d. Rom. 11. verſ. 35.

tuamque ulteriorem, in eductione suî è Scythia, & terræ bonæ post tot rerum discrimina datione, intentionem, ad majora adhuc tuæ in ipsum charitatis reconditæ pignora, tendentem, aliquandò demùm è verbo tuo animadverteret! Parce Domine, summe misericors populo tuo! & e. *perfice opus tuum* cœptum in nobis & ceteris te diligentibus. † *Exhilara nos*, *secundum dies*, quibus *afflixisti nos*, & *secundùm annos*, quibus *vidimus malum*.

XXIII. Satis superque ex his jam Historicè noscitur Hungarorum origo, eorumque diversis vicibus, in Pannoniam adventus. Antequam verò de nostra lingua, originem Nationis nostræ ampliùs illustrante, aliquid dicerem; ad hunc Tractatum pertinere judico, ut etiam de *Chunis* nostris, qui Latino sermone apud Hungaros *Cumani* dicuntur, brevem hic mentionem interseram.

XXIV. *Chuni* nostri in meridionali parte Hungariæ, seorsim habitantes, (Religione quantùm mihi ex auditu notum, fere omnes Reformati,) purissimi sunt Hungari, ex antiqua Hunniaca prosapia nati & propagati. Non est quidem mihi ignotum, eos, dum an. D. 1242. ut feri barbari & pagani, Rege *Bela* IV. permittente, in Hungariam venissent, habitos fuisse, ut alienigenas, ob feritatem & paganismum; imò forte & hodie à multis

e. Psal. 138. vers. 8. † Psal. 90. vers. 15.

tanquam alienos à Natione *Hunniaca* haberi. Sed omninò primò, ipsum nomen etiam eorum ostendit, eos veram esse posteritatem *Hunnorum*. Nam cum nos ipsi peculiari nomine *Magyar* vocemur, illi antiquissimum *Chunnorum*, h. e. *Hunnorum* nomen adhuc in nostra lingua retinent: Nostrâ enim lingua vocamus eos *Kun*, & in plurali *Kunok*, h. e. *Cunos*. At quid hoc aliud est, quam vocare eos *Hunos*, vel *Hunnos?* Vera enim origo nominis *Huni*, ea est, (ut infra ostenditur,) quæ ab initio vocis, postularet *Ch*. Quæ litera aspirata, abjectâ aspiratione, facilè, præsertim apud nos, in *k* mutatur. *Kuni* enim & *Cuni*, apud nos idem sunt. Huc facit quod non solum Ptolomæus, sed & Gregorius Turonensis, & alii quidam, (ut jam notavimus,) Hunnos veteres vocant, *Chunos*. Imprimis Ptolomæus, ut jam dictum, neglectis aliis Hunnis in Asia, (quos hoc nomine illic sibi ignotos, sub alio nomine consignavit,) ponit *Chunos* in Scythia Europæa, (seu, ut apud ipsum est, in Sarmatia Europæa,) paulò ultra fluv. Borysthenem: qui locus à finibus Moldaviæ distat circiter 45. † milliaribus Germanicis. Estque is locus is ipse, unde nostri *Cuni*, sive *Cumani* prodierunt. Ex quo loco, tempore Athilæ, non dubium est, multos pariter adhæsisse Hunnis ceteris, sicut ex aliis locis. Imò

† 45. H. e. 36. Hungaricis.

Imò hi neceſſariò etiam facere id debebant, cum gladius Hunnorum Aſiaticorum, ubique tunc prævaleret. Patriam tamen per hoc non deſeruerunt; niſi fortè qui Gothis perturbatis admixti, una cum illis fugerant in Thraciam. Secundò, etiam lingua oſtendit illos, eſſe pariter ac ceteros Hungaros, veram poſteritatem Hunnorum. Loquuntur enim eadem linguâ, (in eſſentialibus,) quâ nos loquimur. Quam non acceperunt à nobis, (ut qui ſeorſim inde ab initio ſuas ſedes in Hungaria incolunt,) ſed habent eam avitam; & à majoribus ſuis acceptam. Quòd dicit *Rogerius*, *g*. à quibuſdam etiam in hoc accuſatum fuiſſe Regem *Cunorum*, quòd Hungariam ideò fuiſſet ingreſſus, ut non ſolum conditiones terræ addiſceret, ſed *& linguam faceret ſibi notam*; hoc non de eſſentia, ſed de Dialecto linguæ intelligendum eſt. Impoſſibile enim erat ei, tam brevî tempore ut illic innuitur, & quidem cum ſuis addiſcere linguam Hungaricam, ſi ſua ab hac, toto genere diſtincta fuiſſet. Sed etiam prædicatores, in medium ipſorum illicò miſſi, ſine ulla ſollicitudine linguæ, evidenter evincunt, linguam ipſorum in eſſentialibus fuiſſe cum noſtra eandem.

XXV. Audiamus jam de hiſce *Cunis*, ſive *Cumanis*, Magiſtrum *Rogerium*, (qui tempo-

g. pag. 182.

ribus adventûs illorum vixit,) hunc in modum scribentem: *h. Anno* 1242. *ab incarnatione Domini sic evenit; ut Kuthen Comanorum Rex, ad Regem Belam solennes nuntios destinaverit; asserens se multis annis cum Tartaris pugnavisse, ac obtinuisse duabus vicibus victoriam contra eos; tertiâ verò vice, cum existeret imparatus, terram suam subitò intraverint; ita ut ipso habere exercitum nequeunte, eum dare terga oportuerit Tartaris sceleratis* †: *& sic magnam partem terræ ipsius, hominibus interemptis, hostiliter destruxerint. Propter quod si vellet ipsum suscipere, ac in libertate tenere, se & suos paratus esset ei subdere: ac cum consanguineis, fratribusque & amicis suis rebusque & bonis mobilibus, in Hungariam intrare, & ipsum in Fide Catholica imitari. Quô audito, Rex repletus est gaudio magno valde: tum pro eo, quòd talis Princeps ei quasi par hactenus, ejus se volebat subjicere ditioni; tum quia poterat ad effectum ducere præconcepta* ‡, *lucrifaciendo tot animas Jesu Christo. Et sic, licentiatis nunciis non minimis muneribus honoratis, ad dictum Kuthen Regem transmisit suos nuncios, & Fratres Prædicatores cum eisdem; mandans quòd ipsum & suos paratus esset recipere, & petita concedere juxta beneplacitum voluntatis. Quid plura? Nunciis hinc inde*

h. Roger. Epist. Super Destruct. Hung. per Tartar. pag. 178. inter Scriptor. Rer. Hung. ad Joh. Pest. Epp. Cap. 2. † Codex impres. habet mendosè *Sceleritatis*. ‡ Nempe quæ mente seriò volvebat, de Conversione Cunorum.

inde sæpiùs destinatis, prædictus Kuthen cum suis iter arripuit in Hungariam veniendi. Rex verò in potentatu mirabili, usque ad confinium terræ suæ obvius ei fuit, tot eximia, & tot honores ei & suis faciens, ut ab incolis terræ illius, à tempore cujus non exstabat memoria, factum non fuerit, neque visum. Tandem cum propter multitudinem in loco commodè morari non possent, pro eo, quod erat gens dura & aspera, subdi nescia; ne offenderent Hungaros, vel offenderentur ab ipsis, dabat eis de Principibus suis unum, qui eos conduceret, & expensas omnibus, qui præter ipsorum familias, circa quadraginta millia dicebantur, faceret exhiberi usque ad mediculum † *terræ suæ.*

XXVI. Quàm charos illos habuerit Rex Bela, unicè Christianæ Religionis amore propagandæ fervens, apparet ex responsione fautorum Regis, ad quinti odii Procerum in Regem causam. *i. Illud* (inquit) *asserebant penitùs falsum, quòd Rex introduxisset Comanos ad depressionem & odium Hungarorum; sed solùm propter hoc, ut Cultus Divini nominis in Hungaria suis temporibus augeretur; & sic, quando ipsum adversus inimicos coronæ, guerram habere contingeret, contra eos, cum eis fortiùs & duriùs dimicaret. Si autem Comanos plùs quam Hungaros honorabat, hoc ipsi ægrè ferre non poterant, nec debebant. Nam decebat*

†. An *medium* vel quid vult innuere, divinare vix possum. Fortè *meditullium*. *i.* Idem Roger. c. 12. p. 181. & 182.

Regiam dignitatem introductos hoſpites honorare; maximè cum hoc eis promiſerit juramento, & ipſum in fide ſuâ cœperint imitari: & cum eſſent eis Hungari odioſi, ſolum Regem habebant in Hungaria Protectorem. Nam Kuthen Rex Comanorum per Regem, & quàm plures alii per Majores & Nobiles Regni baptizati †; *ita quòd jam cum Hungaris connubia contrahebant. Et ſi Rex eis favorabilis non fuiſſet, ipſi in Hungaria non ſtetiſſent.* Quis vero miſerabilis eventus, hanc Hungarorum quorundam, cum ſuo Rege pio, ob intromiſſos *Cunos* altercantium, contentionem ſecutus ſit, ubi horrendo Dei judicio per *Tartaros* ſubitò ſunt obruti; (quibus præſentibus jam in Regno, ipſi quoque *Cumani*, morte ſui Regis, ex mera de colluſione cum Tartaris ſuſpicione, ab Hungaris interfecti, valdè irritati, ſe adjunxerant;) deſcribit fusè idem Rogerius, calamitatum illius temporis, in manibus Tartarorum ad plenum particeps. Ex cujus deſcriptione, alio in loco, (in Hiſtoria nempe Eccleſiaſtica,) Deo favente, pauca nos etiam ad noſtrum ſcopum, excerpturi ſumus.

†. H. e. Suſcepti in Baptiſmo.

CAP.

CAP. VII.

In quo, *aggreditur Author* Origines *Hungaricas è subsidio* linguarum *illustrare. Initium fit à vocabulis quibusdam Hungaricis, præmissis in hunc scopum aliquot* regulis. *Inter vocabula illa, primo loco investigatur origo vocis* Isten, *h. e.* Deus. *Post quarundam vocum*, Nominis, Verbi & Pronominis*partis, particularumque aliquot, detectionem, itur ad affixa* Hungarica. *Ibidem subjicitur, quàm facile lingua* Hungarica, (*attento lectori Hungaro*,) sine ullis vocalibus *possit legi.* Casus *variat*; Genus *verò* (*à sexûs distinct.*) *nullum est apud Hungaros. An veteres* Hunni *habuerint* literas? *Aliquot* characteres, *qui veterum* Hungarorum *fuisse creduntur à quibusdam, producuntur. Subjicitur aliquid de* ingenio *Hungarorum*; *quod multi eorum malè excolunt. Non tamen Deus cœptum misericordiæ suæ opus, in ea Natione deseret.*

Enarravimus hactenûs Hunnorum & Hungarorum diversis vicibus factas è suis sedibus, pro occupanda & possidenda Pannonia cum vicina Dacia, migrationes ac belligerationes; quibus brevem etiam de *Cumanis* subjecimus relationem: quæ omnia (Divinæ principaliter gloriæ respectû,) fecimus pro Hungarorum Origine clariùs enucleanda, & conspectui lectorum exhibenda. Nunc jam, ut noster hic Tractatus eò fiat con-

consummatior, *Originem Hungarorum*, ex ipsa Lingua *Hungarica*, & Vocum quarundam ac Nominum ad suas radices genuinas reductione, philologicè conabimur Deo juvante ampliùs illustrare. Ex quo labore patebit, Nationem Hungaricam, ita esse Scythicam, ut aliquando suos majores, Chaldæis & Syris, ceterisque circa Armeniam & in ipsa Armenia, Orientalibus vicinos, habuerit.

II. Antequam ego ad hanc Originem Hungarorum scribendam, animum applicassem, etsi per Dei gratiam linguæ Hebraicæ fundamenta, jam dudum antè, tenerem; attamen ne fando quidem cogitabam, (exceptis duobus vel tribus vocabulis, obiter occurrentibus, & suspicione validâ, de affixis nostris sumptâ,) tantam habere linguam nostram cum *Hebraica* & *Chaldaica* affinitatem, (licet remotiorem,) quantam ipsô labore scrutationis deinde expertus sum. Primâ enim fronte, præsertim nihil ex proposito tale quid tentanti, ipsa vocum magna ab Hebraicis & Chaldaicis vocabulis dissimilitudo apparens, ex longè dissimili sono & pronuntiatione, vocabulisque variè mutatis, & accessione paragogicorum causata, obstitit, ne animadverterem eam, quam in sequentibus monstraturus sum, Linguæ *Hungaricæ*, cum prædictis linguis, magnam comparatè ad reliquas Christianas Europæas, vicinitatem.

In

In progressu verò hujus laboris, etiam aliud agenti, sæpè ultrò variarum ac variarum nostrarum vocum radices, se se mihi præsentârunt. Adeò ut confidenter ausim dicere, nullam esse linguam Europæam, (ex iis saltem, quæ mihi per Dei gratiam, si non pariter ad loquelæ, tamen ad intellectûs & scriptionis usum, maxima ex parte sunt notæ,) quæ tantam cum prædictis linguis Orientalibus haberet affinitatem, quantam nostra habet.

III. Incipiam hîc primò ab exemplis variarum vocum, scopum meum illustrare. Deinde veniam ad affixa. Ubi obiter adjiciam aliquid etiam de terminationibus casuum nostrorum, in quibus multum differt ab Hebraica vel Chaldaica. Addam & de Verbis aliquid. Tertiò tandem progrediar, ad derivationes variorum nominum Gentis, personarum, &c. his originibus illustrandis inservientium. Inter quæ postremum colophonis instar, locum obtinebit nomen *Amazonum.*

IV. Antequam verò quippiam de his dicam, sequentia in limine observanda inculco. (1) Vocales *a* & *e*, *i* & *e*, nec non *o* & *a*, ut & *o* & *u*, in hujusmodi derivationibus vocum, facilè inter se permutari, clarius est, quàm ut hic probetur. Qui novit, quomodo eædem Arabicæ vocales, ob diversas suî ad consonantes habitudines, vel etiam ob diversos lectores,

diver-

diversimodè enuncientur, is nullam de hac re litem movebit. (2) Aspirationem *He*, facilè excidere. (3) Literam ע, ferè pro insensibili consonante reputari, ac si mera tantum vocalis esset, cum leni aspiratione; non obstante, quod veteribus aliquando etiam quasi *gh* significaret; ut in *Gomorra*. (4) Literam *beth*, facilè in *v* mutari, ut & *pe* in *f*. (5) Sicut experimento novi Turcas aliquando Arabicum *Kef*, legere, tanquam Galli suum *ch*; sic etiam animadverto, multa vocabula nostra, ex radicibus, ח (*cheth*) in se habentibus, orta, esse talia, in quibus lingua nostra, *cheth* sive *heth*, in *cs*, (vel *ts*,) h. e. Gallorum *ch*, mutavit: cujus rei argumentum est, quod non diu etiam ante hæc tempora, nostri majores, illud *cs*, per *ch*, solebant scribere. Aliquando tamen illud *chet*, potest in tenuissimam aspirationem mutari; ipsa verò aspiratio lapsû temporum evanescere. Observo, apud nos, etiam in *c*, vel *k*, mutari, (at rarò,) ut *Keph* Arab. ante *a*, *o*, *u*, sonat ut *K*. (6.) Paragogica frequenter in fine vocum addi; atque consonantes homogeneas ‡. seu ejusdem organi sæpè, imò etiam diversi organi, v. g. linguæ, palati, & dentium, aliquandò, inter se permutari; (& quandoque etiam literam in principio & medio

‡. De his vide observat. Buxtorf. præmiss. Lexico Talm.

dio addi, vel nonnunquam ſubtrahi,) nulli Philologo, (imprimis de Lingua Chaldaica,) eſt ignotum. Inter paragogica, literam *nun* frequentiſſimam eſſe, ipſa lectio authorum, & Lexica oſtendunt. (7.) Non omnes radices, hodie Judæis inuſitatas, eſſe penitùs inutiles. Poterant enim olim ubi communiſſimus ille ſermo fuit Judæis, æquè in uſu eſſe, ac aliæ: quod oſtendunt, voces magni momenti ſæpè, è talibus radicibus ortæ. (8.) Non requiri hîc neceſſe, ut vox aliqua derivata, ejuſdem per omnia ſignificationis ſit apud aliquam Nationem, quæ illâ utitur voce, cujus eſt frequentiſſimè & ordinariè apud Judæos: ſed ſufficere, ad veram ejus originem demonſtrandam, ſi ex vi radicis Hebraicæ vel Chaldaicæ, id ipſum verè poſſit ſignificare, quod eſt in uſu, talis Nationis. Exemplis hæc ſuo loco, clariora fient attendenti ad dicenda. (9.) In noſtra lingua, litera *y*, literis *g*, *l*, *n*, *t*, ſubjuncta, nihil aliud facit, quam (extremâ linguæ cuſpide inter labiales dentes miſsâ,) emollit eas, ut teneriori ſono pronuncientur. At vocalis vicem non præſtat. (10.) *Nun* aliquando ex *Dages* forti oritur apud nos, ſicut & apud Chaldæos.

V. Exempla vocum Hungaricarum incipiam ab ipſo *Deo*, omnium rerum Principio. Deus noſtra linguâ, vocatur *ISTEN*. Hoc opus, hic labor eſt, hanc vocem, primariam

inter

inter ceteras, nec casû, sed ex certa rei, quam designaret, notitiâ, olim usurpari cœptam, ad suam radicem reducere, nisi linguarum Orientalium, imprimis Hebraicæ & Chaldaicæ, subsidio: nec unquam ejus veram originem inveniet quispiam, si non in Hebręa, Chaldaica & Syriaca, quærat. Nam quocunque mentem vertas, de divino nomine apud alias Nationes idiomate notiores, occurret tibi, vel θεὸς, ut apud Græcos; vel *Deus*, ut apud Latinos; vel *Dio*, *Dieu*, *Dios*; ut apud Italos, Gallos & Hispanos; vel *Gott*, (& *God*,) ut apud Germanos & Germanicæ propaginis Nationes; vel *Buh*, & *Bog*, ut apud Sclavos, & ejusdem originis Nationes; vel *Allaho*, (quod est ab Hebr. *Eloah*,) ut apud Arabes & Turcas; ita ut, ab omnibus hisce, toto Cœlo, nomen Dei apud nos videatur differre. Sed vera nominis origo illicò aperitur ex Chaldaico † & Syriac. אֶשָּׁתָא, (*Esta* ‡,) hoc est, *Ignis*; quod descendit ab Hebræo אֵשׁ (*Es*,) idem significante. Notum est veteres Græcos, *Vestam*, vocasse non solùm Ἑςίαν, (*Estiam*,) vel Ἑςίην, pro diversitate dialectorum, sed etiam Ἱςίην, (in accusat. hoc est, Latinis literis *Istien*;) uti apud vetustissimum

†. Exod. 3. vers. 2. & c. 9. vers. 24. Sic emphaticè. Consule Lexicon Talmudic. Buxtorfii.
‡. In gratiam minùs in his exercitatorum, exprimo Latinis literis; quod & in sequentibus facturus sum.

ſimum Hiſtoricum Herodotum, hâc poſteriori formâ (ἱστίη) lego. Atqui & illud verum eſt, nomen illud Ἱστίη, Ἑστίη, vel Ἑστία, origine non eſſe Græcum, ſed ab antioquiori & potiori lingua deſcendere, in qua vis ſignificans vocis reperitur: ut perinde ἑστία & Ἱστίη ſint voces origine orientales, ac noſtrum *Iſten*. *Veſta* enim Latinorum, & Ἱστίη Græcorum, nihil aliud eſt, quam *Ignis* pro Deo, vel Dea Gentilium acceptus. Utut enim Ethnici Scriptores, *Veſtam* exponant *Terram*, eò quod ignem intra ſe contineat, quod *ex Æthna Veſuvioque* ‡ patere ajunt; attamen illi ipſi ſunt, qui ea nobis ſubminiſtrant, quibus docemur, in expoſitione *Veſtæ*, perpetuò ad *Ignem* recurrendum eſſe. Hinc illud Servii: (jam à doctiſſimo *Voſſio* hanc in rem citatum;) k. *Veſtam Deam ignis*, appellat; (quam *Terram* eſſe Servius ait;) *quæ in medio Mundo librata, vi ſuâ ſtet, & ignem intra ſe habeat*. Idem in ſequentem (notato in margine loco,) Virgilii verſum:

Æternumque adytis effert penetralibus Ignem,

ſic ſcribit: *Ecce ipſe expoſuit, quid ſit Veſta*, nempe *æternus Ignis*. Hinc dictæ etiam Virgines *Veſtales*, quòd ipſarum eſſet, juxta

T Le-

‡. Vid. Serv. in Æneid. L. 1. ad verſum, *Cana fides*, & *Veſta*, &c. k. In Æneid. 2. Virg. ad illud, *Manibus vittas Veſtamque potentem*. Conf. Voſſ. De Idol. Gent. Lib. 2. c. 65.

Leges, in *Urbe* Romana *l. custodire ignem foci publici sempiternum.*

VI. Non ignoro multa Gentiles hariolatos fuisse posterioribus seculis, quis *Ignis* esset, *Vesta*, seu Ἑστία; sed omninò tùm ipsi suis descriptionibus, non obscurè produnt, tùm res ipsa clamat, Ignem illum sempiternum, non alium fuisse vetustissimis Gentilibus, quàm ipsum Solem, omnium ignium summum focum & principium post Deum. Ignem autem publici foci Gentilium in sacris, nihil aliud, quàm Symbolum maximi illius Ignis, nempe *Solis*, & in genere ignium *cœlestium* * exstitisse. Dubitari enim nequit, Cœlestem ac superum ignem fuisse prius cultum, quam vulgaris & inferus coleretur. Quicquid etiam in Persicis vel Turcicis, vel etiam Hunniacis, *m.* de cultu *Ignis* legimus, omne huc recidit, quod per ignem minorem, ut Symbolum, maximo igni nempe Soli, & per hunc Deo omnium conditori, honorem suo more, exhibere volebant. Quòd autem antiquissimi Gentiles, *Solem*, Ignem

l. Vid. Cicer. in 2. de Legib. & Vossium ex eo, Loc. cit. * Vid. Flor. Lib. 2. c. 2. & ex eo Vossium, de Idol. Gentil. Lib. 2. c. 65. *m.* Memorabile imprimis illud est de Hunnis in hanc rem, quod supra (p. 195. & 196.) dixit Princeps Hunnorum: *Deus Ignis, qui in Cœlo est.* Ubi sine dubio, *Solem* præcipuè in effectis suis, (imprimis, *igneis* fulminibus,) intelligit.

Ignem Deum nominârint; id non tàm ex solo sensibili Solis calore moti fecerunt, quàm edocti à suis majoribus per traditionem, acceptam per Noachum à prioribus Patriarchis & ab Adamo, quòd Deus ille, qui universitatem hanc condidisset, lucem habitaret inaccessam, & quòd is, ignis consumens esset adversùs impœnitentes peccatores. Unde, crescentibus cum tempore erroribus, & humani ingenii commentis, cum Solem viderent omnium Astrorum potentissimè lucere & urere; non putarunt Deum commodiùs in ullo astro repræsentari, quàm in Sole: ideò Soli, & consequenter etiam aliis Ignibus, (sed gradû inferiore,) cultum exhibuerunt. Quod porrò, Græci in fœminino genere, pro Dea usurparunt *Vestam*, (seu ignem perpetuum,) ratio facilè dari potest. Diabolus enim, qui in talibus Diis ac Deabus novis fingendis, Ethnicos docuit, non ignoravit, tanquam subtilissimi ingenii Spiritus, & in Scriptura sacra callidè versatissimus, Ecclesiam Dei aliquando, adeò gloriosam fore, ob claritatem & ubertatem cœlestis doctrinæ, Zelumque in Deum ferventissimum, ut ob id, futura esset, veluti tota, † *Sole amicta*, ut quæ tota Christo Sole justitiæ foret induta: hinc errorem hunc quoque persuasit suis, ut Solem, (seu ejus symbolum

 ignem,)

†. Apoc. 12. vers. 1.

ignem,) non solùm sub nomine proprio, & ut Marem, sed etiam sub alio nomine, fœminino, *Vesta*, ἑςία, ἑςίη & Ἱςίη, ut fœmineum sexum, colerent. A parte tamen rei semper idem objectum cultûs erat, Sol nempe, seu Ignis sempiternus.

VII. Jam verò ut redeam ad priora; dico, olim quosdam Orientales, non solùm *Esta*, (ut hodie Chaldæi,) sed etiam *Istie*, ignem vocasse, ab Hebr. אֵשׁ; quod satis apparet ex antiquissimo nomine *Vesta*, apud Græcos Ἱςίη, à Chaldæis mutuato. Cui voci Chaldaicæ, nostri Hungari antiquissimi, ad *Araxen* olim considentes in Armenia, non nisi *nun* seu *n*, paragogicum, (ut in multis aliis fit,) addiderunt; *jod* autem è medio, labentibus seculis paulatim elabi siverunt; cum tantùm emollitionis usum, instar *y*, inter *t*, & sequentem vocalem, habuerit. Ut si fuerit olim *Istien*, sive *Istyen*, successû temporis, quasi elegantiùs, dictum sit *Isten*: ad formam similis vocis Chaldæorum, אִסְתֵּן, (Isten,) *Aquilonem* illis significantis. Aut facilè alteri illi Chaldaico nomini *Esta*, aliæ vocales ex vocalium mutationis lege, congruæ, pro *e* & *a*, scil. *i* & *e*, cum paragogico substitui poterant. Quicquid sit de istis minutiis, deriuatio vocis *Isten*, à Chaldaico *Esta*, vel *Istie*, sive *Estia*, (ut talis mutatio vocalium, in Orientalibus linguis facilè con-

contingit,) tàm clara eſt, ut non niſi contentioſus, & alieni laboris contemptor eam in dubium vocare poſſit. Cum enim certum ſit, noſtros majores Ignem * atque Solem ‡, ſingulariter coluiſſe in Paganiſmo, Solemque Ignem, pro præcipuo Deo, inter omnes viſibiles Deos Deaſque habuiſſe; nullum certè commodius nomen habebant, quô illud Numen Solare (ut ſic dicam,) & Igneum, appellarent, quàm quod ejus naturam, uti *Iſtie*, vel *Iſten*, exprimeret. Per conſequens verò etiam ad alia ſua Numina, ſucceſſû temporis, illud tranſtulerunt. Quod hodie, poſt tam multa ſecula, *ignem* alio vocabulo, nempe *Tüz*, appellàmus; nemo magis miretur, quàm quod olim Latini, *Ignem* publicum & Sacrum, *Veſtam*, aliunde mutuato vocabulo, nominârint; culinarem autem ignem, vel etiam alium ignem, propriâ ſuâ linguâ, tantummodo *Ignem* dixerunt. Sed inſuper, in aliis etiam linguis obſervare poſſumus, vocabula quædam in hac vel illa ſignificatione antiqua, obſoleta reddi, & nova nomina rebus accedere. Sic evenit etiam *igni* apud nos. Illud ergò nomen Dei Ignis, h. e. *Iſten*, noſtri cum è Paganiſmo Chriſtianæ Eccleſiæ ſunt aggregati, retinuerunt in ſua lingua, tanquam ſibi pro Numine uſitatiſſimum, & ad verum Deum Cœli & Terræ

T 3 con-

*. Supr. Pag. 195. 196. ‡. Supr. Pag. 52. 53.

conditorem, (Patrem Filium & Spiritum S.) denominandum, converterunt. Quid verò ſentiam de *Agdiſtis*, ſeu *Agiſtis*, antiquæ Deæ Phrygum nomine, noſtro τῷ *Iſten* ut reor, cognato, alio loco * commodiùs dicetur.

VIII. Alterum nomen ſit *Ember*, Homo, cujus origo quæratur. Vox *Ember*, poſſet videri prima fronte derivári ab עבר, (Abar,) tranſiit; cujus Participium præſ. in Kal eſt עֹבֵר, (Ober,) *tranſiens*, ut & mihi primùm viſum erat; ut ſic denotaretur, quòd homo in hoc ſtatu ſit tantûm *Viator*, ac velut umbra, *tranſiens*. Verùm accuratiùs expenſô, quid ſubinde apud nos *Ember* valeret, aliunde ejus originem petendam duco. Dicimus enim ex more, de homine forti, vel ad res magnas idoneo & expedito, ſive vir, ſive fœmina ſit; *Ember ez*; h.e. Homo eſt iſte: huc ſpectat & proverbium illud: *Embert valaſztonak à gátra*; h.e. Hominem deligunt ad impediendas aggere aquas: quod neque in Latino, neque in Græco, de voce *Homo*, & ἄνθρωπος, ita uſû venit. Deduco ergo eam, à rad. אבר. *Abar*; quod in Pihel אִבֵּר, (*Ibber*,) ſignificat *firmavit*, *roboravit*. Sed jam diximus †, eandem radicem (*Abara*,) ſignificare Arabibus inter alia, etiam *probè diſpoſitum* & *idoneum eſſe*. Cur non aliis quoque Orientalibus, imprimis noſtris majoribus, idem

* Vide infr. Cap. 9. §. 33. †. Sup. c. 5. §. 5.

idem olim significaverit? Sunt enim hæc valdè cognata, *firmum esse*, item, probè *dispositum esse*, ad sua munia subeunda. Optimâ sanè ratione, ex radice hujusmodi, nomen *homini*, supra alias creaturas sibi subjectas, tot dotibus & prærogativis eminenti, dari poterat. Est igitur mihi *Ember* idem quod אִבֵּר *Ibber*, ad formam Pihel, nominaliter; quod significet, *viribus* (à Deo acceptis) *valentem*, & *benè dispositum* ad sua opera; eodem modo, ut Hebræis דִּבֵּר *Dibber*, non solum est Verbum in Pihel, (*dixit*,) sed & Nomen, significans *dictionem*, vel *sermonem*. Jer. 5. vers. 13. Factum autem ab *Ibber*, hoc modo *Ember*. Vocalis *I* brevis in principio, facilè in *E* breve, mutatum est; *Dages* autem forte, (primum *b* pariens,) more Chaldæorum transiit in *n*; at verò ob euphoniam, in concursu cum *b*, etiam *n*, mutatum est in *m*, ut hodie sonat, *Ember*; illo modo, quô & Latini, pro *inbuo*, *inbibo*, dicunt, *imbuo*, *imbibo*.

IX. Sic *Ur*, Dominus, significat apud nos, (si qui genuinè volunt loqui Hungaricè,) non qualemcunque Virum, sed qui multis aliis, dignitate excellit: estque genuinum derivatum radicis אוֹר, (*Or*,) *lucere*; quod aliis dignitate tales præluceant & præfulgeant; imò certè etiam virtutibus deberent præfulgere. Unde etiam nomen *Ur*, (1 Chron. 11. vers. 35.) *Uri*, (1 Chron. 2.

℣ſ. 20. Eſd. 10. ℣ſ. 24.) & *Uriel*, (1 Chron. 15. ℣ſ. 5.) apud Hebræos. Ab eadem radice Hebræa, eſt ἥρως & ἥρα (Juno) Græcorum, & Latinorum *Herus*, *Heros* & *Hera*; item Germanorum *Herr*, & Belg. *Heer:* nec non Ægyptiorum *Horus*; ac Jupiter *Urius* † olim, non longè à Chalcedone: de quo *Arrianus* ‡, & *Stephanus* * de Urb. ex Menippo. Item, *Kiraly*, Rex; deſcendit, a Chaldaico, קִירִי. [Kire,] *Dominus*; cui noſtri (ſicut Chaldæi ס aliquandò,) addiderunt paragogicum molle *l*, hoc eſt *ly*, cum exigua ſoni vocalis ultimæ, mutatione. Inde etiam Græcum Κύριος deſcendit. *Inas*, h.e. *Agazo*, qui ſubinde velut ad manum eſt Domini ſui, derivatur ab אֱנוֹשׁ, (Enoſch,) *homo*; unde etiam ſæpè noſtri, ſuos ſervos, vel ſubditos dicunt, *Az én emberem*, meus homo. Quod non puto *eos* accepiſſe ab Occidentalibus, ſuos *Servos* †. pariter, imò & Feudatarios ac Vaſſallos, *homines* ſuos ſæpè vocantibus; ſed poterant eum uſum ex Oriente ſecum afferre. Cum autem Chaldæis *homo* ſit אֱנָשׁ *Enas*, eò faciliùs inde derivatur; imò nihil aliud eſt, quàm Chaldaicum *Enas*, *e* paululum mutato in *i*, vel *é* acutum. *Sáfár*, eſt *Diſpenſator*.

A

†. Vide infr. Cap. 9. §. 33. ‡. Vide infra loc. nunc citato Arriani teſtimon. ex Periplo Pont. Eux. * Steph. in voce χαλκηδών. †. Cujacius Op. Tom. 2. Lib. 1. de Feud. col. 792.

A סָפַר, (Saphar,) *numeravit, recensuit.* Ejus enim est in numerato habere sibi commissa, & rationem reddere Domino suo. Item, *Idö*, vel *üdö*, nobis est *tempus*, ab Heb. עוֹד, (Od,) *adhuc*, *amplius*: vel potius à עָדָה, (Ada,) *Transiit*, *discessit*, *præteriit*; eò quod temporis partes continuò eant, ac prætereant à nobis. Inde Hebræis עַד, (Ed,) עַד, (Ad,) *Seculum, æternitas*. Rectè ergò etiam *tempus* ab ead. rad. deducitur. Item *Reggel*, est *Manè* apud nos; descendens, ab Hebr. רָגַל; quod olim, (præsertim in alia verbi forma,) non solum significavit *obtrectare*, sed etiam aliud aliquid, quod tempori responderet. Nam רְגָלִים (*regalim*) ab eadem radice, significat Hebræis *tempora*, Exod. 23. vers. 14. *Reggel* ergo, est nobis, quasi prima pars temporis diurni. Significat etiam *Regel* Hebræis, festivum tempus singulariter solenne; (ut sunt tria celeberrima festa;) quasi sit præcipuum ex temporibus; quod etiam nostrum scopum juvat. Si cui talia sordeant, qui fortè nec minora his tentat, videat ne etiam magni Bocharti circa Phœnicia, vel aliorum quoque Eruditorum doctas lucubrationes in talibus, susque deque habeat: aut certè potiùs cesset tùm illa, tùm hæc nostra, floccipendere, cum fortè reperientur alii, qui secùs quam ipse de his judicabunt. Sed pergo ulteriùs in proposito.

X. *Vox örök*, (vel cum additamento *örökké-valô*,) idem eſt nobis, quod *æternus*, vel *perpetuus*. Atqui ejus genuinus fons eſt Hebr. אָרַךְ, (arak,) *prolongari*; unde *Orek* Hebræis, *longitudo*. Unde etiam phraſis, *longitudo dierum* † in Scriptura. Nullum enim tempus, eſt longius, quam quod eſt æternum. *Paraſzt*, eſt *Ruſticus*. Quod eſt ferè ipſiſſimum Hebræum, פְּרָזִי, (*Perazi*) *Villicus*, ſeu *Paganus*, *Faluſi* Hungaricè. *Mazur*, quaſi exhæredatus, & certâ familia ac poſſeſſione carens; item bonis exutus; idem quod Hebr. *Mamzer*, *ſpurius*, à מזר. *Alom* h. e. *Somnus*, eſt etiam genuinum Hebræum חֲלוֹם *Halom*, (ejuſd. ſign.) ſublatâ aſpiratione aſperiore; ſeu, mutato ח in א literâ ejuſdem organi. Item; *Szüz*, eſt *Virgo*, non quælibet puella, ſed caſta & illibata: quod eſt ipſiſſimum Chaldaicum זיו, (ziz) *ſplendor*, *fulgor*. Eò quod Virgines caſtè & piè viventes, ſunt totidem velut ornamenta domûs paternæ. Inde verò nomen illud, & ſubſtantivum aliud ab eo formatum, (*ſzüzeſſég* ‡) extenditur per conſequens etiam ad vidualem & matrimonialem vitam puram. Primariò tamen innuptis Virginibus tribuitur.

XI. Porrò, *Halál*, *mors*, venit ab חָלַל (*Chalal*, vel *Halal*,) confodit, interfecit. *Büz*, eſt *fætor*, ſeu odor ingratus, a בוז, *buz*, contempſit. *Szeg* eſt *clavus*; a Chal. זנג (*Zanueg*,) *Com-*

† Pſal. 91. verſ. 16. ‡ H. e. Virginitas.

Combinare. Habent etiam noſtræ Textrices, aliquod inſtrumentum, quod vocant *Zugó*; quod pariter inde ortum habet. *Vad*, eſt *fera*; deſcendens a בָּדַד († Vadad,) & contracte בַּד (Vad,) *ſolitarius eſt*. Et hinc nominale בַּד (Vad,) *ſolus*. Quo nomine quid congruentius feris, in ſolitudine degentibus? Hinc etiam ſylvam aliquam terribilem, quæ vix aut raro à viatore aliquo tranſitur, vocamus, *Vadon erdö*. Ubi etiam *Erdö*, ſylva, eſt originis Hebr. & Chaldaicæ; ab עָרַד ſive ארד, (*Arad*,) quaſi, *ferum* & *ſylveſtrem eſſe*. Unde *Arod*, Job. 39. verſ. 8. *aſinus Sylveſtris*. *Kopia*, eſt *haſta*, a Chald. קוֹפָא, (*Kopa*,) *pertica*. Poteſt etiam deſcendere à קְפָא, (kapha) *jungere*. *Darabant*, vel *Drabant*, eſt nomen, *ſervitorum peditum* in portis Urbium, vel circa Regem, Principem, aut quemlibet magnum Dominum. Venit, ab inuſitata radice דרב, (Darab,) unde Chald. דַּרְבְּנָאִין *Darbonain*, Obſervatores januarum & atriorum. Idem certe eſt officium, etiam noſtrorum *Darabantonum*. *Gobé*, eſt magnus aliquis inanis & vanus homo; vel etiam parùm mente ſanus: à גבה, (Gabah,) *altum eſſe*. *Szakal* eſt *barba*, a זקן *Zakan*, (*n* mutato in *l*,) quod idem Hebræis ſignificat. *Patac*, ſive *Patak*, rivulus; a פָּתַח *Patach*, aperuit; quod ſit apertio & emiſſio aquarum. Vel à Chaldaico פְּתַק, (*Petak*)

† Ita pronuncio hîc *beth*, ſine dageſch leni. Vide Sup. pag. 284. Reg. 4.

tak,) *Ejicere*, *emittere*. *Gödör*, est *fovea*; a גָּדַר, (Gadar,) *Sepsit*. Hinc *Geder* Hebræis, pro *maceria*. Præstant autem sæpissimè vicem maceriæ seu sepimenti, foveæ. *Szin*, species, color; a Chald. זַן, (*Zan*,) etiam speciem significante. *Matzag*, est *zona*; ipsissimum Heb. מֵזַח (*Mezach*,)idem significans. *Köröm*, est *ungvis* a קָרַם, (karam,) *Tegere*, *obducere*. Hinc Rabbinis, *kerum*; h.e. *crusta*, *tegumentum*, item, *testa ovi*. Sic etiam ungvis, est tegumentum quoddam, & crusta. *Korom*, *Fuligo*; ab eadem radice, quia obducit caminum. *Hold*, Luna; ab חָלַד, (Chalad,) *abscondere*, *occultare*; eò quòd *Luna* subinde se occultet. Atque hinc Hebræis, *Cheled*, Tempus. *Kalán*, *cochlear*, à קָלַע, (Kala,) *Sculpsit*, *incidit*; eo quod concava cochlearium, fiunt per incisionem, seu exsculpturam. *Csákány*, est *clava* formæ crucis, in manibus militum, a חָקָה *Chaka*, (sive pro nobis *Csaka*,) *Impressit*; (cum addito paragogico molli *n* in fine;) eò quod imprimatur corporibus eorum, quibus hostiliter alliditur. *Kard*, est *acinaces*, seu gladius Hungaricus. a קָרַד *Karad*, radere; Hebræis (cum accessione exigua,) קַרְדּוֹם, *Kardom*, securis: quæ etiam nobis est usitatissima vox, nempe eadem prior (*Kard*,) cum affixo, *gladius meus*.

XII. *Haszon*, est *utilitas*, *commodum*, *reditus*: ab inusitato nunc Kal, עָז,(Haz) *Congregavit*; cujus Hiphil usitatum est הֵעִיז, (Heiz,) *congregari*

gregari, Paragogicum *on*, additur in fine. Ratio originis satis manifesta; quia utilitas, seu commodum, congregando, non dissipando acquiritur. *Kenyér*, h. e. *Panis*; est ab inusit. rad. כנר, (*Canar*;) hinc כִּנּוֹר (*Cinnor*,) *cithara.* Unde non sine ratione colligo olim *Canar*, significasse, hominem corroborare & lætificare; Citharæ enim usus est, hominem exhilarando confirmare. At quid magis esurientem hominem confirmare potest, quam panis. (Vid. Psal. 104. vers. 15.) Sicut Sclavorum *Chleba*, vel *Chleb*, (hoc est, *panis*,) jure deduco, ab Hebr. חֵלֶב, *Cheleb*, quod significat non solùm *adipem*, sed *optimum cujuslibet rei*; (sicut revera panis est optimũm omnium alimentorum;) sic nostrum *Kenyér*, evidenti ratione derivo à *kanar*, ex cognatione cũ *kinnor*, (citharæ,) eò quòd confortet cor hominis. *Bor*, Vinum; vel à בָּרָה (Barah,) *Elegit*, *selegit*; item *refecit se*: unde בִּרְיָה, (Birjah) *Edulium*; vel potiùs à ברר, (Barar,) *Purgavit*, *Selegit*. Hinc ברור (Barur,) *purum*, *selectum*, *optimum*. Atque etiam בַּר, (Bar,) *frumentum*, *triticum*, Hebræis. Recte ergo etiam vinum, (ut potus selectus,) inde suam habet originem. *Viz* est *aqua*; à בָּזַז *Bazaz*, vel *Vazaz*, & contracte בָּז, *Vaz*, *diripuit*. Hinc בִּזָּא (vizza,) *direptio*, *præda*. Aquæ enim diripiunt sæpè bona hominum, ipsosque homines; ut in diluvio: hicque effectus, (diri-

(diripere terram,) expresse tribuitur aquis in Scriptura. Isa. 18. vers. 2. (al. vers. 5.) Est etiam, בִּיזָה (Viza,) *uber*, *mamma*, Chaldæis.; sed à priori potius nostram vocem *viz*, derivandam duco.

XIII. *Föld*, h. e. *Terra*; a Chald. ‡פְּלַג, (Phelag,) *divisit*. Unde, mutatâ ultimâ radicali in *d*, fit *Pheld*; vel, ut nos pronunciamus *Föld*. Ita enim apud Arabes, non solùm cum *Gjim*, sed & cum *Dhsal* reperitur ‡פַלְדַא, (Phaladsa,) *Secuit*. Hinc *föld*, quasi divisa ab aquis; vel etiam, ut pro certis portionibus possidentium sumitur, optimè à dividendo deducitur. Inde etiam Germanicum *Feld*, *rus*, suam habet originem. *Pajta*, significans nobis *domum*, *horreum*; item, omnia ædificia intra fundum nostrum septa vel conclusa, est ipsissimum Chald. בּיתא, (Bajta,) *domus*, cum levi mutatione *B*, in *P*. *Réz*, est *æs*, & *cuprum*; ab inusitata radice רזה (*Razah*,) unde Chald. רְוָיָא *robur*, *fortitudo*. *Méz*, *mel*; ab inusitata nunc radice מזז *mazaz*, quasi *fluere*. Hinc descendere *Méz*, (mel,) facilè animadvertimus, ex Arab. *Mazza*, suxit. Unde, *mazzon*, præstantia. *Méreg*, *Venenum*, a ‡מְרַג, (Merag,) *propellit*, *impellit*, *cogit*; eò quòd venenum movet violenter humores in homine, & cogit eum spiritum exhalare. Est etiam מְרַע *Mera*, (vel si rariùs olim usitata potestas ג y adhibeatur, nempe

‡. Lex. Arab. Gol. col. 2221.

pe *gh*, *Meragh*,) *Malè esse*, & *ægrotari*. Unde etiam, *méreg* deduci potest. Præfero tamen priorem derivationem. *Kopha*, (vel *kofa*,) extremè *deformis anus*, quæ vix jam faciem conspicuam habet: quod ipsissimum est Hebraicum קוף, (*Koph*,) *Simia*. *Leány*, est *puella* quælibet; Venit a לְאָה, (ut est forma Chald. Leah,) *Laborat*, *fatigatur*. Unde *Leány*, *puella*, cum paragogico *nun*, duplici ratione deduci potest. Partim quod sexus fœmininus, in hominis procreatione & educatione longè plus laboris quàm vir sustineat; partim quod sit vas tenerum & imbecille, ob idque citò magnis laboribus exhauriatur. Optimè fœmineo sexui ab illa radice posse dari denominationem, ipsum *Lea* (Gen. 29. vers. 16. 17.) nomen ostendit. Posset fortè aliquis illud *leány*, (quod nonnunquam, minùs cultè *lyány* dicitur,) etiam à לן, *pernoctavit*, deducere: sed prior origo, magis congruit. *Atyá*, est Pater: quod Turcis est *Ata*: quamvis *Baba* illis in usu magis vulgari. Descendit â Chald. אֲתָה, (Ata,) *venit*, *accessit*; fortè quod Pater est primum generationis principium, filiorum & filiarum, venientium in Mundum; vel quod ex accessu ad mulierem, Vir fit Pater. Est tamen apud nos, inter plebeos, usitatissimum aliud nomen Patris, nempe *Apa*: quod idem est, cum Chaldaico & Syriaco אַבָּא, *Abba*, sublato dages forti è medio, & *b*, paululùm

lulùm ſono ad *p*, (uti proclivè eſt,) inflexô. Certè & *Aba* olim apud noſtros fuiſſe in uſu, vetera nomina ſatis oſtendunt. *Anya*, mater; ab אָנָה, (anah.) *moeret*; dum nempe parit. *Fi*, vel *Fiu*, eſt *Filius*. Quod derivari puto, vel ab Heb. פֶּה (*Phe*) *Os*, & & *Phi*, *Os* meum, quod filius ſit quaſi *os* Patris: ſive quod ſit quaſi *acies* & *robur* parentum. Illud enim Hebraicum פֶּה, *aciem* quoque ſignificat. Vel à יפה *pulchrum eſſe*, abjecto י in princip. ſicut Hebr. פיה, (*Phija*) Jer. 46. verſ. 20.

XIV. *Gazda*, eſt *Paterfamilias*. Quod ſine dubio, à radice olim exſtante גזד, (*Gazad*) deſcendit. Exſtitiſſe enim olim apud Orientales hujuſmodi radicem, (& ſi hodie in Lexicis, Buxtorfii & Golii, non occurrat,) ſatis apparet ex Arabico *Gizid*, quod erat nomen cujuſdam † *Ducis* Arabum. *Eke*, aratrum: a rad. עוק (Uk,) *preſſit*. Quia terræ imprimitur: vel quià hominem laborantem premit & coarctat. Hinc Chald. *Ake*, anguſtus. *Cſoroſzla*, (ſive *Choroſzla*,) eſt inſtrumentum quoddam in aratro. A חָרַשׁ (charas,) *aravit*, addito in fine paragogico *la*. Item, *ökör*, Bos, ab אִכָּר, (ikkar,) *agricola*. *Mezö*, campus ab inuſitato מָזַז, (Mezaz,) *diffluere* eò quòd diffluat campus

† Hiſt. Miſcel. Lib. 19. (in rebus geſtis, circ. an. D. 671.) pag. 615. & Lib. 21. (circ. an. D. 717.) pag. 671.

pus quodammodo, dum extenditur. Vel etiam, ab alia inuſitata radice, מִזָה *Meza*; unde Chald. מְזִי. (*Mezi*,) *crinis*, *capillus*. Unde *mező*, hâc ratione poteſt derivari, quod herbæ & gramina in eo creſcentia, ſint velut capilli terræ. *Eger*, eſt *mus*; ab אָגַר (Agar,) *comportavit*, *collegit*. Mures enim ſua edulia nidoſque, laborioſè comportant in unum. *Szamár*, eſt *aſinus*; à סָמַר, (Samar,) *horruit*; dictus inde, ob *horridos* pilos, & inconditam vocem. *Loó*, eſt *equus*; vel à לאה, (Laah) *laboravit*; vel à לבא, (Lava,) *cordatum eſſe*. *Gaz*: Segmentum, quiſquiliæ. A, גָּזַז (Gezaz,) *ſuccidit*. Unde Hebr. *Gez*, *fœniſecium*; & *gizjon*, fruſta. *Paſit*, (cum craſſâ *s*, pronuntiatione,) Planus locus herboſus, in quo gramina ſunt exigua. A Chald. פְּשַׁט, (Peſat,) *extendit*. Unde פָּשׁוּט *Paſut*, extenſum, rectum. *Sátor*, Tentorium; a סְתַר, (*Satar*,) *latuit*, *abſcondit ſe*. In tentorio enim, homines ſe recondunt. Hinc סֵתֶר (*Seter*) Hebræis, *latibulum*. *Sereg*, h. e. *Exercitus*; à Chald. שְׂרַג ſive סְרַג; (*Serag*,) *Ordinare*, diſponere: Item, *implicari*; *in propagines ire*. Job. 40. ℣ſ. 12. in Heb. *Harag*, ira, ab הרג (harag,) interfecit. Vel a חרג (charag,) *horruit*; quod rectè poteſt ſignificare etiam, *commotus eſt*, vel *affectus* eſt. *Kö*, eſt *lapis*. Et *Kava*, durior lapis, qualis eſt ſilex. Unde, puto, etiam *Kö*, olim fuiſſe *Köv*, vel coinci-

disse cum *Kava*. Descendit, à קוֹעַ *Kovah*; quod hodie Hebræis significat, *collum*; item, *rostrum* in avibus. Est ergo vis radicis, ut *robustum* & *durum* significet, quale est *rostrum* avium, & multò magis lapis. Ob lapidosa loca, puto etiam Ezech. 23. ℣. 23, quosdam populos קוֹעָאֵי *Koaos* dici. *Mom*, est usitatissimum in multis Hungariæ locis, (imprimis in Comit. Gömöriensi,) pro *hilo*; ut cum dicitur: *Egy mom sincsen*; Ne unum hilum est. Quod etiam est ipsissimum Hebr. מְאוּם (*meum*,) *quicquam*, contractè. *Csuda*, (vel *chuda*,) est *mirum* aliquod; a Chald. חוּדָא (chuda,) *ænigma*. Est ipsissimum planè vocabulum: cujus altior origo est, ab Hebr. חוד / *ænigmatizare*. *Kin*, dolor, cruciatus; a קין (*Kun*,) *lamentari*. *Joó*, est *bonus*, *a*, *um*. ab Hebr. יָאָה (Jaah,) *Pulchrum esse*, *decere*. Kametz contractum est in nostro adject. in Kametz Katuph. *Kegyess*; Pius, a, um; est ferè ipsissimum Chaldaicum קַדִּישׁ (*Kaddisch*,) Sanctus: ubi *d* in medio, ablato dages forti, mutatur in *g* molle. *Kitsiny*, est à Chaldaico & Rabbinico קְטִין; (*Kethin*,) *th*, mutato apud nos in *ts*. Significat autem vox illa nobis, *parvum*, sicut & Chaldæis. *Nemes*, est *Nobilis*, ab antiqua rad. נמס; (nemas.) Unde Chaldæis נימוס (Nimos,) *Lex*, *jus*. Ratio originis clara. Inter nos enim Nobiles & Magnates (sub Rege,) solent jus dicere

populo

populo, & legibus regere Regnum. Hinc & Græc. νόμ☉, Lex. *Fukar*, est *vilis*, *nullius momenti*, *otiosus*, *profanus*; uti Publicani olim: (vid. Hung. Bibl. Matt. 18. vers. 17. & 21. vers. 31. 32.) Venit à פקר, (Phakar,) quod inter alia significat etiam, *vilem* & *profanum* esse; ut in Libro Hebr. *Cozri* † videre est. *Fejér*, est *Albus*, *a*, *um*, *candidus*, *a*, *um*; à פאר, (Pheer,) *Ornavit*. *Fekete* est *Niger*, *a*, *um*; ab antiq. rad. פקט, (Phekat,) *faculentum esse*, seu puritati contrario modo se habere. Hinc Chald. (Psal. 75. vers. 9.) & Rabb. פקטים, (Phekatim,) *Faces*, *Fraces*: Atrori congruens origo.

Pergo jam ad voces Verbi partis.

XV. *Jár*, idem quod *ambulat*, à גָּר, (*Gar*,) *peregrinatus est*; paululùm nempe *g* sonum, mutando in *j*, quod ei est proclive. Inde illud descendere, apparet, quòd in Imperativo, non solùm dicimus, *jarj* & *jere*; sed etiam *gyere*, *veni*. *Kezd*, vel *Kezdi*, *Incipit*; venit ab inusitata radice קזד *Kezad*; unde Rabbinis קזדוד, (*Kuzdud*,) *apparitor*. Quod ostendit, vim radicis fuisse etiam hanc, ut significaret, primò apparere, seu in re agenda, alios antevertere. *Akad*; est *haret*, *hæsitat*, *sistitur*; ab עָקַד (Akad,) *Ligat*; quod est ipsissimum verbum. Est etiam inusitata radix אקד, unde venit

V 2 Chald.

† Pag. 27. ed. Basil.

Chald. אקדואי, (akdoi,) *hæsitatio*; ut ex *Guidone* citat Buxtorfius *. *Zúg*, h. e. *sonitum edit*; est a זוג, (Zauveg,) *copulare*, *lucere*; quod tamen etiam *sonum* significasse olim patet inde, quòd ex eadem radice Rabbinis est זוג, (Zug) *Tintinnabulum*. Cognatum est autem huic, etiam זוע (Zuah,) *commoveri*, *tremere*. *Kér*, & *Kéri*, est *rogat*, *petit*. *A* קָרָא, (Kara,) *vocavit*. *Forog*, vertit se: a Chald. פְּרַג *Perag*, vel *Pherag*, *mutare*: quod enim vertitur, mutat ambitum suum. Hinc etiam *pereg*, (Hung.) quod de rota currûs vel de linguâ dicitur, dum facilè vertitur. *Hadar*, h. e. *tortuosè agitat*, *confusè amovet*; ab Hebr. & Ch. הדר; quod non solum *redire*, sed & *in rotundum redire*, item, *perplexè* ac *tortuosè redire*, significat. *Habar*, est *Confundit*, *miscet*. Ab Heb. הבר, (Habar,) ut est in Libro *Cozri* †, & Venetæ & Basil. ed. הוברים, *Hoberím*; quod ego pro *confusè* & *in caligine* scribentibus, quales fuere Magistri Zabiorum, (de his enim Liber loquitur,) accipio. Hinc הביר, (Habbir,) *caligo*, *tenebræ*. *Hadaz*, est, Manibus *agitat aërem*; vel *vibrat*. Est ipsum Hebr. הדס (Haddes) *Subsilire*, *saltitare*, ס mutatô in ז. Subsilit enim manus id agentis. *Takar*, est *Colligit*; à Chal. תחר, (techar,) *Contrahit*; ח mutato in כ. Inde venit etiam *Teker*, h. e. Torquet, conglomerat. *Ragalmaz*, est *obtrectat*; ipsis-

* Lex. Talm. col. 204. † Part. 1. §. 61.

ipſiſſimum Hebraicum רָגַל *ragal*, in eodem ſenſû *obtrectandi*, cum ſyllaba paragogica *maz*. Item. *Pazarol*, vel *Pazarl*, eſt *diſſipat*, *prodigit*: quod etiam eſt genuinum Hebraicum, פָּזַר (pazar,) *diſſipavit.*

XVI. *Tanit*, docet; à תְּנָא (Tenah,) *docere.* Unde etiam eſt noſtrum *Tanu*, teſtis; quòd ſuo teſtimonio doceat. *Szerez*; parat, acquirit: à Chald. זְרַז, (Zeraz,) *expedire*, *feſtinare*, *ſollicitum eſſe.* *Szórja*, vel *ſzór*; ventilat; a זָרָה, (Zarah,) *ventilavit.* *Ered*, deſcendit, oritur; item, itineri ſe committit. A יָרַד (Jarad,) *deſcendit.* *Terem*, ſignificat *naſcitur*, *producitur*: imprimis de fructibus terræ uſurpatur ſæpiùs. Unde *Teremt*, *Creat.* Puto ejuſdem eſſe originis, cum Hebræo טֶרֶם, (Terem;) *antè*; item *antequam*, *priuſquam.* Hoc adverbium ſatis oſtendit, verbum rerum inchoationem ſignificans, optimè poſſe inde deduci. Atque hinc nobis Creator dicitur *Teremtö*; qui operando anteit omnibus. Benè etiam deducitur à Syriaco, תְּרַם †. *Theram*, h. e. *fecit primitias.* Unde *Theruma*; oblatio ſeparatorum fructuum. *Töm*, eſt *ad plenum implet* aliquid ſolidô; ut cum fovea impletur terrâ, vel ſaccus tritico. Venit, a תָּמַם & contracte תַּם (*Tam*,) *abſolvi*, *compleri*; imò etiam activè, *abſolvere*, *complere.* Hinc aliud verbum Hung. *Temi*, vel uſita-

 -tiùs

†. Guido, in Lex. Syriaco-Chald.

tiùs *Temeti*; *sepelit*; eò quòd fossâ, in sepeliendo, terrâ compleatur. *Vág*, est *secat*. Venit ab eadem radice, à quâ Hebraicum בָּג (Vág,) *portio, buccella. Csôrôg*, (quod est *chôrôg*,) significat, *strepitum edit*, uti folia sicca sylvarum. Venit a חָרַג, (Charag,) *horruit*. Inde est etiam *csorog*; ut cum aqua destillat, cum strepitu. *Zörög*, *pulsat*, v. gr. ligna inter se; vel ambulando supra tectum. Est ab inusitato זרג, *Zerag*: unde Zargon, *propago vitis*, descendit. Sed radicem illam habere etiam significationem tumultûs & strepitûs, satis apparet, ex Arabico זרגון *Zeragon*, (ab eâdem radice,) quod significat Arabibus *tumultum* equorum. *Gázol*, significat *aquam pedibus transuadare*; quod est ipsissimum Syriacum ‡. גָּז gaz, (*transvadavit*,) cum addita syllabâ paragogicâ, *ol*. *Vádol*, est *accusat*. Quod descendit, ab Heb. בָּדָא (Vada,) *finxit*, *mentitus*, & *commentitus fuit*; cum addito parogico, *l*. *Gázol*, in alia significatione, est *dissipat*, manibus vel pedibus, aliquid. Radix est illud ipsum גָּזַל (Gazal,) *rapuit*, *diripuit*.

XVII. *Ballag*, est idem, quod *paulatim incedit*. Venit ab inusitata rad. בלג, *Balag*. Unde in Hiph. est, הִבְלִיג Hiblig, *recreat se*. *Kever*, & *Kavar*, *commiscet* terram, vel furfur, vel quid simile crassum. Item, *conglomerat* aliquid in

‡. Vid. Guid. Boder. Syro-Chald. Diction. ad Lit. Gimel.

in unum. Eſt ipſiſſimum קָבַר *Kavar:* quod Hebræis ſignificat, *ſepelire*. Chaldæi dicunt *Kevar*. Syris * קְבַר *Kevar*, eſt idem ferè quod nobis; nempe, *Coacervare*, *agglomerare*. Plura etiam his ſimilia, tum verba tum nomina, in promptu haberem; niſi majoribus negotiis ab hujus Libelli ampliatione avocarer. Super his dietim, multa noſtri Studioſi Hungari ædificare poſſunt; dummodò ſolidè Linguarum & Antiquitatis ſtudiis ſe ſe addicant. Exerceant & ipſi ſe ſe in talibus. Labor enim aſſiduus omnia vincit. Pergo ad quædam Pronomina & particulas.

XVIII. *E'n*, eſt *Egó*; ab Hebr. אֲנִי *Ani*, idem ſignificante. Syris eſt אֶנָא *Eno*, quod propiùs quoad primam ſyllabam, noſtro *E'n*, accedit. Abjicitur illic *jod*, hic vero *aleph*, cum ſuâ vocali in fine. *Te*, eſt *Tu*, ab אַתָּה *Atta*; abjectâ primâ radicali, cum *dages* in *thau*, & mutatâ vocali *a* in *e*. *O'* vel *ü*, eſt *ille*; ab Hebr. הוּא (*hu*) ſublatâ aſpiratione, & vocali *Schurek*, mutatâ in *Kibbutz*. *Mi*, eſt interrogativum, *quid*. Ab Heb. מָה vel מֶה, (*Mah* vel *meh*,) idem ſignificante. *Az*, eſt particula, quæ vocibus nominis partis, emphaticè præponitur; ut *az ember*. Homo deſignative. Eſt idem quod הַזֶּה (*hazze*) vel אֵיזֶה, (*ezeh*,) Hebraicum, *Hic*, *iſte*; ubi aſpiratione, & ultimâ ſyllabâ ſublatâ, fit noſtrum *az*, vel *ez*. *Illyen*,

* Vid. Lex. Talm. Buxt.

eſt demonſtrativè *talis*, ſive, hujusmodi. Venit, à Chald. אֲלוּ, alu, *Ecce*. Vel propius, à Chald. אִילֵּין (Illen,) *Illi, iſti*. Quod facilè potuit mutari apud nos, in τὸ, hujusmodi: *Ollyan*, Talis, remotè, ſeu, *illiusmodi*. Quod etiam ex eodem fonte venit. *Ben*, & *be*, vel *ban*, & *ba*, ſignificat, *in*; ab Hebraica præpoſitione, in ב (*beth*) vocibus præfixo, incluſâ, idemque ſignificante; ſed hoc diſcrimine, quod nos non præponamus ſicut Hebræi, ſed poſtponamus nominibus. *Jaj*, væ; eſt ipſiſſimum Hebr. הוֹי (*Hoj*) væ, mutato ה in י. *Ho-hó*; vox *admirantis*; ipſum Hebr. הוֹ־הוֹ Ho-ho: *Heu*, *heu*. *Hajja*, ſignificat præcipuè, choreas ducentium clamores, ſe mutuò ad ſtultum tripudium hortantium. Eſt ipſiſſimum Chaldaicum הַיָּא, (Hajja,) *Eja*; *age*. Hæc omnia, à me allata, ſive nomina, ſive verba, ſive pronomina, ſive particulæ, talia ſunt, (ut in quibus ubique ferè omnes Hebræorum radicales ſunt integræ,) quæ ſi quis penitiùs excutiat, animadvertet, impoſſibile eſſe, tot vocabula, (& quàm multa adhuc reperirentur!) casû ſic conſonare vocibus Hebraicis, Chaldaicis & Syriacis, ſed neceſſariò ex ipſa primigenia & antiquâ linguarum cognatione hoc reſultare; ut ejusmodi cognatio vel ſaltem in ruderibus & veſtigiis quibusdam, etiam hodie evidenter apparens, (& quidem longè evidentiùs, quàm ullius

ullius Europeæ,) certum indicium sit, Hungarorum majores olim, vicinos Syris & Chaldæis habitasse; quod & veterum Historicorum celebrium testimonia, de antiquis Scythis testantur. Licet cuilibet Europæo experiri, an tàm facilè & tàm perspicuè tot vocabulorum suæ linguæ, cum Orientalibus consonantiam evincet, uti hîc à me monstratum in lingua Hungarica. Venio ad affixa; de quibus pauca tantùm dicam.

XIX. Affixa Hungarica sunt particulæ, partim nominibus loco præpositionum; partim verbis, partim nominibus, partim etiam præpositionibus vice pronominum, subjunctæ. V. gr. Si volo dicere, *In homine*, dico *Emberben*, vel emphaticè, *az emberben*. Ubi *ben*, est affixum, significans *in*, quod supra innui. *Embertül*, est, *ab homine*; ubi *tül* affixum, idem nobis præstat, quod Latinis *à* vel *ab*. Si ultima syllaba vocis, habeat vocalem, *a*, *o*, vel *u*, jam tunc non *tül*, sed *túl* affigimus; sicut etiam loco *ben* vel *be*, in tali casu, *ban* vel *ba* subjungimus. Item *Szeretlek*; idem est, quod *amo te*; ubi illud *lek*, ex Hebræo, לָךְ & לְךָ, præstat vicem, *te*, cum decurtatione primæ personæ; quæ esset aliàs, *szeretem*, vel *szeretek*; ut determinatè vel indeterminatè, accipitur amor. Et hîc, uti suprà, illud *lek*, erit *lak*, si proximè præcedens syllaba, vocalem *a*, vel *o*, vel *u*, in se habeat. Ut *Vág-*

lak, h. e. *cado te*, vel *ſeco te*. Exempla affixorum in Nominibus. V. gr. *Emberem*; Homo meus. Ubi *em*, eſt affixum pronominis primæ perſonæ. (Dicitur etiam *E'n emberem*, vel emphaticè, *az én emberem*; ſed hoc fit majoris ornatûs & emphaſeos ergò. Ceteroquin, pronomen ſatis exprimitur, in affixo. Idem eſt dicendum etiam de exemplis verborum ſupra allatis; ut cum dico: *Szeretlek tégedet*, quaſi *amo te te*; fit ad pleniorem animi expreſſionem. Ita etiam de ſequentibus exemplis judicandum.) *Embered*; homo tuus. Ubi *ed* eſt affix. ſec. perſ. *Embere*; homo ejus. Ubi *e* breve, (non longum *é*, quod genitivi nota eſſet,) eſt affixum Tert. perſ. Ita etiam, *Szolgám*, *Szolgád*, *Szolgája*; Servus meus; Servus tuus; Servus illius. Vocalis in affixis hîc jam mutatur, ob eandem rationem, ob quam ſuprà in aliis affixis diximus mutari. *Szolga*, (Servus;) ut videmus in *à* definit. Affixa ei vocali congrua ſunt, *ám*, *ád*, *ája*: quæ ubi junguntur cum nomine ſuo, *a* in fine *Szolga*, tollitur, vel potiùs coaleſcit cum vocali affixorum. Ita in Præpoſitionibus etiam, (hoc eſt in particulis, quæ in aliis linguis præpoſitivæ ſunt nominum,) habemus affixa pronominalia. V. gr. *Ról*, *rúl*, *rül*, eſt idem quod *de*, vel *de ſuper*. *Rólam*, eſt idem quod *de me*, vel *deſuper me*. *Rólad*; *de te*; *Róla*, *de illo*. *Rólunk*; de nobis; *rólatok*, de

de vobis; *Rólok*, (vel *Rúlok*,) de illis. Affixa in fine ubique manifesta sunt. Sic, *Reám*, *reád*, *reá*; *Reánk*, *reátok*, *reájok*. H. e. *In me* (Acc.) vel *ad me*, *super me*. *In te &c*. Ubi, præter primam syllabam, illic *Rol*, hîc *Re*, cetera sunt affixa pronominalia.

XX. Hæc & similia affixa, etsi non sunt ipsissima Hebræorum, tamen quia ad similitudinem Hebraiçorum, & aliorum Orientalium affixorum, verbis, nominibus, & aliis particulis subjunguntur, certum & hoc indicium est, linguam Hungaricam, ex officina vel penu Orientalium, propiùs quàm ullam Europæarum, prodiisse. Addito huic argumento; Linguam nostram, longè faciliùs posse legi sine ullis vocalibus, quàm ipsam Hebraicam; quod experientia, vel ludentem me citò edocuit. V. gr. Appono hîc pro lubitû, Psal. 46. ỳs. 1. stropham primam, uti jam canitur secundùm rhythmos & melodias Francicas: *Z stn z m rmnsgnk*. Impossibile est nobis Hungaris, secundùm linguam nostram sub istis literis, & in illo ordine literarum aliud legere, (ut sensum habeat lectio,) quàm id ipsum quod expresse ponitur in Psalterio: *Az Isten, az mi reménségünk*. Deus est spes nostra. Ubi moneo, in medio quidem, loco secundi *az*, propter sequentem consonam, sæpè majoris ornatûs causâ, dicimus *à*, nempe *à mi*; sed cum illud *à*, fit

per

per apocopen ex *az*, ideò placuit mihi exprimere. Principales voces in ſtropha ſunt, *Iſten* & *reménſegünk*; quarum conſonantes, in tali ordine, nexû, & ſitu, ut cum legitimo ſenſu, alias admittant vocales in noſtra lingua, quàm quas habent, impoſſibile eſt. Nullum enim apud nos nomen ſub *ſtn*, aliud occurrit, præterquam *Dei*. Eſt quippiam, quod dicitur; *Eſten eſik*; cadendo cadit; H. e. frequenter cadit. At ibi *eſten*, eſt gerundium verbi cado, *eſem*. Cui vix aliud ſimile invenitur. Nec illud autem uſurpatur ſeorſim, ſed junctim, *eſten eſik*. Dicimus etiam *O'sztön*; ſtimulus; ubi conſonantes ſunt *ſztn*. At multum inter ſe differunt apud nos, *ſ* ſimplex, & *ſz*; cum illud craſſiùs pronunciemus; hoc verò ſit contractio quædam literæ *z*, per leniſſimum ſibilum, literæ *ſ*. Eſt quoque *üſtön*, ſed compoſitum cum præpoſitione, ſignificans *ſuper aheno*. At vel cogitare abſurdum eſt, tale quid hîc connectere cum eo quod ſequitur. Eſt etiam *Satan*, vox earundem (*ſtn*,) conſonantium. Sed præterquam quod illa nobis non propria, ſed adventitia eſt, vox ſequens illico oſtendit, non poſſe hîc τὸ *Satan* habere locum. Eſt porrò hîc & illic etiam diverſitas aliqua literarum apud Orientales; nimirùm שׁת in *Iſten*, ab *Eſta*; & שׂט in *Satan*, à שׂטן, *adverſatus eſt*. Similiter aliud, *rmnsgnk*; nullam ex ſe hîc gignere vocem aliam

aliam ſignificativam poteſt, niſi *reménſégünk*, h. e. *ſpes noſtra.* Quod monſtro hîc de una ſtropha, idem me experientia docet, de integris etiam Libris Hungaricis. (Imo in pluribus, longè faciliùs proceditur, quàm in paucioribus.) Quod ipſum & alter Hungarus, qui habet aliquam ingenii ſolertiam, experietur, ſi voluerit. Occurrunt quidem ſubinde voces, quæ eaſdem cum aliis vocibus conſonantes habent; ſed antecedentia & conſequentia illicò monſtrant, (ſicut in Hebraiſmo,) quam vocem commodè conſonantes illæ admittant. Facilitatem legendi, hoc juvat, quod ejusmodi voces, (earundem conſonantium,) longè pauciores hîc ſunt, quam in Lingua Hebraica: quæ quia eſt mater aliarum linguarum, non mirum quod multa vocabula diverſæ ſignificationis habeat non rarò ſub iiſdem conſonantibus. Ea autem quam hîc adſtruo, noſtræ cum Hebraica Chald. & Syriaca, linguæ affinitas, eò magis pateret, ſi literis Hebraicis noſtra ſcriberemus. V. gr.

אַז אוּר אִשְׁתֶּן אַז אֶן בִּלָגָשָׁגוֹם

Az Ur Iſten az én világoſſágom:

(H.e. Dominus Deus [*eſt*] lux mea, Pſal. 27. ℣. 1. juxta rhythmos.) Ubi omnium vocum origo præter ultimam, è ſuperioribus clara eſt. Ultima autem habens in fine tria

tria accessoria, sine quibus est *Világ*, h. e. Lux, venit ab antiqua rad. בלג / unde חבליג, (Hivlig,) recreare se; lux enim recreat hominem: à qua radice est etiam Arab. בלגתון / (Valgaton,) *Lux*. Jam voci *Világ*, addimus more nostro *os*, & fit adject. *Világos*, h. e. Lucidus, a, um: iterum verò huic *ság*, & fit substant. abstractum, *Világoßág*; h. e. luciditas: *om* autem est in fine affixum prim. person.

XXI. Si quis porrò de casibus, generibus, & aliis id genus in nostra Lingua sit sollicitus; ad ea me hîc pleniùs excurrere non vacat. Hoc tantùm dico. Casus in utroque numero, certas habent suas apud nos terminationes: v. gr. G. *é*, D. *nek* vel *nak*, pro diversitate præcedentis vocalis; Ac. *t*, *et*, *ot*, vel *at*; Ab. *tül*, vel *túl*. Nom. pl. *ek*, *ok*, vel *ak*; quæ additæ Nominat. singulari, formant suos casus. Gen. pl. *é*; Dat. ut in sing. *nek*, & *nak*; Ac. *et* vel *at*; Ab. *tül* vel *túl*; quæ adjectæ Nominativo plur. formant suos casus; Vocativus in utroque numero similis est suo Nominativo: ut in exemplis, *Ember*, *Szeg*, *Matzag*, *Sáfár* & *Ur*, patet. Personæ quoque Verborum distinctas habent terminationes. Ut *Szeretem*, (*Amo*, definitè,) *Szereted*, *Szereti*. Vel *Szeretek*, (indefinitè,) *Szeretsz*, *Szeret*. Item, *Tanitok*, (Doceo, indef.) *Tanitasz*, *Tanit*. &c. Radix ubique est

tertia

tertia Perſona Ind. præſ. Omnes ſeptem Hebræorum Conjugationes habemus; quod ordine demonſtrare facile mihi eſſet: at id non eſt hujus loci. Imò habemus etiam octavam atque nonam. Illam ego voco *Potentialem*, dum adjectione ſyllabæ *hat*, vel *het*, formamus verbum potentiale; ut *Taníthat*; poteſt docere; *Szerethet*; poteſt amare: hanc vero *Neutralem*, vel Neutralium; ut *Mégyek*, eo, *Jövök*, venio; quo refero etiam Verbum ſubſtantivum, *Vagyok*, Sum. Genera Grammaticorum per ſexûs diſtinctionem, nulla agnoſcimus. Obſervationibus longè paucioribus abſolvi poſſet noſtra Grammatica, quàm Hebraica, vel Arabica. Eloquentia tamen linguæ velut naturalis, ultrò & facilimè fluit. Literas otioſas non habemus: poteſtatem ſeu ſonum conſonantium non mutamus; ſed legimus & pronunciamus diſtinctè, maſculè atque articulatè, uti ſcribimus. (Excipe hîc delicatiores quorundam loquendi modos in paucis vocibus, ut, *Szóálok*, vel *Szálok Kiendnek*; pro, *Szolgálok Kegyelmednek*. H. e. Servio V. D.) Sola litera *y*, videtur aliis, quaſi non exprimi integrè a nobis. Sed nos illâ literâ neque indigeremus, ſi molle *g*, *l*, *n*, *t*, (quibus tantùm ſubjungitur,) aliis conſonantibus Orientalibus poſſemus exprimere; ſed cogimur Latinis literis duabus, unam deſcribere. Ut enim jam monui,

nui, *gy*, *ly*, *ny*, *ty*, ſunt apud nos ſingula, una conſonans mollis.

XXII. Oritur jam ex hac Occaſione, aliud Lectori dubium, quod vellet enodatum ſibi eſſe. An nempe habuere olim Hungari in Paganiſmo aliquas literas ſibi peculiares, & quales habuerint? Reſp. Si *Procopio* fides eſt danda, ſaltem partem certam *Hunnorum*, quos ille *Hunnos Uturguros* vocat, (qui etiam pars fuêre aliqua *Ugrorum*,) diſcimus ex ipſo olim penitùs ſine literis fuiſſe. Scribit enim, quòd dum Rex Hunnorum Uturgurorum *Sandil*, (in ulteriori Mæotidis ripa habitantium,) legatos ad Juſtinianum miſiſſet, eò quòd iſte quoſdam *Hunnos Kuturguros* † fugitivos, recepiſſet, (adhuc ante Abarorum adventum,) Legatos ſine ulla Epiſtolâ expedierit. Rationem dat; quia *Hunni* (inquit) *etiamnum rudes planè ſunt literarum, quas ne auribus quidem admittunt, neque eorum pueri, in labore literario adoleſcunt.* Subjicit. *Quapropter omnia Regis ſui mandata, more Barbarico, relaturi erant memoriter Legati illi; qui ubi in conſpectum venerunt Juſtiniani Auguſti, ei dixerunt, ſic ore ſuo, velut Epiſtolâ, Regem Sandilem loqui: „ Olim puer „pro-*

†. Dixi jam *Kuturguros*, eſſe Bulgaros. Procop. De Bell. Gothic. Lib. 4. c. 19. οὖννοι ἀνήκοοί τε καὶ ἀμελέτητοι ἐς τόδε εἰσὶ, καὶ οὐδὲ γραμματικὴν ἔχουσιν, οὐδὲ τῷ περὶ τὰ γράμματα πόνῳ ξυναύξεται αὐτοῖς τὰ παιδία. &c.

„ *proverbium didici, quod jactari audiebam, idque*
„ *ejusmodi est, si benè memini: Pilum quidem,*
„ *ajunt, lupus ferum animal mutare fortasse poterit,*
„ *ingenium verò nunquàm mutabit, abnuente na-*
„ *turâ emendationem. Id ego accepi Sandil, à Se-*
„ *nioribus; obliquè innuentibus, quæ hominibus*
„ *convenient. --- Cuturguri indolem suam Romanis*
„ *brevî probabunt. &c.* Ex hac Procopii relatione, ut & ex aliis certis documentis, hoc ego tantùm colligo, quod magna, imò maxima pars *Hunnorum* fuit olim penitùs illiterata; ideoque ea non multum curavit characteres literarum. Sed quòd tota Natio illa *Hunniaca*, quæ longè lateque patuit olim per Scythiam, (ut superiora ostendunt,) penitùs sine literis fuisset, nullo argumento ostendi potest. Quin aliquomodo contrarium colligo ex eo, quòd *Constantium* quendam, * *Aëtius* Dux Romanorum celebris, ad *Atilam* olim *miserit* in hunc finem, *ut ei in* † *conscribendis epistolis inserviret.* At rationi consentaneum est, ut Rex qui habet Secretariam aliquam domum, & in ea Scribam alienigenam, (qualis erat *Constantius* Atilæ,) is habeat ex suis etiam aliquos, qui alienigenam in scribendis literis dirigant; ejus scripta revideant, examinent: quod fieri secùs non potest, nisi & ipsi contribules ac populares

X Re-

* Priscus, Excerp. De Legat. Pag. 57.
† ὑπογραφέως χάριν.

Regis, aliquam literarum habeant notitiam. Alioqui Scribæ munus inutile esset; vel certè pro lubitu dum vellet, proditorem ageret. An verò olim in altiori ac nobiliori illa antiquitate, quâ etiam *Græciæ* & *Phrygiæ* aliquas partes, nostros quosdam majores possedisse, infra ‡. ostensurus sum, habuerint nostri aliquas literas; sicut id negare non possum, sic certi hîc aliquid, usque dum in tanta hac de re caligine quampiam cum tempore lucem accepero, statuere non præsumo; nisi quòd ex iis, quæ infra * de Prometheo dicturus sum, probabiliter videtur hujus quæsiti affirmatio colligi.

XXIII. Habeo apud me characteres quosdam, à dextra ad sinistram procedentes, cum titulo: *Alphabetum antiquorum Hunnorum*; quos aliquando *Venetiis* acceperam & descripseram, ab amico quodam, qui etiam ut reor, ex occidentali parte Hungariæ eos acceperat. Verùm cum mihi ipsi etiam illi characteres valde adhuc suspecti sint; præsertim ex eo, quod vocales (quas septem habemus,) mixtim ibi inter consonantes recenseantur, ad instar Europæorum; idcircò eorum publicationem, aut certius de his judicium, eò usque differo, donec Deo dante, meliùs de iisdem aliunde edoctus fuero. Sum enim homo, qui super arena, (quantùm per-

‡ Cap. 9. & cap. ultim. item, octavo. * Cap. 12.

perſpicere rem poſſum,) nihil fundare volo. Initiales eorum aliquot hîc apponam, ut vel ex iis, qui fortè ſimiles aliquando viderint, judicent, an hi ſint iidem.

e. *d* *cs* *cz* *b* *A*

Sunt in univerſum numero 34. In iis enim, etiam noſtræ molles, *gy*, *ly*, *ny*, *ty*, diſtinctis charecteribus ſcribuntur, à lit. *g*, *l*, *n*, *t*. Litera autem *y*, omittitur: quia ut jam dixi, ea per ſe non eſt noſtra litera. Noſtræ enim vocales hæ ſunt: *A*, *e*, *i*, *o*, *u*, *ö*, *ü*. Ubi *ü* eſt ipſiſſimum Hebræorum *Kibbütz*: reſpondens ſono Græco *y*, ſi rectè Græcum illud pronuncietur. Has quoque vocales omnes diſtinctæ formæ charecteribus habet, Alphabetum illud memoratum. Ac inſuper, author ejus quiſquis fuerit, rectè vocalem *e*, in duas vocales dividit, ac utrique peculiarem formam aſſignat. Eſt enim illa vocalis gemini apud nos ſoni. Aliquando enim ore quaſi apertiore profertur, ut accedat ſono, aliquantulùm ad *a*; eſtque tunc brevis, ſine accentu ſcripta, hoc modo: *e*. Aliquando verò minùs aperto ore effertur, ut ſono ſuo quodammodo ad *i* accedat; eſtque tunc longa, quæ pingitur cum accentu acuto hoc modo; *é*. Quam tamen prolongationem vocalium, habemus ſubinde, etiam in *a*, *o*, *u*: notamuſ-

musque eas, præcipuè *a*, accentu acuto, tali in casu; at sonus in his, non est à suis brevibus tam manifestè diversus, sicut in *e*, dum prolongatur.

XXIV. Ut jam redeam ad propositum. Certè etiamsi *Hunni* majori ex parte fuerint olim illeterati, & eatenùs rudes; non defuere tamen etiam tunc ingenia illls naturaliter præclara; quod ex diversis gestis & legationibus eorum, luculenter animadvertere possumus. Et hoc testantur etiam hodie illorum posteri, (quod non ut partialista, sed ut candidus veritatis amator dico,) qui ingenium † à Deo & natura excellentissimum planè haberent, ut non esset illis metuendum, se ingenii acumine & subtilitate, ab aliis Nationibus superandos fore, dummodò donum hoc à Deo acceptum, ritè omnes honorarent: justum nempe in rebus ordinem, ac Superiorum disciplinam servarent; & quod caput rei est; illi, qui multos aliquamdiù pro studiis expendunt labores & sumptus, ne in medio, ne dicam principio studiorum, segnescerent, vel omissis solidioribus, circa minora tantùm & infantilia consenescerent; aut certè adversis rebus frangerentur, & à scopo desilirent; quin potius per adversa & prospera

† De *ingeniis* Hungarorum *acutis & excellentibus*, habes testimonium etiam apud hominem *Italum*, Pet. Ranzan. *Epitom.* Rer. Hung. pag. 209.

ſpera, modis omnibus ſe ſe excitarent; animos à recentioribus ſtudiis, ad antiquitates quoque notæ melioris erigerent; atque ſic ingenia ſua ad inſtar aliarum Nationum, ſcribendo & legendo exercerent & excolerent. Tunc videremus, annon ex ipſis quoque fierent, plurimi viri ſolidè docti ac doctiſſimi. Tam præclara enim dantur in pueris Hungarorum ingenia, ut videres illos in Scholis, ad diſputandum (certis diebus,) eâ alacritate progredi paratiſſimos, & expeditiſſimos in lingua Latina, (etiam qui tenerioris ſunt ætatis, non raró ſex vel ſeptem annorum,) quâ milites generoſi currunt læti & audaces, dum tubâ vel ſigno, in aciem evocantur. Nec experireris in tota Europa, pueros, tam promptos, tam felices in loquendo, linguâ Latinâ, quàm ſunt in noſtra Patria, inter omnes, trium Religionum incolas. (Hoc unum pro ornatu, in eorum parte una requiritur, ne *S*, in Latino, perinde ac in ſuo idiomate, craſſè pronuncient.) Luſus eſt pueris noſtris, Literarum ſtudio addictis, Latinè loqui, non ſicut alibi experior; nec putarent noſtri ſuos filios eſſe literatos, ſi linguam Latinam ignorarent. At verò quod dolendum, ubi jam ad altiora progrediendum eſſet, illic ſua ſtudia, plurimi etiam optimæ indolis, penitùs interrumpunt, ac præcedentes ſuos labores ſibi

ferè in totum fruſtraneos reddunt. Hinc eſt quòd Deus, ob ingeniorum ſibi communicatorum dona non honorata, atque etiam ob altiora ſtudia (ſacra imprimis) non seriò captata, nunc filios noſtros ingenioſiſſimos ætate in immatura eripit; nunc aliis horrendis calamitatibus nos undique obruit; ut vel gravitate pœnarum tandem, nos è lethargo excitare, & ſapientiores velle reddere, eventû rerum teſtetur. Utinam vel ſaltem ejus recordarentur, (qui ſua præclara non excitant ingenia,) quod olim pueri tenelli, de literarum, ac præcipue Sapientiæ ſtudio à *Comenio* prolatum, in Scholis didicerunt. *Si principium eſt difficile*; *Medium erit facile*; (ſaltem facilius principio;) *Finis jucundus*. Hæc à me Hungari, qui me amatis, accipite tanquam ab amico & fratre veſtro. Veſtro ubique bono poſt Dei gloriam me conſecravi. Nec volo me, niſi ſoli Deo, Patriæ, & Eccleſiæ Catholicæ, ejuſque membris omnibus, veritatem in Chriſto & pacem amantibus, (ut vires ab alto ſuppetunt,) natum eſſe. Veritatem & pacem amare ac promovere, mihi ſummè eſt cordi: ceterùm, veritati inobſequentes, cœleſti arbitrio relinquo.

XXV. Illud porrò, quod noſtri majores, majori ex parte fuere olim tam illiterati, inculti, & rudes reſpectû aliarum Nationum; tantum abeſt, ut inde vel minima Nationi

jam

jam Christianæ possit aspergi macula, ut potiùs inde petatur ineffabilis Divinæ erga nos, (supra alias Gentes olim sapientiores,) bonitatis argumentum, quòd ex tam illiteratis & rudibus, jam sensibiliter cœpit facere sapientiores; * *nec deseret Dominus opus manuum suarum* in ea Natione, quam per varios casus & tot discrimina rerum, in stuporem certè omnium qui hæc ritè considerant, inter Christianos tandem, Christianam & ipsam factam, in Terra bona, residere fecit. An Gothis, Wandalis, Turcis, & similibus, Europæ, Asiæ, & Africæ antiquis vastatoribus sic fecit? Scio benè Gothos & Wandalos, passim grassantes, successû temporis, (ut & Longobardos,) Christianos fuisse factos; sed eventus ostendit, Deum noluisse illos peculiare de suo nomine habere Regnum, saltem diuturnum; sed Nationibus à se priùs oppressis, intermisceri, & ab iis velut absorberi. Pergo jam ad Nominum quorundam, origines investigandas & detegendas.

* Psal. 138. vers. 8.

CAPUT VIII.

In quo, *primùm vera Nominis* Hunnorum *origo detegitur, ab Hebr.* חנה. *Firmant hanc originem Hungarica*, Hunnyó, *seu* Kunnyó; (*unde* Hunnyós, Kunnyós,) *item*, Húnni. *Idioma* Hungaricum, *cum* Hunniaco *&* Abarico *idem.* Chones, *Oenotri ex Arcadia profecti in Italiam, socii, iidem qui* Hunni, *seu* Chuni. *Italiæ pars olim ab his* Chonia *dicta. Hoc nomine, non ab Urbe suâ Italica denominata.* Chaones *&* Aones *ejusdem generis populi cum* Chonibus. Chones *ab Hercule* Chone *nomen sumsisse dicuntur, apud Etymologici M. authorem.* Chone *non est* Chna *à* Chanaan, *sed á* חנה. *Verius illud de Parente* Chonum, *quod est de* Chaone *apud Virgilium. Itur dedeinde, ad* nominis Hungarici *originem. Nomina*, Hungari, Onoguri, & Hunoguri, *sunt ex eodem fonte, ab* Huno, *&* Gur. *Fuisse olim aliquos, qui* Guri, Gurim, *vel* Gurin *dicebantur, ex Strabone &* Guriensium *nomine, colligitur. De* Guræis *India. Quid* Bahram Ghur? *Nomina*, Ugori, Ugri *&* Ogor, *sunt contracta ex* Hunoguri. Ogor *male* Agar, *apud* Photium. *Paraphrasta Chaldæi Psalmorum, ætas, Jonathane longe recentior, ex Psal.* 83. ℣. 7. *patet, ubi* Hungarorum *meminit.*

In-

Inter Nomina, primum locum teneat nomen *Hunnorum*, vel Hunorum. *Huni*, ut jam notavi, à veteribus ſæpe vocantur *Chuni*; & quidem rectiſſimè. Derivatur autem illud nomen, ab Hebr. חָנָה (Chana,) *caſtrametari*, *diverſari*, *commorari*: quæ involvunt in ſe, *peregrinari*, ac non habere fixam ſtationem. Hinc Participium, חונים *Chonim*, (ſive Honim,) *caſtrametantes*, *diverſantes*. Quod idem eſt à parte rei cum voce *Chuni*; cum nullam hic differentiam, ſoni *o* & *u* tenuis in talibus diſcrepantia, faciat. Dictos autem ſic fuiſſe *Hunnos*, partim ex mutatis ſubinde ſedibus, partim ex habitatione in *tuguriis*, velut *tentoriis caſtrenſibus*, ipſe ſtatus veterum Scytharum, luculenter ſuadet. Verùm præter has rationes, poterat & hæc eſſe; quod aliquis vel aliqui e primis hujus proſapiæ progenitoribus, fuerint caſtrorum dirigendorum peritiſſimi, & ſubinde in Caſtrenſibus *tentoriis*, vel *tuguriis* manentes; vel etiam peritiâ ſtruendorum *Tuguriorum* alios ſuperantes. Eſſe autem hoc nomen, *Hunnos*, vel *Cunnos*, in ratione ad ſuperiores congruâ, antiquiſſimum Hungaricum, quod etiam hodie cum exigua unius literæ emollitione, verè Hungaricum eſt, (licet primâ fronte vix appareat,) irrefragabiliter ſic oſtendo. Nos Hungari *tugurium* in vinea, vel quocunque in loco, vocamus *Hunnyó*, ſive *Kunnyó*, æquè

utroque nomine; in ipsis quoque Bibliis Hungaricis Isa. 1. ℣s. 8. pro Hebraico סֻכָּה, reperitur *Kunnyó.* Ipsi quoque milites Hungari Castrenses, qui non possunt pretiosa habere tentoria, sed ex frondibus arborum, suisque penulis & ceteris tegumentis, sibi faciunt parva tabernacula sive tuguria, vocant ea, ipso eodem nomine, *Hunnyó* vel *Kunnyó.* Viles quoque domunculæ apud nos, sic vocantur. Unde subjuncto *s* in fine, pro exigentia nostræ linguæ, fit adjectivum *Hunnyós*, vel *Kunnyós*; h. e. habitans in tentoriis, vel tuguriis. Scythas autem, tùm in castris, tùm in pagis vel oppidis, ob patriæ suæ infelicitatem, in *Tuguriis* potius quàm in Tentoriis majoribus (nobis *Sátor* dictis,) & quàm in domibus firmè præparatis, maximâ ex parte commoratos fuisse, superiùs narrata † evidenter ostendunt. Unde apparet, genuinam fuisse rationem, Hungarorum tùm veteri statui, tùm antiquæ & hodiernæ eorum linguæ congruam, cur *Huni*, *Chuni*, vel *Hunni* vocarentur; sicut omninò partem eorum, nos ipsi in hunc usque diem vocamus *Cunos*, ut jam alibi * dictum.

II. Optime sanè hæc denominatio consonat etiam veteri ac generali *Scytharum* nomini. Quod eo magis perspectum habebimus, si notemus, verbum Hungaricum *Húnni*, (in infi-

† Supr. Pag. 35. 36. & 78, 79. * Supr. pag. 275. 276.

infinitivo,) habere in hunc usque diem apud nos, etiam significationem *tegendi*; quod cum Hebraico סכך / unde suprà originem Scythici nominis deduximus, optimè convenit. Dicimus enim nos, cum aliquem claudere oculos, h. e. palpebris tegere, jubemus: *Húnd bé à szemedet.* Quod propriè est, ex primæva sua origine: *Involve*, seu *tege oculum.* (Pro, *oculos.*) Sic in tertia persona Indic. præsentis: *Bé húnnya à szemét:* H. e. *Tegit*, vel *involvit oculum.* Ubi particula *Bé*, nihil aliud significat, quam *in*, vel *introrsum*, ut nempe verbum illud faciat compositum. Atque hinc nostris lusus quidam puerilis, vocatur *Húnyó*; eo quod unus è pueris, (vel una è puellis,) obligatis atque tectis sibi oculis, quærit socios sui lusûs; atque tactus ab aliquo, quæsitusque quis plagam ei dederit, clausis oculis divinatur, quem nominare debeat. Nec miremur, Hebraicum *Chana*, etiam tegendi significationem olim habuisse. Nam si חָנוּת, *Cellula*, *hospitium*, *diversorium*, ab eadem radice descendit; cur non idem verbum, apud alias præsertim Nationes, etiam *tegendi* significationem habere poterat? *Cellula* enim ac *hospitium*, non aliâ ratione videtur dici *chanut*, quam quod sit locus *tectus* & *opertus*, pro quiete aliqua, rerum & personarum. Sic jam hæc significatio nostri verbi, etiam superiorem de *Hunnyó* atque *Kunyó*, h. e. Tugurio, insigniter

gniter illuſtrat. Ipſa autem vera nominis *Hunnorum* origo, ex fonte quidem Hebraico, ut remotiore, at ut propiore, ex Hungarico hîc detecta idiomate, evidenter arguit, *Hungaricam* Nationem eſſe verè *Hunniacam*; ipſumque idioma Hungaricum, (ſi temporum decurſû, factas quaſdam, ut & in aliis fit, mutationes exceperis,) re ipſâ, cum veteri *Hunniaco* idem eſſe. Alia etiam paſſim in ſequentibus, † attento lectori idem ſuadebunt: quibuſcum etiam præcedentia ‡ quædam conferenda ſunt. Et cum *Abares* quoque fuerint veri *Hunni* *, ſequitur quod etiam cum Abarico, *Hungaricum* idioma, idem ſit ac fuerit.

III. Porrò cum legam apud veteres, populos quoſdam Arcadiæ (vicinæ Argivis in Peloponneſo,) vetuſtiſſimos, comites Oenotri in Italiam, (circa ann. ante. nat. Chriſt. 1542. cum adhuc Iſraëlitæ eſſent in Ægypto,) dictos fuiſſe *Chones*, & facilè perſpiciam eandem eſſe originem Grammaticam *Chonum*, quæ eſt *Chunorum*; [quid enim aliud eſt τό *Chones*, (χῶνες,) quàm quod Hebræis חונים *chonim*, (caſtrametantes,) eo modo, quô à *Javan* & *Jevanim*, formatum eſt Græcis, (adhuc

† Vide infra originem nominis *Athila*, Cap. 12. ſub initium. Et aliorum quorundam ibid. Item nominis Hunnivar. Cap. 13. ‡ Supr Cap. 5. §. 8. 10. 11. 14. 15. 20. Et Cap. 6. §. 4. 5. 15. 16. 17. 18. * Supr. Cap. 5. §. 14. 15. 16.

(adhuc majori flexione,) *Jones*?] hinc non temerè sumsi mihi occasionem cogitandi ac disquirendi, annon iidem *Chones* fuerint nostroquirum *Chunorum* proximi progenitores, à quibus & nomen suum acceperint? Nec enim putandum est, omnes ex Arcadia *Chones*, migrasse cum *Oenotro* in Italiam; sed ut semper fit in ejusmodi expeditionibus bellicis, aliqui, vel etiam multi, in prioribus quoque suis sedibus remanserunt. Sed testimonia huc spectantia audiamus. De Oenotri in Jtaliam profectione, sic Pausanias scribit: *a.* Οἴνωτρος δὲ τῶν παίδων νεώτατος Λυκάονι τῶν ἀρσένων, Νύκτιμον τὸν ἀδελφὸν χρήματα καὶ ἄνδρας αἰτήσας ἐπεραιώθη ναυσὶν ἐς Ἰταλίαν, καὶ ἡ Οἰνωτρία χώρα τὸ ὄνομα ἔσχεν ἀπὸ Οἰνώτρου βασιλεύοντος. *Oenotrus autem natu minimus filiorum Lycaonis*, (Regis nempe Arcadiæ,) *pecuniâ & viris á fratre Nyctimo petitis, classe in Italiam transiit; à quo fuit ea* (in qua consedit,) *terra, de Regis nomine Oenotria denominata.* Jam verò supra etiam tempus regni Parentis ejus indicavit, dum dixit se *arbitrari, eâdem ætate & Cecropem Athenis, & Lycaonem* in Arcadia *regnasse*. (Primum nempe Cecropem intelligendo.) Atqui *Cecrops*, *b.* secundùm Chronicon Marmoreum, regnavit Athenis, annis

a Pausan. in Arcadic. seu Lib. 8. pag. pag. 458. ed. Hanov. 1613. *b* Vid. Marmora Arundell. & Oxon

annis circiter 1581. ante natum Christum; secundùm Eusebii autem Chronicum, annis 26. citeriùs; h. e. annis circiter 1555. ante natum Christum: huic autem computui, non sine fundamento, illum qui est in marmore, ut longè vetustiorem, præfert doctissimus *Marshamus*. c. Unde si filium Lycaonis natu minimum, ad minus 39. annis ponas seriùs venisse in Italiam, quàm Cecrops Athenis regnare cœpisset; incides in annum ante Nativitatem Christi 1542. quô circiter tempore, *Oenotrus* profectus est in Italiam. Hæc de *Oenotro* præmittere debebamus, ut iis, quæ de *Chonibus* aliunde dicturi sumus, lucem subministrent.

IV. De *Chonibus* autem & *Oenotris*, ab Oenotro denominatis sic Strabo scribit: *d.* πρὶν δὲ τοὺς Ἕλληνας ἐλθεῖν (ἐς Ἰταλίαν,) οὐδ' ἦσαν πω Λευκανοί· χῶνες δὲ καὶ Οἰνωτροὶ τοὺς τόπους ἐνέμοντο. *Antequam in Italiam Græci venissent, nulli erant Lucani, sed* CHONES & *Oenotri loca ea possidebant.* Et aliquanto infrà hæc tradit: *e Antiochus in opere quod de Italia conscripsit, hanc Regionem ait Italiam appellatam fuisse; priùs autem dictam fuisse Oenotriam. – Apud vetustiores autem ait eos tantùm Oenotros ac Italos fuisse habitos, qui intra Isthmum si-*

pag. 159. & Notas Lydiati, in illud Marm. pag. 13. & sequ. *c* In Canon Chron. pag. (mihi) 328. edit. Lips. *d.* Geogr. Lib. 6. pag. 253. ed. Par 1620. *e.* Pag. 254. & 255.

siti, versus fretum vergerent Siculum. Successu vero temporis, ait Italiæ & Oenotriæ nomen fuisse propagatum usque ad Metaponticam, & Sirenitidem Regionem. Subjicit illicò: οἰκῆσαι γὰρ τοὺς τόπους τούτους Χῶνας, Οἰνωτρικὸν ἔθνος κατακοσμουμένον, καὶ τὴν γῆν ὀνομάσαι Χωνίην. *Habitasse enim ea loca CHONAS, GENTEM OENOTRICAM, satis compositam, territorioque nomen CHONIÆ, fecisse.* In his videmus, *Oenotros* & *Chones* Antiocho & Straboni non nisi ut generale & speciale, vel ut totum & partem inter se differre; ita ut *Chones* sub *Oenotrico* nomine comprehendantur: dictos autem fuisse *Chones*, etiam *Oenotros*, à Duce ipsorum *Oenotro*; qui tamen ante suum quoque in Italiam adventum *Chones* vobabantur, atque etiam parti Italicæ terræ, nomen *Choniæ* dederunt. *Chones* enim potiùs terram Italicam à suo nomine denominasse, quàm ipsos ex nomine terræ vel Urbis Italicæ denominatos fuisse, perspicuè innuit in allegatis verbis *Antiochus* † Syracusanus: quod argumento est, eos jam ante suum in Italiam adventum, hoc nomen habuisse.

V. Atque hisce lucem infert illud, quod jam magnus *Casaubonus* ex Aristotele de *Chonibus* annotavit. *f. Philosopho* (inquit) *Chones Oenotrorum pars sunt.* ἦσαν δὲ (inquit Aristoteles,) χῶνες Οἰνω-

*Casaubonus ex Hesychio & Stephano, legit χώνην. † Floruit hic annis circiter 415. ante nat. Christum. *f.* Casaub. in Not. in Strab. Lib. 6.

Ο᾽ινωτροὶ τὸ γένος. (h. e. Chones sunt Oenotri quoad genus:) *eósque ait obtinnisse τὰ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν, καὶ τὸν Ἰώνιον.* (h. e. *ea, quæ ad Japygiam & Jonium sunt.*) Cum autem ex populis cum *Oenotro* profectis in Italiam, soli *Chones* distinctè nominentur, illorumque nomen in hunc usque diem in scriptis veterum perduret, reliqui autem, sub generali *Oenotrico* nomine implicitè tantùm comprehendantur; hinc obvium est colligere, *Chones* fuisse præcipuos expeditionis *Oenotri* socios. Est etiam apud Stephanum de Urbibus, χώνη, *Chone*, nomen Urbis Italicæ, ab his *Chonibus* olim fundatæ: habetque illud ex Strabone; qui etiam ex Apollodoro meminit illius Urbis, (*Chonin* nominando,) dum de Chonibus agit. Quòd autem uterque post Apollodorum, scribunt Gentem ab Urbe illa *Chones vocatam fuisse*; id quoad rei veritatem non ita intelligendum est, (quicquid illi privatim opinati sint,) quasi ante conditam illam Urbem, Gens hæc penitùs caruisset hoc *Chonum* nomine; sed quod in Italia, ad singularem ab aliis *Oenotri* comitibus distinctionem, hanc Urbem, vel à Nationis, vel forte etiam Ducis nomine vocatam, condiderint; ut inde ejus Urbis & Tractûs ad eam pertinentis incolæ, peculiariter dignoscerentur esse *Chones.*

VI. Quod porrò doctissimus Casaubonus censet cum aliis viriis eruditis, Aristotelis locum,

cum, in quo pro χῶνες, (*Chones*,) legitur χάονες, (Chaones,) ex Strabone corrigendum esse, legique debere χῶνες; ego potiùs existimo, etiam apud Aristotelem rectè legi χάονες pro *Chonibus*. Idem placet etiam *Ryckio*. *g*. Non enim videtur ullo certo argumento, *Chanoes* & *Chones* toto genere diversas Nationes fuisse, etsi etiam Strabo putaverit eos distingvendos esse. Sed quia hìc illo modo, ibi vero aliò, ejusdem Nationis nomen diversi homines pronunciarunt; & quia *Chaones h*. in *Epiro* propiùs ad Illyridem, *Chones* autem in *Arcadia* primùm, ac deinde in Italia sedes habuerunt, (non nimis sanè dissiti ab invicem,) ideò hæc pars ejusdem Nationis, dicti sunt *Chones*, alia vero *Chaones*. Nemo miretur hanc mutationem, & sub hac exigua qualicunque mutatione, populos ejusdem lingvæ & Nationis censeri, cum sciamus nomen antiquissimum Græcorum à *Javan*, nunc fuisse *Jones*, nunc verò *Jaones*. Imò censeo ego, etiam *Aones i*. apud Strabonem, *Bœotiæ* antiquissimos populos, genere & cognatione, atque etiam nomine eosdem esse cum *Chaonibus*, & per consequens etiam *Chonibus*; sublatam autem esse asperam in χ aspirationem in nomine *Aonum*, eodem modo, ut in nomine *Uniaco* à multis est sub-

Y lata;

g. Differt. de prim. Ital. Col. c. 4. sub fin. *h*. Vide Srab. Lib. 7. p. 323. *i*. Strab. Lib. 7. p. 321. & L. 9. p. 401.

lata; licet à multis, secundùm radicis requisitum dicerentur *Chuni*. Et sanè antiquissimis etiam temporibus, usitatum fuisse apud quosdam, ut nomen *Uniacum*, sine aspiratione (saltem asperiori) pronunciaretur, ostendit vetustissimum oraculum de *Unia* (h. e. Hunniaca) tribu, ex Ammiano jam suprà relatum. Cujus oraculi antiquitas & locus (*Chalcedon* nempe,) in cujus muro asservatum fuit, nos monent, ne miremur, quod ab ipsis planè *Chonibus*, Græciæ quidem partem, (antequam migrarent in Italiam,) incolentibus, non tamen Græcis Natione, petamus Originem nostrorum *Hunnorum*. Si quis dubitat, quomodo *Hunnorum* majores in Arcadiam, Epirum, & Bœotiam olim migraverint, is legat varias olim gentium Barbararum migrationes apud Strabonem & alios; legat diversas in diversas mundi partes, Scytharum & *Amazonum* expeditiones antiquissimas; non amplius dubitabit, quo pacto olim Hunnorum majores, ex primis suis sedibus, nempe a fluvio *Araxe* & *Thermodonte*, pervenerint in memoratas Græciæ partes; sic interim, ut pars eorum etiam *Scythiæ* aliqua loca teneret. Porrò de *Chonibus*, qui sedem aliquamdiu in Italia fixerant, memorat & hoc Strabo, k. quod iidem demùm à *Samnitibus* superati sunt, & in eorum locum *Lucanorum* Coloniæ introductæ:

k. Lib. 6. pag. 253.

ductæ: quod adhuc ante bellum Trojanum contigisse, ex eodem Strabone perspicuè colligitur. Inde ejecti, poterant sine dubio, in Orientali latere Maris Adriatici, loca iterùm sibi quærere.

VII. Si certi alicujus & singularis Herois nomen hîc quispiam requirat, à quo *Chones* & *Chuni* (seu Hunni,) fuerint primùm denominati; non alium hactenùs possum nominare, (præter *Chaonem* Virgilii mox memorandum,) quàm eum, quem jam pro parente horum *Chonum* Italicorum, ex magni *Etymologici* auctore annotavit Thomas de *Pinedo*, his verbis: *k. Ex magni Etymologici auctore in* χῶνες *didici, sic vocatam fuisse gentem Italicam*, (hanc nempe. quæ *Chonum* nomen gessit,) *à Chone, i. e. ab* Hercule, *quem Ægyptii sua linguâ sic vocabant.* Quis tamen ille fuerit, & quæ olim gesserit, mihi nondum est compertum. Hoc unum scio, quod nostri tanquam ex traditione tenent, singularem olim fuisse personam *Hunnor* †. unà cum *Magor*, è quibus *Hunni* & *Magari* nostri

 sunt

k. Not. in Steph. de Urbib. ad Χώνη. pag. 725. Conf Phavorin. in voc χῶνες, ubi scribit, τὸν ἡρακλῆα φασι κατὰ τὴν Αἰγυπτίων διάλεκτον χῶνα λέγεσθαι; παραγενεῖσθαι δὲ εἰς Ἰταλίαν. καὶ ἀπ' αὐτοῦ χῶνας ονομασθῆναι τὸ ἔθνος. † Nota; Si quis tali nomine è nostris olim vocatus fuerit, *Hunnos* potiùs, (h.e. *Hunnyós*,) nostrâ linguâ hodie diceretur, quam *Hunnor*.

ſunt propagati. Jam ſicut in principio hujus capitis innui, ita nunc etiam dico, non eſſe improbabile, quòd aliquis inter antiquiſſimos majores noſtros, fuerit multifariâ peregrinatione, & caſtra dirigendi, ac etiam tuguria faciendi peritiâ inſignis; qui potuit dici *Chone*, (in participio *kal*, verbi חנה) h. e. *caſtrametans*, vel *tuguriorum aptator*, *diſpoſitor*; à quo reliqui, ejus partim poſteri, partim ſocii & conſanguinei, poterant nominari *Chonim*: vel *Chones* & *Chuni*. Meminit Herculis illius *Chona* ſeu *Chone* Ægyptiis dicti, (à quo *Chonibus* Italiæ nomen fuiſſe legitur,) etiam celeberrimus ac doctiſſimus *Huetius* *l.*; qui conjicit illud *Chone* ex *Chanaan*, ſicut & *Chna* apud Sanchoniatonem, corruptum eſſe; ut ſic *Hercules* ille fuerit *Tyrius*, ideoque *Chananæus*, & per conſequens re ipſâ *Joſue*. Verùm concesſô ſanè, quòd multa *Joſuæ* geſta in hunc vel illum Herculem fabuloſum à Græcis aliiſque fuerint tranſlata; hoc tamen nomen, non dubito rectiùs à חנה *Chana*, undè & τὸ *Chonim* vel *Chones*, ultrò videtur fluere, deduci, quàm ex כנעני / *Chenaani*, detortum eſſe.

VIII. Quicquid interim ſit de Hercule *Chone*, puto clarius id eſſe in noſtrum ſcopum, quod de origine *Chaonum*, h. e. *Chonum* Epiri, prodidit Virgilius: *m.*

--- *Regno*-

l. Huet. Demonſt. Evangel. Prop. 4. c. 14. pag. 281. & 282. ed. Amſtel. *m.* Æneid. 3. verſ. 333.

--- Regnorum reddita cessit,
Pars Heleno †; *qui Chaonios cognomine campos,*
Chaoniamque omnem, TROJANO à CHAONE dixit.

Chaoniam ergò & *Chaonios*, (sive *Chaones*, vel *Chones*,) à *Chaone* quodam Trojano nomen accepisse, Virgilius docet: quem ego sic intelligo *Trojanum* fuisse; non quòd post conditum à Dardano Regnum Trojanum, vixisset, sed quia in ea Regione vixit ante Dardanum, in qua post Dardanum, hoc nomen (*Trojanum*) deinceps auditum est. Erat scilicet homo Asiaticus, origine Scytha, propinquior aliquanto pristinæ suæ sedi ad Araxem, quàm qui olim in Græciam, ex ejus popularibus migraverant: atque ex hujus posteris & consanguineis fuere illi, qui in Epiro *Chaonum*, in Arcadia & Italia *Chònum*, in Boeotia verò *Aonum* nomine olim venêre. Fuisse verò quondam celebrem aliquem virum, *Chaon*, vel *Chone* dictum, in Regione *Trojana*, à quo etiam populus aliquis denominatus sit; suadere nobis videtur, vetustissimum de *Unia*, h. e. Hunnica, vel Chonia *tribu* oraculum, in Urbe, Trojanis ferè vicina, *Chalcedone*, eaque à *Megarensibus* * conditâ, diù asservatum, *n.* & ab *Ammiano* ad posteros transmissum. Cum autem

334. 335. † Priami filio. * Strab. Lib. 7.
n. Vid. Sup. c. 3. §. 13.

tem innuimus hîc *Chonum*, ſeu *Chunorum* & *Hunnorum* majores olim in Regione Trojana habitaſſe; non negamus etiam *Turcarum* præſertim majores; aliquos item *Thraces*, *Sclavos*, & aliquos *Celtarum* populos, iiſdem junctos, ibidem reſediſſe; quin potius ſubintelligimus.

IX. Venio ad aliud noſtrum nomen, quô à Latinis aliisque, *Hungari* dicimur. Unde verò hoc nomen originem trahat, non multô labore aſſequemur. *Hungari* enim idem ſunt, quod *Huno-gari*, vel *Onoguri* & *Hunoguri*; ut apparet ex Priſco, Jornande & Agathia: quorum teſtimonia in hanc rem, jam in ſuperioribus, *o.* produximus. *Huno-gurus* autem, (h. e. Hungarus,) ex *Huno* (ſeu *Chuno*,) & *Gur*, duabus nempe vocibus, coaluit in unam. *Hunorum* nominis originem veram, jam dedimus. Alterum autem vocis membrum, ab eadem radice venit, à qua ſequenti capite, τὸ *Magyar* deducemus; videlicet à גר, (Gar,) *peregrinatus eſt*. Unde etiam particip. præſens *Kal* eſt *Gar*, peregrinans, & *Garim*, peregrinantes. Participium autem præt. ejuſdem *Kal*, eſt *Gur*, qui *peregrinatus* eſt. Hinc facilè à vicinis Scythiæ Nationibus Orientis, (à quibus hoc nomen eſt compoſitum,) poterat, ſive τὸ *Gar* mutari in *Gaur*, ſive ab antiquo τὸ *Gur* uſurpari, idque paulatim

o. Sup. c. 5. §. 7. 8. 9. 10. 11.

tim flecti in *Gor*, vel *Gaur*, (ficut hodie etiam Turcæ nos non tantùm *Magyar* vocant, fed fæpiùs *Gaur*, vel *Caur*; unde, alias quoque Nationes Chriftianas, fic nominant;) atque exinde nomen componi cum fuperiori, *Hunus*, ut effet, *Huno-guri:* quod à recentioribus tandem Latinis, fono quafi elegantiore, dictum eft, *Hungari*; quod ex fontibus fuis, fonat, *Caftrametando-peregrinantes*; vel, *in tentoriis peregrinantes:* hîc verò propiùs ad fcopum; *Ex Hunniaca profapia peregrinantes*, vel *venientes.* Fuiffe autem etiam divifim pofterius membrum nominis, τὸ *Gur*, olim à quibufdam in iis Scythiæ tractibus, in quibus pars *Onogurorum* habitârunt, ufitatum, facilè ex Strabone colligitur: qui *p.* Γουρανίους καὶ Μήδους, *Guranios* & *Medos* conjungit, tanquam vicinos; quibus propinquos fcribit habitaffe quofdam *Thracas crudeles* fupra Armeniam. Hos *Guranios* à Græcis hâc flexione enunciatos, non alios poffumus dicere, quàm quos alii in iis partibus *Gurim*, vel *Gurin*, (unde *Guran* & *Guranius*,) vocabant. Atque hinc in hunc ufque diem manfit apud quofdam, *Gurienfium* ad Colchidem nomen; ut ex *Iberica* Fr. Maggii *Grammatica* perfpicuè patet. Lego enim illic *q. Gurienfium & Colchianorum Epifcoporum* mentionem. Quòd lingua eorum hodie

 alia

p. Strab. Geogr. Lib. 11. pag. 531. ed. Par. 1620.
q. Pag. 49. ed. Rom. 1643.

alia est, quàm Hungarorum, hoc nostro nihil obstat instituto. Ut verò obiter moneam; etiam in India, eâ parte quâ vicinissima est Scythiæ, fuisse olim quosdam populos *Guræos* r. dictos, notum est Geographiæ peritis. Cur autem veteres quidam circa Mediam & Colchidem, divisim etiam vocaverint *Huno-guros*, *Guros*; hanc invenio rationem; quia originem nominis *Magyar*, (de qua infra,) benè noscentes, contractius illud per *Gur*, (pro *Mager*,) juxta suam dialectum efferebant. Ex his puto lucem affulgere etiam cognomini cujusdam Regis Persarum, † *Bahram GHUR* dicti; (qui vixit temporibus Theodosii Junioris, & Athilæ initiis;) cujus vera origo, ut *Schickardo* * Viro doctissimo, fatente ipso, fuit ignota, sic nec Celeberrimo *Hottingero* ad meritum rei detecta. Cum enim inter tot Persarum Reges ab *Hottingero* post Schickardum aliosque, recensitos, hic solus constanter *GHUR* cognominetur; (nempe *Bahram Ghur*;) validè hinc conjicere possumus, hunc vel è Matre aliqua *Hungarica* fuisse natum, vel *Hungaris*, h. e. *Onoguris*, (regnante tunc & florente *Athila*, non solùm in Europa, sed & in Scythia

r. Vid. Arrian. de exped. Alexand. Lib. 4. p. 299. ed. Amst. 1668. apud quem etiam *Thyræos*, p. 292. pro *Guræis* accipio. † Vide Hotting. Hist. Oriental. pag. 172. 173. ed. Tig. 1660. * Apud Hotting. (ex ejus Taarich Persic.) loc. cit.

Scythia Asiatica,) multùm favisse, & fortè eorum etiam mores & consuetudinem habuisse; ob idque *Bahram Ghur*, hoc est, *Bahram Ungarum*, dictum à Persis fuisse.

X. Nomina etiam *Ugori* & *Ugri*, sunt tantùm contracta ex *Uno-guri*, seu *Huno-guri*; quod apparet ex eo, quòd Græci, *Cedrenus* & *Zonaras*, illo jam tempore, quo dudum invaluerat nomen Latinum *Ungarorum* in Occidente, vocârunt *Hungaros* contractè Οὔγγρους, h. e. *Ungros*: unde *n* Latinorum, vel præcedens *gamma* Græcorum, facilè potuit quibusdam excidere, ut dicerent Ungaros, *Ugros*. Nomen *Ogor* quod attinet; posset videri primâ fronte, ex articulo ὁ, & voce Γώρ, pro γὺρ, coaluisse in unum; ut quod priùs dicebatur ὁ Γώρ, demùm conjunctim dictum sit, Ὀγώρ, *Ogor*; (sicut etiam τὸ Ὠγύγης, *Ogyges*, quidam ita coaluisse censent;) quod sanè non penitùs omni caret probabilitate, quin aliqui Græcorum etiam eâ formâ olim nomen illud dixerint, ac deinde alii articulum & nomen in unum confuderint. Verùm probabilius adhuc mihi videtur, id quoque ex *Unogori*, vel *Ono-gori* contractum esse. Nam Οὔγωροι *Ugori*, apud Priscum, (sic enim legendum hoc esse, superiora *f.* nos docent,) & Οὐϊγύροι *Viguri* apud Menandrum, re ipsâ ab *Ogor* (Ὀγώρ) nihil differunt; nisi quod hîc deest in fine ter-

f. Cap. 5. §. 8.

minatio Græca, in principio autem ſonus *V*, vel *Vi*, mutatus eſt in *O*. Atqui *Vgori* & *Viguri*, iidem ſunt cum *Ono-guris*; nîl obſtante, quod utraque nomina, Priſcus diſtinctè poſt ſe invicem ponat. Non enim alios *Vgoros* vel *Viguros* invenimus, quàm qui aliàs dicti ſunt veteribus *Ono-guri*, *Huno-guri*, & *Hunu-gari*. Potuit ergò τὸ *Onogor*, primùm dici contractè Ογγὼρ h. e. *Ongor*; hinc verò *gamma* priori excidente, adhuc contractiùs, Ογὼρ, *Ogor*. Atque hinc puto factum eſſe, ut quidam è Sclavonica progenie, jam olim aliquos Hunnos, vocaverint *Vhar*, (quaſi *Vgar*, *Vgór*, vel *Vger*, unde & regionis *Juhra* nomen,) quod ſuprà † notavimus. Sic undiquaque patet, *Hungaros* eſſe veram progeniem *Hunniacam*. Moneo autem hîc illud Ὀγὼρ apud *Photium* (an. D. 858.) legi *s.* Ἀγὰρ, *Agar*; putavit nimirùm *Photius* ut videtur, quaſi Natio *Ogorica*, (h. e. Huno-gorica,) ultrà Pontum, *Agarena* fuiſſet: quod manifeſtè arguit, quàm variè, & quàm facilè Scriptores olim Græci, circa nomina *Hunnorum* errârint. Unde non eſt mirum, quòd etiam Paraphraſtes Chaldæus Pſalmorum, in Pſalmo 83. verſ. 7. (habitâ fortè radicis גור ratione,) pro *Hagarenis*, הוּנְגְּרָאֵי / (Hungerae,)

† Cap. 5. §. 8. & 15. *s.* Phot. Synop. in Lib. 7. Simocatt. pag. 163. ed. Par. cum Simoc. Τὸς Ἀγὰς τὸ ἔθνος. &c.

gerae,) *Hungaros* posuerit. Quô simul ostendit, se recentiorem esse *Jonathane* Chaldæo, cujus tempore, (h.e. annis circ. 30. ante N. C.) nondum hâc formâ nomen hoc passim invaluerat; tùm etiam, se ignorasse, quænam Natio *Ungari* origine essent.

CAP. IX.

In quo, *nominis* Magyar *origo investigatur. Venit ab Hebr.* גור / *peregrinari. Unde Chaldæis* Mager, & Megar. *Vera utrinque nominis significatio. Convenit hæc origo cum hodierno etiam idiomate* Hungarico; *quod ex verbo* Meg-jár, *ostenditur. Veteris à* גור *flexionis vestigium in voce* Megyer. *Antiquitas nominis* Magyar. *Ad fluv. Indum* Megari, & *in Ætolia Græcia* Magares *olim apud* Plinium, *fuere pars veterum* Hungarorum. *Quàm sint obliti Græci Scriptores veteris Hungarorum nominis, ex corrupto* Muageres, *ostenditur. Unde hæc corrupta flexio: & quid* Mohagerin, El-Magarin, & Μαγαρίζειν, *ac* μαγάρισις. *Suspicio de* Meghreli, *quô* Colchi *à* Georgianis *vocantur. Quomodo in* Ætoliam Magares *advenerint? Breviter indicatur, antequam pleniùs respondeatur. Civitas* Megara (*cum regione* Megaride) *in Græcia, ad minimum ostendit, antiquius esse nomen* Magar *seu* Magyar, *illâ ipsâ Civitate; quemadmodum* Scythopolis *etiam Syriæ* Palastinæ, *præsupponit nomen* Scythicum. *In origine* Megaræ *itur ad altiora. Nomen*

men hoc (Megara,) *ejusdem est originis cum nomine* Magyar; *Urbsque* Megara *ab antiquis* Magarorum *Majoribus fuit condita, denominata & inhabitata. Rationes afferuntur.* Megara *dicta quibusdam ab* ædificiis *illic loci primùm erectis, sicut & Hungaricum* Megyer, Major, *& Phœnicium*, Magar. *Alii a* Megareo *quodam originem* Megaræ *deducunt. Græci multa vetustissima nomina celebria, suæ Nationi vindicarunt, quæ tamen ejus non fuerunt: idque patet ex eo, quia* Barbari *ante* Græcos *nobilissimas Græciæ Regiones inhabitârunt. Sicque, secunda etiam ratio nominis a* Megareo, *evincit non a* Græco, *sed à* Magaricæ *gentis homine, Urbem hanc nomen* Megara *accepisse.* Hoc *quomodo cum suis* cognatis *factum fuerit commune Græcis, docetur.* Megara, *Uxor Herculis.* Megarus *Jovis filius. Ostenditur ulteriùs ex* Stephano, *quod de* Magaris, *hodiernæ Nationis Hungaricæ majoribus, asserit Author. Præfert autem originem* Megaræ *ab ædificiis, origini à Megareo deductæ. Urget ampliùs etiam suum hic scopum Author, sequentibus; quòd* Hyppolite Amazon *pressa ab hostibus*, Megaram confugerit; *quòd alia* Natio *hujus nominis in* Megaride *præter* Hungarorum *Majores, assignari* nulla *potest; quòd nomen* Festorum *Atheniensium*, Apaturia, *sit origine verè* Hungaricum: *quòd olim* Scythis *magna cum* Græcis Atheniensibus *&* Deliis, *necessitas, imò* & cognatio *cum his, teste* Diodoro *Siculo, intercesserit.*

Sacra

Sacra *etiam* Scythica *ad* Græcos *transmissa*, & Toxaris Scythæ, *Historia*, *huic scopo stabiliendo inservire videntur.* *Duo dubia*, Annon Megara *ortum habeat* à Phœnicibus, &, Quomodo *olim* Hungarorum Majores *in celeberrimas* Græciæ partes penetrârint, *discutiuntur.* Prometheus & Deucalion Scythæ, *quam celebres olim in* Græcia *extiterint.* *Adeo placuit* Deucalion *Græcis*, *ut ab ejus filio* Hellene, *nomen sibi pars eorum sumere voluerint.* *Scythicæ Gentis* Majores quidam, *post confusionem Linguarum*, *annis circiter* 2213. *ante Nat. Chr. a fluvio* Araxe *penetrarunt in* Græciam. *Residui ad* Araxen Scythæ, *bello à finitimis vexati*, *præcipuè circa tempora* exitûs Israelitarum *ex* Ægypto, *videntur migrasse in steriles* Scythiæ *regiones.* *In loca verò intermedia inter* Græciam & Araxen, *uti*, *ad* Thermodonta & *alia*, *ab eodem migrarunt tempore*, *à quo etiam in Græciam.* *Historia* Amazonum *hic consulenda: quem in finem laudatur* Petiti Differtatio de Amazonibus. *De* Agdisti, *vel potius* Agisti, *Phrygum Dea.* *Nomen* Phryges, *videtur esse Hungaricum*, Frigyes, *h. e.* *Confœderatus.* *De Jove* Urio; *quid* Urius *significet.* Urania, *est* Ur-Anya. *Quomodo ob* Maris *obstaculum potuere olim* Scythæ *ex Asia in Græciam transire?* *Conciliantur dicta de* Magaris Græciæ, *cum eo*, *quòd temp. N. Test. ex* Scythia, *non ex* Græcia *venerint* Hungari *in Pannoniam*

&

& Daciam. Quando migrârint Amazones *Themiscyranæ in* Scythiam? *quò item redacti* Megari *olim Græcis cohabitantes? Ad dubium ex* Josepho Ben Gorion, *de Origine* Hungarorum, *respondetur.*

Succedat nomen illud, quô solô hodie, ut communi omnibus Natione & linguâ Hungaris, nos ipsi nos ipsos idiomate Hungarico vocamus, nempe *Magyar.* Non dubito, hoc nomen nostræ Nationis, intra ipsam Nationem, quà ab aliis populis Scythicis distincta esse cœpit, antiquius esse etiam nomine *Hunniaco.* Antiquitati autem ejus nîl obstat, quòd aliis hodie hoc nomen, exceptis Geographiæ peritis, (quod tamen nec ipsi benè apprehendunt,) aut qui à nobis peregrinantibus audiêrunt, aut fortè in Hungaria didicerunt, est penitùs ignotum. Nam ut simili rem illustremus; si quis v. gr. dicat de Germanis in nostra Patria, *Teüsch*, (quanquam in medio nostri affluenter eos habemus,) nemo eum intelliget, nisi qui simul etiam Germanicè aliquid novit: [communissimum enim Germanorum, & Germanicarum Nationum nomen in idiomate Hungarico est, *Német*, antiquum illud apud Scriptores, *Nemetes*; *a.* quod certum argumentum est, nos istud non accepisse à Germanis, qui jam alio dudum com-

a. Plin. Lib. 4. c. 17. Tacit. Lib. de Morib. Germ.

communiter nominantur titulô, ſed aliunde; atque in hoc etiam Sclavi noſtri Scythici conformant ſe huic denominationi, dùm vocant Germanos, *Nemci*;] attamen inde non ſequitur, nomen *Teutonum* (Teutſch,) pro Germanis, non eſſe antiquiſſimum. Ita etiam de noſtro nomine, *Magyar*, conclude.

II. In ea enim ſum ſententia, nomen cujuſque Nationis, (niſi variis ea hinc inde confundatur populis, ob idque priſtina ſua nomina & vocabula facilè cum aliis ac novis permutet,) illud eſſe antiquiſſimum, quô ipſa ſe ipſam vocat, & quod ei præ aliis nominibus magis eſt familiare; accedente interim ad hoc, etiam è remota antiquitate, non obſcuro aliquo veſtigio. Quod intellige de Natione, poſtquam ſub hac vel illa forma, inprimis linguæ vel dialecti diſtinctione, ab aliis evidenter diverſus populus eſſe cœpit. Inductione exemplorum res hæc patere poteſt. Sic Judæorum nomen, illud eſt antiquiſſimum, quod eis magis familiare, & communiſſimum eſt, nempe, *Hebræi*. Germanum vel Italum ſi ſciſciteris, de antiquo ſuæ Nationis, ex quo ab aliis populis eſt diſtincta, nomine; non dubito reſponſurum, nativum & vernaculum ſuum nomen, totique ſuæ Nationi competens, præ aliis nominibus, quibus ab exteris indigitatur, ſibi eſſe antiquiſſimum. Ita etiam nobis, in evidenti jam ab aliis Scythicis Nationibus,

nibus, quoad idioma, mores, & conversationem, distinctione, antiquissimum nomen illud est, quô nos ipsos, linguâ vernaculâ vocamus *Magyar*, & in plurali, *Magyarok*. [Litera *y* hîc, quod observatione † quâdam monui, nihil aliud facit, quàm emollit literam *g*: ita ut perinde foret, si virgulâ quadam suprà *g* positâ, hanc emollitionem innuerem, hoc modo: *Mag̓ar*.] Hoc jam nomen communissimum est apud nos omnibus illis, quicunque linguam Hungaricam habent nativam, sive sint *Jazyges*, sive *Chuni*, (seu Comani,) sive *Baranyæ*, inter Savum & Dravum; sive *Szék-helyi*, (alias Scythuli) in Transylvania; sive qui linguâ Latinâ, jam à multis seculis vocantur *Hungari*. Antiquitatem nominis *Magyar*, ostendam paulò post exoticis etiam testimoniis. Velim itaque, (ut obiter moneam,) ut, dum Doctissimus Vir, ac Linguarum Orientalium peritissimus, D. Thom. *Hyde*, * scribit *Hungariam*, *Turcis* esse מגאר *Maggjar*, (ut exprimit,) putando fortè, quasi *Turcæ* nobis hoc nomen imposuissent; jam ex hoc Libro deinceps noverit, ita dictum illud suum intelligendum esse, quà Turcæ à nobis hoc habent, non verò quà nos tam notum & tam proprium istud nobis nomen, à *Turcis* accepissemus. Atque hoc modo,

† Supr. Pag. 285. Observ. 9. * Not. in Itinera Mund. Abr. *Peritsol*. Pag. 21. ed. Oxon.

modo etiam, in promiſſa ſua de *Tartaria* & *Tartaris Diſſertatione*, ſuam de hoc nomine mentem corrigat.

III. Nomen autem *Magyar*, venit ab Hebr. גּוּר, (Gur,) peregrinari; unde videlicet etiam nominis *Hungarus*, poſtremam partem deduximus. Præſens &. præter. tertiæ perſonæ in *Kal*, גָּר, (*Gar*,) *peregrinatur*; & *peregrinatus eſt*. Item, *commoratus*, *diverſatus fuit*. Participium etiam præſens ejusdem *Kal*, diximus eſſe גָּר (Gar,) *peregrinans*. inde Hebræis, מָגוּר (Magur) *peregrinatio*, *commoratio*, *habitatio*. Et Syris מְגִירָא (Megira, *vicinus* Item Chaldæis, מָגִיר (Mager,) *cohabitator*, *vicinus*. Hinc videmus, quam facilè ac ſponte nomen *Magar*, per præfixionem literæ Heemanticæ מ, h. e. *m*, ex גָּר (*Gar*,) reſultet: [niſi quis ſuſpicetur, olim etiam rad. מגר / ſenſu quadantenus cum גּוּר conveniſſe, ac ex hoc, מ dicat radicalem:] exiguâ enim vocalis Tzeri (*e*,) mutatione in *a*, eſt ipſiſſimum Chaldaicum *Mager*; quô nomine rectè vocari poterant antiquiſſimi noſtri majores in *Aramea*, à populis ejusdem terræ; cum eſſent illic Syrorum, Aſſyriorum, & Chaldæorum *cohabitatores* ac *vicini*. Cum verò *Mager* & *Magar*, vi ſuæ radicis benè ſignificet etiam *peregrinantem habitatorem*, cujus ſedes non eſt fixa, ſed varias ſubinde acquirit ſibi ſtationes; ex hoc eò magis, ab antiquiſſimis ſuis

huc atque illuc excurſionibus, noſtri majores poterant vocari, *Magar* & *Megarim*; h. e. *peregrini*, vel *peregrè venientes habitatores*. Sic videmus, hoc quoque nomen cum prioribus, aliqua ex parte coincidere. Exiſtimo tamen certum aliquem primùm fuiſſe virum, qui antiquiſſimis temporibus, è noſtris majoribus, hoc nomine fuerit vocatus adhuc in ipſa *Aramea*; eò quod tùm in conſtruendis habitaculis ſeu domunculis, tùm etiam in excurſionibus peregrè faciendis, & coloniis aliò ducendis, alios antecelleret. Niſi dicamus, à conſtructis certo ac peculiari ſibi modo domunculis, multitudinem integram ita vocatam fuiſſe: quorum tamen utrumque ſtare poterat, ſi dicamus in illa multitudine ejusdem ſangvinis, unum ceteris peritiâ in ejusmodi domunculis conſtruendis, imò fortè etiam in coloniis huc atque illuc educendis, præiviſſe. Porrò, ſi participium præteritum τὸ גָּר, (*Gar*,) in Conjugatione *Aphel* Chaldæorum formemus, erit inde מַגַּר *Megar*, h. e. *qui* alios *peregrinari*, item *peregre habitare fecit*. Nomen coloniarum eductori convenientiſſimum. Ejus plurale (formâ Chald. & Syr.) מַגְּרִין, *Megarin*; quod principalibus eductoribus primùm, deinde temporum ſucceſſû, toti eorum poſteritati ac genti attribui poterat. Variè autem nomen hoc de quo agimus, à diverſis perſonis, ex eadem radice, in eundem

dem

dem tamen, aut certè cognatum ſenſum olim flexum ſuiſſe, ut aliqui dicerent *Mager*, aliqui *Megar*, aliqui verò *Megar*, (quod ex alterutro priorum, leviſſimâ cum mutatione fieri poterat,) abſque ulla difficultate admittere poſſumus. Hodie quidem, jam à multis ſeculis, *Magar* apud nos prŏnunciatur, per *a* in prima; at verò olim etiam *τὸ Megar* in uſu fuiſſe, ex infra dicendis colligere obvium erit.

IV. Convenire autem hanc nominis originem, etiam cum noſtro præſenti idiomate, ſic demonſtro. *Jár*, apud nos, idem eſt, quod *ambulat*; quo verbo, etiam *peregrinantis ambulationem*, rectè exprimimus. Jam verò diximus,† eſſe hoc ipſiſſimum Hebraicum, Chald. & Syriacum גר, *Gar*, cum exigua mutatione. Videlicet quod olim noſtris dictum eſt *Gyár*, (ut in hunc uſque diem quibuſdam ejus Imperativus *Gyere*, oſtendit,) id paulatim, quaſi majoris elegantiæ cauſâ, *G* molli in *J* mutatô, tranſiit in *Jár*. Hinc jam compoſitum, *Meg-jár*, & *Meg-járja*, ſignificat, *perambulat*. Ejus Particip. præſ. eſt, *Meg-járó*; h.e. *perambulans*. Plur. *Meg-járók*; perambulantes. Quam rectè hoc nomen veteribus *Scythis* noſtris majoribus congruat, norunt eruditi, ac proximè hîc etiam Liber ſubinde oſtendit. Si quæras, unde particula *Meg*, ad initium compoſiti hujus acceſſerit, & quid ſignificet, dicam. Ne putet quiſ-

† Pag. 305.

piam, illud *Meg*, esse quasi præformantem Hebræorum, Chald. & Syrorum in quibusdam participiis syllabam מְ, (*Me*,) per *g* auctam; usus enim ejus apud nos longe aliud docet. Ea enim particula ita est compositiva per totum aliquod verbum, ut aliquando etiam postponatur verbo simplici, scilicet in Imperativo; v. gr. *Verd-meg*, percute. Estque vis ejus significare aliquid non utcumque, sed realiter & penitiùs fieri: quod Latinè non alia, quam particula *per*, commodè exprimit; quamvis ejus emphaticam significationem, non ad plenum assequatur. Existimo autem hanc particulam, esse contractam cum exiguâ mutatione ex Hebr. מְאֹד, (Meod,) *valde*, *vehementer*; ut sit *Meg*, quasi *Med*, (contractè,) cum mutatione *d*, in *g*, quod proclive est apud nos. Sic *nucem*, vocamus *Dió*; at vulgus plerumque *Gyió*: *Suem* dicimus *Diszno*; at vulgus in multis Patriæ partibus *Gyiszno*. Si *D*, in molle *G*, ita mutant aliqui, cur non potuerint olim id ipsum in *Med* contracto ex *Meod*, mutare in durum *g*, cum majores etiam videamus apud Chaldæos ex Hebræo mutationes? Hinc jam *Meg-jár*, & *Meg-járó*, idem est propriè, quod *valde ambulat*, & *valde ambulans*; h. e. qui multum peregrinatur. Hæc non ideò è nostra lingua à me proferuntur, quasi innuere velim, æquè nomen *Magar* à *Meg-jár* deduci posse, ac quidem

dem ab originali גר, *Gar*, peregrinari; censeo enim ut par est, nostros majores, quò antiquiores considerantur, eo propiùs idiomate suo ad primam & originalem lingvam accessisse, ob idque etiam eorum tam vetustum nomen ex eadem originem habere; sed mens mihi est, per ea tantùm docere, non dissonare etiam ab hodierno nostro idiomate, prædictam nominis nostri originem & rationem; cum & hodie verbum *Meg-jár*, principali suâ parte, sit ipsum Hebræorum *Gar*. Superesse autem extra nomen, quod præ manibus est, aliquod adhuc apud nos, veteris (à גר) flexionis vestigium, infra † ex vocabulo *Megyer* liquidò patebit.

V. Antiquum esse hoc nomen apud Scriptores, licet hodie non nisi in nostra Natione sit in usu, (saltem inter Europæos Christianos, Turcis enim ut jam innui, benè notum est; imò animadverti Amstelodami, vel Londini etiam Armenum, τὸ *Magyar*, de Natione, intelligere;) apparet ex eo, quod Plinius, (circa an. D. 78. scribens,) collocarit quosdam populos, *Megaros* dictos, circà fluvium Indum. *Accolunt* (inquit) *Indum*, -- *Amatæ*, *Bolongæ*, -- *MEGARI.* Non hoc volo hinc elicere, quasi *Hungarorum* primi Progenitores, in *India* nati, educati, & adulti fuissent; sed tùm ex hoc tùm ex aliis Scriptorum locis, jure hoc colligo, quod pars ali-

† Paragr. 13. huj. cap.

qua (saltem exigua,) primorum Hungarorum, sive coarctata ab aliis, sive melioris causâ victûs, (ut olim sæpè fiebant ejusmodi migrationes populorum, teste Strabone ‡,) poterat è Scythia eò commigrare, & ex inito cum aliis vicinis fœdere, illic habitare. Quis enim nescit veteres *Scythas* & *Indos*, fuisse quam maximè finitimos? Finitimi autem ferè semper, aut ut plurimum, aliqua sui parte, inter se invicem, permiscentur. Jam audivimus *b.* ex Plinio, *Hunnos* olim quosdam, in vicinia *Indorum*, ad ortum Scythiæ habitasse. Non est ergo mirum, quod aliqui eorum consanguinei, nempe *Megari*, in ipsam etiam Jndiam, sedium fortè meliorum causâ penetrarint.

VI. Idem *Plinius* tradit, inter populos *Ætoliæ*, fuisse olim *Magares*: quod si in numèro singulari proferas, erit *Magar*, ipsissimum nomen vernaculum Hungarorum. Locorum etiam non magna distantia suadet fuisse veros Hungaros. Ætolia enim (infra Macedoniam & Thessaliam,) non amplius juxta quosdam, quàm circiter 90. milliaribus Germ. distat à *Sirmio* vel *Nandor-Alba*; aliis vero circiter 110. quibus in partibus jam ab antiquo *Baranya*, & paulo suprà Nandor-Albam, *Jazyges*, Magarica progenies utrique, habitarunt.

‡ Lib. 1. & 7. *b.* Vide supra c. 3. pag. 75.

runt †. Certè *Arrianus*, (an D. 138. qui tamen sua de Alexandro M. ab ipsius Alexandri comitibus, *Ptolemæo Lagi*, ‡ & *Aristobulo*, [qui floruere, an. ante nat. Chr. 323.] accepit,) Historicus notæ melioris, in sua de *Alexandri M. expeditione*, Historia, sic meminit *Jazygum*, ceu qui tempore etiam Alexandri M. Tractum *Istri* seu Danubii incoluerint. *Harum* inquit, * *Nationum*, (*Tractum Istri* incolentium,) *extremi sunt Quadi & Marcomanni*; (ἔπι δὲ, Σαυρομάτων μοῖραν, Ἰάζυγας. &c.) *deinde*, *Jazyges*, *Sauromatarum pars*: *ulterius Getæ*. &c. Sed ad *Plinium* redeo. Verba *Plinii* ad scopum nostrum hæc sunt: *c. Ætolorum populi*, *Athamanes*, *Tymphæi*,—*MAGARES*, *Atraces*. Perperam legitur in editione Dalechampii, *d. Maraces*, pro *Magares*. Nam ipsa quoque marginalis ibidem nominis ejus correctio, per τὸ *Marages*, ostendit à genuina lectione hîc deviatum esse; nimirum, in Marginali nomine, duas literas, ut sæpè fit, transpositas esse; quæ suis locis restitutæ, exhibent verum nomen, *Magares*. Frustra enim in Ætolia veteri quæres, sive *Maraces*, sive *Marages*; at *Magares*, olim ejus partem incoluisse, multa inferiùs dicenda suadent. Non est mirum inter tot se-

Z 4 des

† Vid. sup. pag. 60. 61. 64. ‡ Sic ipse fatetur in præfat. * De Exped. Alex. M. Lib. 1. pag. 8. edit. Amst. *c*. Plin. Nat. Hist. Lib. 4. c. 2. ed. Bas. 1525. *d*. Vid. ed. Francof. An. 1608.

des olim noſtrorum Majorum, & inter tot nomina eorundem, ab ignaris rerum, qui *Plinium* exſcripſerunt, hoc nomen in quibuſdam codicibus aliquomodo mutatum eſſe. Video enim etiam apud Græcos, Plinio longè recentiores, quamvis hi noſtris viciniores quàm Latini eſſent, hoc nomen in oblivionem ferè abiiſſe, etiam ubi non aliud, quàm hoc ipſis exprimendum erat. Sic τὸ Μȣαγέρης, e. *Muageres*, apud Theophanem Chronographum, (cui in accuſat. eſt Μȣαγέρην,) & *Moager* apud Cedrenum, f. Ducis cujuſdam *Hunnorum* nomen, circa an. D. 521. juxta Boſphorum Cimmerium, inter Pontum & Mæotidem, non aliud fuiſſe putandum eſt, quàm id quod hodie dicimus, *Magyar*. Eſt enim in hunc uſque diem frequens, quoſdam ex Hungaris, hoc nomine *Magyar*, cognominari. Puto autem Græcos ſequioris ævi, accepiſſe hanc flexionem nominis noſtri, qua dixerunt *Moager* vel *Muager*, pro *Magar*, à Sarracenis & Arabibus; qui ſuos causâ Religionis cum Muhammede exules, vocabant מהאגרין † *Mohagerin*. Interim, cum non ſolum τὸ Mohagerin, ſed & ‡ *El-Magarin*, (quod ipſiſſimum noſtrum nomen eſt cum præ-

e. Theophan. Chronogr. pag. 150. ed. Par. 1655.
f. Cedr. Tom. 1. p. 367. ed. Par. † Vid. Hiſt. Oriental. Hotting. pag. 9. ed. Tig. 1660. ‡. Ibid. pag. 8. ex Scaligero.

præfixo articulo Arabico,) fuerit apud Arabes in uſu de parte Muhammedanorum; non aberrabimus à veritate, ſi dicamus, ex tanta multitudine Hungaricæ Nationis, poſt exitum Abarorum, olim in interioribus Scythiæ receſſibus, *Turcarum* * dominio ſubjectâ, plurimos una cum Turcis, Muhammedanam temporum ſucceſſu Religionem amplexos fuiſſe, & notiſſimum hoc tum ſibi tum Turcis nomen, *Magar*, etiam in Muhammediſmo, cum priſtini tamen idiomatis amiſſione, retinuiſſe. Antiqui nominis veſtigium eſt etiam apud Græcos recentiores, Μαγαρίζειν, h. e. *Magaricè loqui*, *Magarorum more vivere*, *agere*, *ſe gerere*; & inde Μαγάρισις; quæ vox hodie, interioribus præſertim Græcis, in averſationem illorum *Magarorum*, qui una cum aliis Muhammedanis, multis modis ſe Chriſtianis exoſos exhibuerunt, eſt σπῖλος, h. e. *macula*. Atque hinc etiam apud *Phavorinum*, recentem † Lexici magni Authorem, illud, ‡ Μεγαρέων ἄξιοι μερίδος, *Megarorum parte digni*, explicatur ſic: ἀντὶ τοῦ, ἄτιμοι. H. e. *Pro eo*, quod *inhonorati*. Poteſt tamen fieri, quòd hóc Proverbium, jam ab olim cœperit de *Megarenſibus* Græciæ uſurpari, poſtquam eorum reliquiæ in deſpectum abivere apud Græcos, (fortè

Z 5 ob

* Vide Menand. in Excerp. Leg. pag. 163. Conf. Sup. pag. 162. & 163. coll. pag. 174. † Floruit an. D. 1520. ‡ Phavor. in Lexic.

ob degenerationem ab avitis virtutibus;) demùm verò iterùm est renovatum, in Muhammedanis *Megarorum* posteris. [Ampliùs adhuc verbum Μεγαρίζειν, quod aliàs est Μεγαρεῖν, insta * illustrabitur.] Annon etiam τὸ *Meghreli*, *g.* quo nomine *Colchum* vocant hodie Georgiani, sit fractum ex antiquo *Magar*, (eò quod olim pars nostrorum majorum etiam in *Cholchide h.* consederint,) meritò suspicari possumus.

VII. Si quis quærat, quomodo antiquissimis temporibns, nostri *Magares* in *Ætoliam* advenerint; ei, pleniori responso ulteriùs dilatô, hoc unum nunc inculcamus: quòd vel solæ *Amazonum* veterum, Scythicæ originis mulierum, variæ in varias orbis partes, atque etiam in Græciam expeditiones, (quæ apud Strabonem, juxtà nonullos, inde à Thermodonte, *i. etiam trans mare, ad Atticam usque, suas copias emisisse* dicuntur,) facilè hoc docili animo suggerent & persuadebunt, quomodo *Magares*, seu Hungari, (Natio Scythica,) una cum Amazonibus in Græciam, ejusque partem, *Ætoliam*, penetrare olim potuerint. De variis Amazonum expe-

* Paragr. 21. H. cap. *g.* Vid. Instit. Gramm. Lingv. Georg. Franc. Maggii, ed. Rom. pag. 104. *h.* Agathias Lib. 3. ubi de Onogori, & Hunnis Onoguris agit. Conf. supr. pag. 158. *i.* Strab. Geog. Lib. 11. pag. 504. & 505. ed. Par. 1620.

expeditionibus, monumentis, & victoriis, in cumulum velut congestis, si quis legere vult, consulat eruditiss. *Petitum*, in Dissertatione de *Amazonibus.* Ex quo, (post varia in hanc rem testimonia ab ipso congesta,) hæc tantùm hoc loco adscribenda, consultum duxi. *Tot igitur Amazonum sepulcra reperio apud veteres auctores; quibus admiranda earum virtus & animi magnitudo proditur: quæ tantùm telluris obierint, Asiam & præcipuas Græciæ Regiones; cum fortissimis gentibus confluxerint, Atheniensibus, Spartanis, Thessalis, ubique relictis rerum suarum monumentis. Nam neque sepulcra ipsa, meritum earum victoriis testimonium negant; quæ iis nisi ab ipsis victoriâ potitis, extrui haudquaquam potuerunt: neque enim verisimile est, ipsos Græcos & alias gentes, quibus bellum ultro Amazones intulissent, superatis ac cæsis monumenta posuisse, quibus earum memoriæ honos apud posteros haberetur. Aliud profectò est, trophæum erigere, aliud, sepulcrum ædificare. Non ergo à victoribus structa Amazonibus monumenta; sed ipsas Amazones, ut dixi, bello superiores, suarum in præliis interfectarum Manibus, tale officium præstitisse putandum est.* Quis ambigat occasione tot expeditionum in Græciam *Amazonum*, in bellisque subinde superiorum, etiam viros † Scythas, ac inter eos *Magares* quoque, una cum eis venisse in Græciam, illicque

k. Pet. Differt. de Amazon. c. 40. pag. 325. & 326. ed. Amst. † Vide inf. Cap. ult. §. penult.

concludi posset, nomen videlicet *Megar*, *Magar*, & *Magaricum*, jam tunc notum fuisse in Mundo, & specialiter in Græcia, dum Urbs *Megara* fundata, & hoc nomine denominata est, ab ea verò etiam Regio *Megaris* nomen mutuata: eodem scilicet modo, quo ex nomine *Scythopoleos* † in *Palæstina* Syriæ, juxta Jordanem ad Austrum Genesaret, Scythicæ cujusdam expeditionis monumenti, antea *Bethsan* dictæ, rectè concludimus, jam *Scythas* ante denominatam hanc Urbem, sub nomine *Scythico* passim, atque etiam in Chanaan seu Palæstina notos fuisse, etiamsi non legatur eos diù illic loci commoratos esse. Ita in nostra quoquePatria,aliquot loca vocantur *Nemeti*;(est & *Nemedi*;) etiam in quibus *Nemetes*, h.e. Germani, nulli sunt incolæ. Variæ possunt esse rationes talium ab hac vel illa Natione sumptarum denominationum; quas hîc brevitatis causâ prætereo. Sufficit ad meum scopum, quod in ejusmodi denominationibus, supponitur præexistentia, imò nota celebritas Natoinis, à cujus nomine fit talis denominatio. Idem dicendum de *Megara Siciliæ*, etsi illic Hungari nunquam habitasse leguntur: item, de *Magari* vel *Magaride*, *m.* Indiæ intra

† Vide Steph. de Urbib. Strab.Lib. 16. & Joseph. Ant. L. 12.c. 12. *m.* Ptol. Geogr. L. 7. c. 1. p. 205.ed.Amstel.ubi Μάγαρις est in long.gr.137.m.30. & lat.gr. 18. m. 3. (al. m. 20.)

buit Megara;) ſic alia, quæ parens fuit noſtrorum majorum, denominavit eam, ſive ab ædificiis amplis illic erectis, ſive à fundatore, aut ſaltem Defenſore ejus inſigni, *Megaro* vel *Megareo*, *Megaram*; quod mox in ſequentibus illuſtrabitur. Sic in Hungaria, Buda ab Hungaris, Turcis & Sclavis, dicitur *Buda*; at vero à Germanis *Ofen*. Poſonium, nos *Poſony* dicimus; Germani verò & Sclavi, *Presburg*. *Item*, Oppidum quoddam in Comitatu Tornenſi, dicitur Hungaris *Szepſi*; at Sclavis *Moldava*. Plura etiam ſimilia exempla facilè inveniri poſſunt. Eodem modo *Megara* etiam, diverſa nomina à diverſis populis fuit ſortita; & quidem illud *Megara*, ab iis, quorum lingua Orientalibus vicinior eſſet, quam Græca. Nam cum certo liqueat linguarum peritis, (ubi accuratiùs nomen præ manibus exiſtens, excuſſerint,) *Megaram* non eſſe vocem origine Græcam, (ineptè enim quiſpiam à μεγαίρω, *inuideo*, eam deduceret, non ſolùm ob interpoſitam diphthongum, ſed etiam, ob inſulſam nominis rationem, quæ inde reſultaret;) ſed ex Orientali aliqua lingua, & ad Chaldaicam, Syram ac Hebræam, præſenti & multorum antehac ſeculorum Græcâ, propiori, deducendam; meritò quærimus ab unoquoque veritatis candido inquiſitore, quænam olim in parte illa Orbis terrarum, quæ ſucceſſu temporis *Attica* & *Megaris* dicta eſt, potuerit eſſe lin-

lingua, quæ hodiernorum populorum origine antiquâ Barbarorum (Barbari † enim olim ante Græcos, aut saltem non seriùs quam Græci eam inhabitarunt,) linguæ inquam, aliquomodo, vel saltem in antiquioris linguæ reliquiis, corresponderet; ut inde concludi posset, ejus Linguæ ac Gentis majores olim *Megaram* vel fundasse, vel exornasse, & fundatam aut exornatam atque aliquamdiu à se possessam, illo nomine denominasse? Ego sanè, nullo hic invidioso ac cæco partium studio, sed solo veritatis amore ductus, Historicis optimis consultis & accuratè pensitatis, nihil aliud de *Megara*, in quo pedem aliquomodo figere possemus, inveni, quàm hoc, quod jam indicare cœpi; *Megaram* scilicet ortum habere ex eodem fonte & fomite, ex quo ipsi *Megari* vel *Magari* nostri, ab horumque fuisse Majoribus olim structam, denominatam, & inhabitatam.

XII. Nam (præterquam quod vereor, ne vel antiquissimo illo *Diogenis* dictô, apud Tertullianum, * *Megarenses obsonant, quasi crastinâ*

† Vid. infr. h. c. §. 16. & nota, quod Græci olim *Barbaros* illos vocabant, qui *crasso ore* & *asperiùs* quàm alii *pronunciarent*; vel quos ipsi Græci *non intelligerent*, & in universum, qui Natione & lingua *Græci non essent*. Consule Strabon. Geogr. Lib. 14. pag. 662. edit. par. 1620.

* Apologetic. c. 39.

stinâ die ‡ *morituri*; *ædificant verò quasi nunquam morituri*, prodatur, (præsertim priori † ejus membrô;) ubinam & quinam sint hodie aliqui antiquorum *Megarensium* posteri vel consanguinei,] (1.) de origine *Megara*, refertur à curiosissimo antiquitatum Ethnicarum compilatore, *Pausania*, (qui floruit an D. 178.) quod *Megara* juxtà ipsos Megarenses, dicta sit à Templis illic loci, Cereri eo nomine consecratis, Care Phoronei filio apud Megarenses regnante; hoc est, annis ante natum Christum circiter 1790. temporibus Jacobi Patriarchæ. Verba Pausaniæ sunt: *n.* Κληθῆναι ἢ ὄυτω τὴν πόλιν (Μέγαρα) φασὶν ἐπὶ Καρὸς ὃ Φορωνέως, ἐν τῆ γῆ ταύτη βασιλεύοντος· Τότε πρῶτον λέγουσιν ἱερὰ γενέσθαι Δήμητρος αὐτοῖς, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ὀνομάσαι Μέγαρα. Οὕτω μὲν αὐτοὶ περὶ σφῶν Μεγαρεῖς λέγουσι. H.e. *Urbem* (Megaram ‡) *verò eo nomine appellatam dicunt, Care Pho-*

A a

‡ Metuunt scilicet, ne nunquam post mortem ullo bono fruantur: juxta Esa. 22. vers. 12.
† Lumen ad hoc habet Herberstein. Rer. Moscov. Comm. pag. 109. ed. Franc. 1600. *n.* Pausan. in Attic. seu Lib. 1. pag. 73. ‡ Nota; à Græcis hoc nomen in neutro genere, numero plurali usurpatur; τὰ Μέγαρα, τῶν Μεγάρων. Licet tamen Latinis, etiam in fœminino genere (sing.) usurpare; ut videre est, apud *Plin.* Lib. 4. c. 7. Ita etiam *Livium* usurpasse, jam notavit *Pinedo*, in Steph.

Phoronei filio in ea terra regnante. Tunc (enim) *primùm Cereris Templa* (seu Fana,) *apud se fuisse erecta, eaque Megara ab hominibus appellata, ajunt. Sic ipsi Megarenses in iis quæ de suis rebus habent, commemorant.* Hæc Pausanias; qui simul subinnuit, Urbem quoque à Fanis, dictam fuisse *Megara.* Cum hoc nomine appellarunt homines illi Fana Cereris, idem est, ac si *ædificia* vel *domos* appellassent. Hinc Græcis etiam Μέγαρον, (*Megaron*, cujus plurale est Μέγαρα, *Megara*, nomen de quo agimus,) significat *ædificium*; item, *domum*, imprimis amplam. Quod sanè non habent ex proprietate & intimis Linguæ Græcæ, (nulla enim ex ea ejus vera origo dari potest,) sed habent mutuatitium, ex Hebræa, Chaldaica, Syriaca & Phœnicia. Cum enim Chaldæi ex גור † *Gur*, (communi ipsis & Hebræis atque Syris radice,) habeant derivatum *Megura*, quod ipsis significat *Granarium*, vel *Horreum*; ac Hebræis etiam *Magur*, h.e. *habitatio*, *commoratio*, atque Phœnicibus *Magar*, h. e. *Villa*, (ut mox audiemus,) ex eodem fonte veniat; cur non etiam מגרון *Megaron*, h. e. *ædificium*, *domus*, *habitaculum*, ab eadem radice rectissimè descendat? Nulla certè hîc vel minima torsio,

† Nota hîc, me non temerè disquirere, annon rad. מגר/ olim cum גור/ vel cum derivatis ejus, sensû ex parte convenerit, ut מ in nostris derivatis, non tam hœmantica sit, quàm radicalis sit.

torſio, ſed ultrò vox ipſa ſuam oſtendit originem. Hæc ergò prima ratio denominatæ Urbis τῶν Μεγάρων ad minimum evincit, primos *Megarica* Urbis conditores & incolas, non Græcos fuiſſe, (quà ſequioribus ſeculis linguâ ab Orientalibus multùm differebant,) ſed ejus gentis homines, cujus lingua Orientalium dialectis, longè vicinior erat, quàm Græcorum; ita ut illi uſum vocis memoratæ, apud ſe tanquam domeſticæ, invenirent.

XIII. Sed dices forte. Quid hoc ad Nationem Hungaricam? Ego tibi facilè reſpondeo. Hoc nimirùm; quia ex omnibus illis Nationibus olim Barbaris, de quibus vel minima ſuſpicio eſſet, quòd olim earum Majores ante Græcos in *Megaride* habitaverint, (Barbari enim ut dictum, eam priùs quàm Græci poſſederunt, imò & reliquas circa Megaridem regiones, ut mox audiemus;) nulla ex ſuperſtitibus earum paſſim reliquiis, nominari poteſt, ſive ſit *Celtica*, ſive *Dacica* vel Getica, (quà *Getæ* poſterioribus ſeculis, à *Jaſis* diſtingui cœperunt,) ſive *Sclavonica*, vel his ſimilis, cujus lingua in hujus vocis origine inveſtiganda, propinquior eſſet Hebrææ & Chaldaicæ, quàm hodierna Hungarica. Nam præterquàm, quòd & nomen Hungarorum *Magyar*, ab eadem radice veniat, à qua *Megaron*, (ædificium, habitaculum;) certè in

hanc rem non penitùs contemnendum & hoc eſt, quod in hunc uſque diem exſtat apud nos nomen proprium loci cujusdam Hungarici, *Meg yer*; unde, nati vel educati illic, denominantur a loco, *Meg yeri*; h. e. Megyerinus, vel Megyerienſis. Quid quæſo nomen *Meg yer*, quoad eſſentialia vocis, differt ab alio ſimili nomine proprio *Megara*, vel ſingulari *Megaron*? Certè ſicut in hoc poſteriori adjectum eſt paragogicum *on* in fine, ſic noſtrum illud nomen eô carens, tantô propius accedit ad ipſam radicem. Nec enim *y* poſt *g* interſertum, ad eſſentiam vocis apud nos facit; ſed conſonam tantùm præcedentem emollit, ut aliàs dictum. Ita ut perinde ſit quoad rem, ac ſi ſcriberetur *Meger*: quod propriè ſonat ex radice, *Habitaculum*. Poterat ſanè olim etiam duriùs pronunciari à noſtris majoribus, quàm nunc à nobis pronunciatur. Non puto autem me falli, ſi dicam, locum *Meg yer*, ex nomine ſatis apud noſtros celebrem, dictum ſic fuiſſe, ab *ædificiis* ibidem exſtructis, comparatè ad alia ejusdem territorii loca, talibus ædificiis carentia. Quædam etiam nomina Pagorum, in *Ház* (domus,) deſinentia, v. gr. *Uj-egy-ház*, *Fél-egy-ház*, (h. e. *Nova una domus*; item, *Dimidia una domus*,) id videntur confirmare, quod hîc de *Meg yer* aſſero; apud eos præſertim, qui olim ſæpè extra ædificia, in currubus, vel

vel in tuguriolis, habitârunt. Ego ſanè etiam vocem *Major*, quæ nobis *Villam* (non Pagum,) ſignificat, ex Hebr. *Magur*, per facilimam noſtri mollis *g* in *j* mutationem, factam eſſe cenſeo; ut & hoc propriè ſit *habitaculum*, vel *ædificium*.

XIV. Sic Phœnices etiam, *Villam*, reſpectû ſtructuræ in ea, *Magar* vocarunt: uti olim *Servius* annotavit, ac poſt eum Sam. *Bochartus* & Thomas de *Pinedo*. Verba *Servii* ſunt: *o. Magalia antiſtœchon eſt; nam debuit* (Virgilius) Magaria *dicere: quia* Magar, *non* Magal, *Pœaorum linguâ* Villam *ſignificat*. Rectè autem uterque, tùm *p. Bochartus*, tum *q. Pinedo*, deducunt vocem Punicam, ab eadem radice Hebr. גור / à qua etiam nos nomen *Megaricum*, tum Gentis, tùm Urbis, hactenùs deduximus. Ut autem patet ex verbis *Iſidori*, annotatis à Bocharto, temporum decurſû, ita uſûs *Magar* apud Pœnos invaluerat, ut potiſſimùm nova ædificia alicujus Villæ, eo nomine vocaverint. Nova enim ædificia poſſunt dici per excellentiam, *ædificia*. Scribit enim, quod *r. Magar Punici novam villam dicunt*. Hæc omnia eò faciunt, ut ſciamus,

o. Serv. in Æneid. Lib. 1. ad verſum illum, (425.) *Miratur molem Æneas, Magalia quondam.*
p. Geograph. Sacr. Part. 2. Lib. 1. cap. 24.
q. Pined. Notis in Stephan. ad vocem Καρχηδών. pag. 362. *r.* Origin. Lib. 15. c. 12.

tùm *Megaram* non ineptè ab ædificiis amplis Cereri consecratis, dictam fuisse illo nomine; tùm Hungaris olim fuisse certam rationem, cur nomen alicujus loci, ob congeriem domorum, vocarent *Megyer* : atque simul ut pateat, probabile, imò vero consentaneum id esse, quod jam de primis *Megara* conditoribus & denominatoribus, aperire cœpimus. Si quis suspicetur, *Phœnices* fuisse primos illius Urbis denominatores; is præstoletur infra † paratam à nobis responsionem. Hæc de prima ratione nominis τῶν Μεγάρων.

XV. (2.) Alii verò, nempe Bœotii, Urbem *Megaram*, à *Megareo*, Neptuni filio, in subsidium Niso contra Minoën, Regem Cretæ, *ſ.* anno ante natum Chr. circiter, 1285. veniente, Onchesto Bœotiæ, denominatam dixerunt. Sic de hac re Pausanias : *s.* Βοιωτοὶ δὲ ἐν Ὀγχηστῷ Μεγαρέα τὸν Ποσειδῶνος οἰκοῦντα, ἀφικέσθαι στρατιᾷ Βοιωτῶν φασι, Νίσῳ πρὸς τὸν Μίνω πόλεμον συνδιοίσοντα· πεσόντα δὲ αὐτὸν ἐν τῇ μάχῃ, ταφῆναί τε αὐτοῦ, καὶ τῇ πόλει Μέγαρα ὄνομα ἀπὸ τούτου γενέσθαι, πρότερον Νίσα καλουμένῃ. At *Boeotii* (inquit,) *Megareum Neptuni filium, Onchesti* (antea) *habitantem, dicunt cum Boeotiorum manu Niso contra Minoën auxilio venisse: cumque*

† §. 24. h. cap. *ſ.* Vid. Marmor. Arund. n. 20. pag. 164. *s.* Loc. cit. in Attic. pag. 73.

cumque in prælio cecidiſſet, eo ipſo (in quo ceciderat) *loco ſepultum, Urbi quæ antè Niſa appellabatur, nomen dediſſe.* Sic etiam Stephanus Byzantinus; niſi quod non Neptuni, ſed alterius filium, *Megareum* dicit. t. Μέγαρα, πόλις περὶ τὴν ἰσθμὸν, μέση Πελοποννήσου καὶ Ἀττικῆς, καὶ Βοιωτίας. -- Ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Μεγαρέως τοῦ Ἀπόλλωνος, ἢ τοῦ Αἰγέως, τοῦ Πανδίονος, τοῦ ἐρεχθέως, τοῦ Ἡφαίστου. *MEGARA, Urbs circa Iſthmum, media inter Peloponneſum, & Atticam & Boeotiam. -- Sic verò vocata fuit à MEGAREO, Apollinis filio, vel Ægei, filii Pandionis, filii Erechthei, filii Vulcani.* Hæc illi. Atqui & de hoc *Megareo* conſtat, (ex ipſo nomine & antiquitate,) non fuiſſe Natione & linguâ Græcum, ſed aliquem è medio Barbarorum virum inſignem: cujus etiam nominis eadem eſt origo, à גור (*Gur*) & מגור / (*Mager*,) quæ *Megara* vel *Magyar*.

XVI. Nec obſtat, ſi quis dicat, Græcos exiſtimare, hunc *Megareum*, fuiſſe Græcum: nam notum eſt Græcos, plura etiam alia vetuſtiſſima nomina celebria, ac geſta, ſuæ Nationi vendicare, quæ tamen ejus non ſunt: quod ex ipſiſmet Græcis Scriptoribus, accuratè expenſis, collatis & examinatis, judicioſus lector diſcere poteſt. Apertè enim

t. Steph. de Urbib. in Μέγαρα. pag. 450.

docet Strabo, non solùm *Peloponnesum* vicinissimam Bœotiæ, Atticæ & Megaridi, *habitatam antè Græcos* fuisse *à* † *Barbaris*, (quod ex *Hecatæo* ‡ Milesio refert,) sed subjicit illico: *u.* σχεδὸν δὲ ἡ καὶ ἡ σύμπασα Ἑλλὰς κατοικία Βαρβάρων ὑπῆρξε τὸ παλαιὸν, ἀπ᾽ αὐτῶν λογιζομένοις τῶν μνημονευομένων. Πέλοπος μὲν ἐκ τῆς Φρυγίας ἐπαγομένου λαὸν εἰς τὴν ἀπ᾽ αὐτοῦ κληθεῖσαν πελοπόννησον, Δαναοῦ δὲ ἐξ Αἰγύπτου· Δρυόπων τε καὶ καυκώνων καὶ Πελασγῶν, καὶ Λελέγων, καὶ ἄλλων τοιούτων, κατανειμαμένων τὰ ἐντὸς ἰσθμοῦ, καὶ τὰ ἐκτὸς δέ. τὴν μὲν γὰρ Αττικὴν οἱ μετὰ Εὐμόλπου Θρᾷκες ἔσχον· τῆς δὲ Φωκίδος τὴν Δαυλίδα, Τηρεύς. Τὴν δὲ καδμείαν, οἱ μετὰ κάδμου Φοίνικες· αὐτὴν δὲ τὴν Βοιωτίαν, Αονες καὶ Τέμβικες, καὶ Υαντες. *Ferè autem & tota Græcia antiquitùs Barbarorum fuit sedes; quod ex his ratiocinari licet, quæ memoriæ prodita sunt. Pelops equidem è Phrygia secum adduxit populum in denominatam ab ipso Peloponnesum: & Danaus ex Ægypto: & Dryopes, Caucones, Pelasgi, Leleges, aliique eorum similes, intra Isthmum sita, imò & ea quæ sunt extrà Isthmum, obtinuerunt. Atticam enim Thraces, qui cum Eumolpo*

† Qui fuerint olim Græcis *Barbari*, vide supr. Notas ad §. XI. h. c. ‡ Vixit is circiter annis 523. ante N. Ch. *u.* Strab. Geogr. Lib. 7. pag. 321.

molpo venerant, possederunt: Daulidem Phocidis, Tereus: Cadmeiam Phoenices, Cadmi comites; ipsamque Boeotiam Aones, Tembices atque Hyantes. Videmus in his regionibus adesse signanter etiam *Bœotiam*, ubi *Megareus* sedem habebat; item *Atticam*, cui olim teste Strabone, accensebatur etiam *Megaris*. Diximus insuper jam antea, *Aones* Bœotiæ Barbaros, non alios posse inveniri, quam *Chaones* seu *Chones*; h.e. *Chunorum* seu *Hunnorum* progenitores. Cum itaque certò constet, Barbaros Græciam ferè totam priùs quàm Græcos seu Javanis posteros, ceu Dominos inhabitasse; ex eo perspicuè sequitur, multa nomina illustrium olim virorum, quæ ex proprietate linguæ Græcæ erui ritè non possunt, à Barbaris illis suam habere originem: atque etiam viros, qui primùm nominibus illis appellati sunt, fuisse alterius quàm Græcæ Nationis; quicquid Græci quidam Scriptores de iisdem putent.

XVII. Sic igitur etiam secunda ratio denominatæ Urbis τῶ Μεγάρων ab ipsis Ethnicis olim assignata, evincit *Megaram* non à Græco homine fuisse sic denominatam; sed ab eo, qui etiam natione ac linguâ reverà *Megareus* fuerit. Potuit nempe etiam medios inter Græcos hoc ita factum esse; quòd cum Barbari illi populi, qui antiquissimis temporibus, è diversis Mundi partibus in Græciam confertim advolârunt, ejusque partes insederunt, nequa-

quam se erga Græcos ita gesserint, tanquam atrocissimi terræ populique vastatores, sed potiùs ut excultores & boni subditorum promotores; quod ex *Cecropis* Ægyptii, *Cadmi* Phœnicii, atque *Danai* rursus Ægyptii in Græciam adventû & eventû subsecuto, luculenter patet: (quibus poteram adjungere *Eumolpum*, *Pelopem*, & ante hos *Deucalionem* Scytham;) hinc evenit, ut etiam Græcorum sapientes, habuerint eos ut amicos & summâ necessitudine sibi junctos, adeò ut posteritas ignara vetustatis, habuerit eorum antesignanos tanquam reverà origine, linguâ & Natione Græcos; ob idque non mirum, si etiam Urbes aliquas ultrò à talibus denominaverit. Atque sic fieri & hoc potuit, (quòd non dubito sæpè contigisse,) ut etiam Græcus vir nomine alieno, v. gr. *Megarico* insigniretur, etiamsi non esset natione ac linguâ *Megareus*. Hoc verò nomen Græci illi, qui *Megaræ* junctim cum *Megarica* gente habitârunt, liberrimè ac jure Civitatis ipsius ubique gerere poterant, & si alia quàm linguâ *Megaricâ* loquerentur. Eodem modo, quo in Hungaria, omnes ejus patriæ Cives, quorum è medio Status & Ordines Regni constant, ob communem Patriam, (etiamsi *Daci*, *Gothi*, vel *Sclavi* sint,) jure dicuntur *Hungari*, ut jam alibi à me hoc insinuatum. Ideoque ne miremur, quod olim tam vulgare evaserit apud Græ-

Græcos nomen τῶ Μεγάρων; (nam & plures Urbes hoc nomine vocatæ ſunt;) atque etiam *Megarei*, non ſolùm pro Cive *Megarenſi*, ſed etiam pro denominanda certâ perſonâ fuerit ſumptum. Sic ducem illum *Megarenſium*, nomine *v. Megareum*, qui tempore *Gallicæ* in Græciam expeditionis, circ. an. ante natum Chr. 280. nomine Urbis & regionis *Megaridis*, unus è belli Ducibus erat, nîl dubito, fuiſſe natione & linguâ Græcum, etiamſi *Megareus* proprio nomine vocaretur. Sic *Megara x.* Siciliæ, quæ teſte *Ephoro* † apud *Strabonem y.* poſt bellum Trojanum fuit à Græcis exſtructa, ac per hoc, Græcorum Colonia, nomine iſto adventitio, non ab aliis ſine dubio, ſed à Græcis fuerat inſignita: eò quod jam è diuturna cum *Megarica* gente converſatione, cohabitatione & neceſſitudine, vocabulum illud uſû domeſticum ſibi reddiderant. Atque hinc legimus etiam, Templa Deorum, vel alia ædificia, nomine τὸ Μεγάρα ab iis inſigniri. *z. Megaram* autem Theſſaliæ, Ponti, Moloſſidis in Epiro, & *Megaram* Illyridis, an Græcæ vel Megaricæ Nationis homines ita

v. De hoc vid. Pauſan. in Phocic. ſiv. Lib. 10. pag. 646. edit. Hanov. 1613. *x.* Vid. Steph. de Urbib. † Floruit Ephor. ann. ante N. C. 340. *y.* Strab. Geogr. Lib. 6. p. 267. *z.* De his Vid. Steph. de Urb. in voce Μέγαρα. Floruit hic Steph. circ. an. D. 500.

ita olim denominaverint, in medio relinquo; cum de celebratiori *Megara*, & ad scopum nostrum faciente, ea quæ dicenda erant, non neglexinus. Fuit etiam in Syria ad Apamiam pertinens, ejus nominis Urbs, cujus facit Strabo *a*. mentionem, tanquam à Tryphone (circa an. ante N. C. 138.) invasæ, quæ optimè ab ipsis Syris poterat eô nomine primùm intitulari.

XVIII. Fuit & mulier nomine Μεγάρα, *b*. (*Megára*) Herculis uxor Thebani; qui juxta Petavium *c*. natus, anno ante nat. Chr. circiter 1289. ac floruit circa 1246. Et juxta Lydiati notas in *Chronicon Marmoreum*, ascendunt initia hujus Herculis, ad ann. ante Nat. Chr. 1286. vel 1298. Hæc *Megara*, an fuerit origine Græca mulier, nullo argumento ostendi potest; præsertim cum illo adhuc tempore in Bœotia Herculis patria, aliæ Nationes potiùs quam Græcæ, gestis celebres essent. Ipsum quoque nomen *Herculis*, (de cujus etymo aliàs, ‡) non Græcam suî primævam nobis ostendit originem: unde & de uxoris ejus nomine, ob temporis antiquitatem, & nominis peregrinitatem, simile

a. Strab. Geogr. Lib. 16. pag. 757. ed. an. 1620. *b*. Vide Diod. Sic. Bibl. Lib. 4. & ex eo Euseb. Præpar. Evangel. Lib. 2. pag. (mihi) 55. *c*. Ration. Temp. Part. 1. Lib. 1. c. 8. Ibid. c. 10. ‡ Inf. Cap. 12. §. 27.

mile judicium ferre possumus. Fuit & *Megarus* *d.* quidam, (Jovis filius ex aliqua Nympha habitus à Græcis,) tempore Deucalionis.

XIX. Nostrum & illud videtur de Natione *Magarica* scopum illustrare, quod Stephanus Byzantinus ut homo Græcus monet: *e.* Καὶ τοὺς Μεγαρικοὺς Κεράμους διὰ τοῦ ε, χρὴ λέγειν, οὐ διὰ τοῦ α, ὡς οἱ ἔμποροι τὴν ἀρχουσαν παραφθείροντες. *Etiam fictitia vasa Megarica*, (ut & cetera nomina ejusdem originis cum Megara,) *per e, oportere dicere, non per a, ut Mercatores, qui primam Syllabam corrumpunt.* Apertè in his verbis innuit Stephanus, suo tempore Mercatores pronuntiasse τὰ Μέγαρα, Μάγαρα, (*Magara,*) & *Megareus* atque *Megàricos*, similiter per *a* in prima Syllaba, *Magareus* & *Magaricos.* Hoc sanè non ab aliis illi didicerunt, quàm ab antiquæ gentis *Magaricæ* reliquiis; quas adhuc præter Hunnos, poterant tunc invenire in Pannonia, ac inter Tibiscum & Danubium. Nostra enim Natio ita hoc nomen, per *à* prununciat *Magyar*, juxta Chaldaicum *Mager*, vel Hebraicum *Magor.* Quod *Megyer* per *e* pronuntietur, hoc cum particularis loci nomen sit, nihil præjudicat ei, quod de generali & frequentissimi usus nomine dicimus: præsertim cum & talem primæ Syllabæ flexionem, nostri majores ex proprietate

d. Pausan. in Attic. pag. 74. Μέγαρον τε παῖδα ὄντα Διός &c. *e.* Steph. de Urb. in voce Μέγαρα.

tate linguarum antiquiſſimarum Hebraicæ & Chaldaicæ haberent; ut apparet in *Megura* Chaldæorum: & fortè olim noſtris majoribus non minus in uſu fuit per *e*, quam per *a*, primam Nationalis ſui nominis ſyllabam, proferre. At verò Stephanus Byzantinus, & alii Græci cum eo, non orientalis alicujus linguæ proprietatem hîc ſpectârunt, dum ꝭ *Megara* primam ſyll. per *e* pronunciârunt, ſed ut videtur, (quod & in aliis fit,) ſuo illi magis domeſtico vocabulo, Μέγας, μεγάλη, μέγα, etiam hoc, in ſono vocalium primæ & ſecundæ Syllabæ, conformare voluerunt; aut quia etiam per *e* ab antiquiſſimis *Megaris* (ut modo dictum) eam pronunciatam fuiſſe, acceperant. Facit etiam Oppiduli in Bithynia mentionem Stephanus, quod *f.* μεγαρικὸν, *Megaricum* vocat. Plinio *g.* dicitur *Megarice*; eodem modô, quô in Taurica Cherſoneſo, Civitatem quandam *præcipui nitoris*, Heracleam ſuo ævo dictam, ſcribit olim *h. Megaricen* fuiſſe vocatam. Sed hoc maximè facit ad noſtrum ſcopum, quod Stephanus dum ſub eadem voce (ꝭ μεγαρικȣ,) Arrhianum citaret, ſubjicit ex eo & hoc: Καὶ τὸ μεγαρικὸν ἔθνος: & MEGARICA GENS. Breviter ſcilicet ſuo more facit mentionem *Megaricæ Gentis*. Quibus verbis docet, quòd non ſolum

f. Pag. 451. *g.* Hiſt. Nat. Lib. 5. c. 32. *h.* Lib. 4. c. 12.

lum Civitates quædam dictæ sunt hoc nomine *Megara*, earumque Cives *Megarei*, sed etiam Natio fuerit jam ab olim, quæ *Megarica* dicebatur. Hanc vero Nationem, si quis aliam præter nostram, ejusque progenitores quærat, non nisi in cassum laborabit. Non me latet, novissimum Stephani editorem *i.*, conjicere hîc loco ἔθνος, legendum esse τεῖχος, h. e. *murus.* Sed quis non videt qui aliquid unquam de hisce rebus legit, quam inepta est hæc conjectura? ut quæ obscurat potiùs authorem, quam illustrat. Quærimus enim iterum ab eo: Quis est, & ubi est *Megaricus* ille *murus*? Magna certè Scriptorum oscitantia debuisset hîc esse, si τὸ τεῖχος à Stephano unquam hîc positum, mutassent planè in ἔθνος. Si doctus ille conjectator penitiùs novisset & considerasset, esse Nationem, quæ in hunc usque diem vocat se *Magyar*, h. e. *Megaricam*; reor, suam illam conjecturam haud publicasset. Rectiùs Thomas de *Pinedo*, intacta reliquit verba Stephani, de *Megarica Gente:* etsi non solùm versione, sed & notis eruditissimis Stephanum exornaverit. *Ryckius k.* dum putat legendum hîc esse, τὸ ἐθνικὸν, Μεγαρικὸς: h. e. *Gentile*, (seu gentis nomen,) *Megaricos*; nihil suâ hac conjecturâ nobis officit. Nullam tamen video rationem,

i. Vid. edition. Stephan. Leidens. an. 1688. in voce Μεγαρικόν. *k.* In Not. in Steph.

nem, ob quam non potiùs, vulgata Stephani lectio sit hìc retinenda. Nam *Megaros*, (seu Hungaricæ Nationis aliquos majores,) habitasse olim in ea parte Asiæ minoris, ubi est Bithynia, (locus de quo Stephanus & Plinius loquuntur, vicinus Phrygiæ,) non dubitabit ille, qui veterum Amazonum Scythicarum, varias in varia loca expeditiones diligentius legerit; quod & infra ‡ unum est nobis argumentum, instituto nostro de Hungaris inserviens.

XX. Hæc sunt ea quæ occasione Urbis *Megaræ*, ad illustrandam originem nominis *Magarici*, mihi dicenda erant. Quibus hoc tantùm de *Megaræ* initiis adhuc superaddi velim. Quod si quis meum judicium de duabus suprà recensitis, nominis *Megaræ* Urbis rationibus, scire cupit; ego fateor primam ex ipsorum *Megarensium* traditione deprómptam, posteriori *Bœotiorum*, longè magis præfero. Urbem nempe, ab ædificiis eo loco locatis, imprimis à magnis in sacrum usum ædibus, fuisse potiùs denominatam in plurali, τὰ μέγαρα, (τῶν μεγάρων,) quàm a celebri illo *Megareo*, Nisi adjutore. Nam μεγαρεὺς potiùs deducitur ἀπὸ τοῦ μεγάρου, vel τῶν μεγάρων, (ut jam rectè Stephanus observavit, & ipse usus veterum nos docet,) quàm ut plurale μέγαρα ἀπὸ τοῦ μεγαρέως, à *Megareo* quispiam deduce-

‡ Huj. Cap. §. 35.

duceret. Rectiùs à Viro nomine *Magar*, vel *Megareo*, derivatur *Megaricè* vel *Megaricon*, quam *Megara* in plurali. Esto, quòd illâ occasione, quâ Niso, & urbi jam exstanti, *Megareus* in subsidium venit, nomen illud prius ei datum, valdè confirmatum sit; non tamen ex ejus nomine primitùs inditum.

XXI. Liceat nobis paululum adhuc immorari indiciis, non obscurè suadentibus, *Magarica* seu Hungaricæ Nationis aliquos majores olim in Græcia sedes habuisse. Quid enim quæso securitatis & confidentiæ habuit paulò ante Trojæ excidium celebris Amazon *l. Hippolyte* in *Megarensibus*, plus quàm in aliis Græciæ Urbibus, dum *ob captam* & abductam Antiopen suam sororem, *Athenienses bello lacessens*, moxque superata à *Theseo* Atheniensi, *Megaram se cum paucis* recepit, ibique demùm fato functa, etiam *monumento*, à *Megarensibus* est condecorata, si non suos illic contribules & fratres invenisset, magis quam alibi locorum in Græcia? (Fuisse verò *Amazonum* antiquissimas & celeberrimas, Nationis Majorum nostrorum, infra † Deo dante, satis ex nomine ipso edocebo.) Sic enim sentio, quod olim, dum adhuc *Megaridem*, Atticam & alias vicinas ibi Græciæ Regiones, Barbari tenerent, *Athenis* quoque (ut & *Megaræ*) non obstante Ægyptiâ *Athenarum* origine, nostri

l. Pausan. in Attic. seu Lib. 1. p. 77. † Cap. ult.

majores Principatum tenuerunt; sed labentibus annis & seculis, paulatim Græci illis prævaluerunt; (unde bella tandem frequentia inter *Græcos* & *Amazones* nata, dolentibus his, quod ipsarum consangvinei, jam jam ferè ad incitas redigerentur in Græcia;) sic tamen ut adhuc *Megaris*, ejusque Metropolis *Megara*, diutius quàm alia loca, contra Græcos subsisterent, suamque originem & indolem retinerent. Ea de causâ habuit *Hippolyte*, cur ad *Megarenses*, pressa ab hostibus confugeret. Quæro etiam, cum certò constet omni ei, qui non utcunque antiqua legerit, *Megaros* in *Megaride* certam fuisse & peculiarem Nationem, *m. quinque pagos antiquitus incolentem*, non autem propaginem aliquam Græcæ Nationis, (quod vel ex illis verbis *Apollonii* facilè colliges; *n* Νισαῖοι Μεγαρῆες, *Nisæi* (seu *Nisenses*) *Megari*; ubi primum est nomen Civicum, ab uno nempe ejusdem Civitatis nomine, alterum Gentilitium, ab ipsa Gente Urbem incolente:) quæro inquam, quænam fuerit Natio illa olim in *Megaride* à Græca distincta, si non ea, cui in hunc usque diem nomen illud (*Magaricum*) est proprium ac domesticum? Ostendat etiam qui potest, cujas nam fuerit Natione *Porcarius* ille, qui Μεγαρεὺς (*Megari*-
cus

m. Plutarch. Quæst. Græc. 295. & ex eo *Ryckius* in Steph. de urb. in voc. Μέγαρα. *n.* Apollon. Aronaut. Lib. 2. v. 749.

cus juxta interpretem) nominatur apud *Aristophanem*, † & cui Sycophanta ad linguam & mores ejus illusivè collimans dicit, * Κλάων μεγαρίεῖς, *Malè Megarissabis*, (*seu Megarizabis*,) nisi reverà fuerit ex ea Natione *Megaricus*, cujus posteri in hunc usque diem se vocant *Magar*, seu Nationem *Magaricam*? Et notanda sunt benè ibidem ad τὸ μεγαρίεῖς Scholiastæ Græci verba: Ἐπειδὲ (inquit) τῇ Μεγαρέων ἐχρῆτο φωνῇ, ἀντὶ τοῦ λιμώξεις, ἢ εἰς Μέγαρα ἀπελεύσῃ. ἢ τὰ Μεγαρέων φρονήσεις· ἢ τῇ Μεγαρέων διαλέκτῳ χρήσῃ. *Quoniam* (inquit) *Megarorum utebatur voce*, (ideo sic loquitur Poeta) *pro eo* (ac si dixisset ipsi,) *quod* (malè) ‡ *esuries*; *vel Megaram* (malè) *abibis, vel* (male) *sapies ea quæ Megarorum sunt*, *vel* (male) *dialectô Megarorum uteris*. Hæc penitius excussa, docent olim *Megaros* in Græcia & linguâ & Natione à Græcis (quà tales,) fuisse distinctos. Et hôc firmiter stante, non metuimus, ut ulla alia hujus nominis & lingvæ Natio possit à quopiam assignari, quam ea, è cujus posteris & sangvine sunt hodierni *Magari*. Memorabile est τὸ quoque μεγαρίζειν, (quod idem, quod μεγαρίζειν) h. e. *Megarizare*: nostrum

Bb 2

† Arstioph. in Acharnensib. Act. 3. Scen. 2. 3.&4.p.407.&seq. Floruit autem Aristophanes Comicus ann.430.ante Nat.Ch. tempore belli Peloponnesiaci *. Ibid Scen 4. pag. 411. ed An. 1607. Gen ‡ Nota hic illusionem Catachresticam.

noſtrum enim verbum eſt in hunc uſque diem *Magyarázni*; h. e. *exponere*, *interpretari*; vel *Magarice aliquid exprimere*, *eloqui*; ita ut ad rem planè etiam hodie illud Ariſtophanis noſtro idiomate dici poſſit: *Roſzzúl fogſz Magyarázni.* H. e. *Malè tibi cedet hac tua declamatio*; *hac tua apologia*, vel *hac tua verboſitas Magarica.* Poſteritas tamen Græca verbum illud tantùm in abuſum vertit. Quæro item; quid nomen Ἀπατέρια, *Apaturia*, (in plur.) apud Græcos olim faciebat, & à quibus id ortum habebat, ſi non ab Hungaricæ Gentis Majoribus illud ſibi Græci mutuati ſunt? Fruſtra enim, ſi ſeriò agere velis, ejus originem in Græco idiomate quæres; in Hungarico autem eâ facilitate & felicitate invenies, quâ in nullo alio. Experire ſi ita lubet; ego de noſtro idiomate id quod aſſero, è veſtigio demonſtrabo. *Apaturia*, ut notum eruditis, *Feſta* erant *o*. *Athenienſium* celeberrima & antiquiſſima, *per tres dies* celebrari ſolita, de quibus & Herodotus *p*. meminit: quæ licet *Athenis*, *q*. ab *omnibus* tamen *Jonibus præter Epheſios & Colophonios*, celebrabantur. Quàm profuſa in his *Apaturiis* agerentur convivia, diſcimus ex *Tertulliano*, ea ſimul *Dionyſia* ſeu Bacchica *myſteria* vocante. *r* *Apaturiis* (inquit)

o. Vid Suidam, in voce Ἀπατέρια, & Phavorin. in Lexico. *p*. Lib. I. in Cl. *q*. Herod. Loc. cit. *r*. Tertull. Apolog. c. 39. Eo ſpectat illud Ariſtophanis apud Suidam: *Cupiebat comedere farci-*

(inquit,) *Dionisiis mysteriis Atticis, Coquorum delectus indicentur.* Originem nominis hanc Græci recentiores fabulantur. *s.* Quod *cum bellum esset Athenienfibus adversus Bœotios, Xanthius Bœotius Thymœten Athenienfem Regem* ad singulare certamen *provocavit*: hôc recufante, *Melanthus Messenius Regni causâ* id *fuscepit.* Mox in pugna, dum *Xanthius* ad verba Melanthi, nescio quem *nigrum* Cacodæmona suum anxiliatorem, post tergum respicere vellet, eâ occasione à Melantho, ex inopinato, ἐξ ἀπάτης, fraude interfectus est. Hac igitur de causa, hoc festum *Apaturia* vocatum est; nempe ἀπὸ τῆς ἀπάτης, *à fraude*, quâ Xanthius è medio sublatus est. Scilicet! Nugæ nugarum, similes multis aliis putidis Græcorum figmentis, natis vel ex obliterata penitùs memoria vetustatis apud ipsos, vel admodum tenuiter & obscurè superstite. An enim aliud quoque nomen huic cognatum & ejusdem fontis, nempe Ἀπάτουρον, *t. Apaturon*, dicemus pariter ἀπὸ τῆς ἀπάτης, *a fraude*, sic fuisse denominatum? Non puduit quidem Græcos, etiam hoc Scythicum *Apaturum* (Fanum Veneris, in territorio *Phanagoria*, *u*) ad *Bosporum* Mæoticum olim situm, ex eodem

mina ex Apaturiis. *s.* Suidas in dicta voce, Ἀπατούρια, & Phavorinus in eadem. *t.* Strab. & Steph. loc. mox citandis. Conf. Plin Lib.6. c. 6. *u.* Conjicio nostrum *Philegoria*, (æstiva domus alta,) huic respondere.

fonte, licet aliâ ratione, pariter fictâ, deducere; ut videre est apud *Strabonem x.* & *Stephan. y.* de Urbibus: Sed nos ejusmodi quisquilias nugarum accumulatas, nihili facimus; nec permittimus ut Scythica à Græcis deriventur. (Adjicit Stephanus alia etiam nomina à loco illo dicta: Ἀπάτουρος, Απατουρείτης, Ἀπατούριος καὶ Απατουρεύς; *Apaturus*, *Apaturites*, *Apaturius*, & *Apaturеus*, eodem significatu.) Res igitur sic se habet. Veram hujus nominis originem, nec ipsi Græci penitùs sepelierunt. Scribunt enim hanc aliam nominis Ἀπατουρίων originem: *ȝ.* Οἱ δὲ φασιν, (inquit Suidas,) ὅτι τῶν πατέρων ὁμοῦ συνερχομένων διὰ τὰς τῶν παίδων ἐγγραφάς, οἷον ὁμοπατόρια λέγεται τὴν ἑορτήν. H. e. *Alii vero dicunt*, ex eò, *quod PATRES propter filiorum inscriptionem a. simul convenirent, hoc festum vocatum fuisse*, Απατούρια, (Apaturia) *quasi* Ομοπατόρια, h. e. *Patrum confluxus*, vel *Compaternitas*. Addit, eodem modo hoc dici, quô ἄλοχος (uxor ejusdem lecti particeps,) dicitur quasi ὁμόλοχος, & ἄκοιτις quasi ὁμόκοιτις. Sed non est hîc necesse sollicitum de eo esse, quid α Græcorum in fronte nominis significet; habemus enimjam eam illius rationem proditam à Græcis, cujus ductû, ultrò & sponte, sine ulla torsione

x. Geogr. Lib. 11. pag. 495. ed. A. 1620. *y.* Steph. in voce Απάτουρον. *ȝ.* Suidas in voce jam dicta.
a. Intelligo, in numerum honoratiorum.

ne patet ejus nominis origo ex idiomate Hungarico. *Apátúr* enim in hunc uſque diem (pro, *Apád-Ur*, vel pleniùs *Apád-Urad*) eſt genuinum Hungaricum vocabulum, idem ſignificans, quod *Pater tuus Dominus*: (pro, Dominus Pater tuus:) quo hodie *Abbatem* ſolemus indigitare. Frequens enim fuiſſe noſtris, multa compoſita cum affixo ſecundæ perſonæ *d* (quod hic in *t* mutatum eſt,) formare, etiam quæ indefinitè poterant enunciari; fidem faciunt exempla hujuſmodi adhuc in uſu ſuo manentia: Ut, *Apád-falva*; h. e. Patris tui Pagus : *Apáti*, pro *Apádi* ; (nomen pagi;) *Száд vára*; Oris tui Arx. Item, *Hunyad*, *b.* *Erdöd*, *c.* *Várad*: *d.* Eodem modo formatum eſt etiam *Apátur*. Si ergo ob commodum filiorum ſuorum, noſtri olim majores certis temporibus convenerint, eaque in magna (ut patet) ſolennitate, tranſegerint; rectè eam ſolennitatem, *Apaturi Innep*, *e.* vel *Apaturak Innepe*, h. e. Dominorum Patrum Feſtum, nominare poterant: unde Græci, (*ἀπὸ τȣ̃ Apaturi*,) appoſitâ ſuâ terminatione, dixerunt Ἀπατȣ́ριος, α, ον; & in plurali neut. ob ternum dierum ſolennium numerum, Ἀπατȣ́ρια, *Apaturia.* Aliud quoque nomen ad Boſphorum Scythicum, dixerunt noſtri in recto, *Apátúr*; in obli-

b. Tugurium tuum. *c. Sylva tua.* *d. Arx tua.*
e. Apaturi eſt propriè adjectivum à perſona vel loco formatum, quod *i* finale indicat.

obliquo vero, *τὸ in loco* esse aliquid exprimente, *Apátúron*: unde Græci, vel hôc retento, vel priori, additô *ον*, vocârunt illud, Ἀπάτουρον. Simile autem extremum est etiam in alio (aliquot locorum) apud nos nomine *Kereſztúr*; quod est proprie, *Crux Dominus*.

XXII. Quæro insuper, unde tanta fuerit familiaritas antiquissimis ac remotissimis *Scythis* (quos Græcorum Scripta Hyperboreos vocant,) cum *Græcis*, inprimis Atheniensibus & Deliis, quantam Diodorus Siculus describit? qui præmisso, *f.* ἔχειν τοὺς ὑπερβορέους ἰδίαν τινὰ διάλεκτον, *Hyberboreos habere dialectum sibi propriam*; mox subjicit: καὶ πρός τοὺς Ἕλληνας οἰκειότατα διακεῖσθαι, καὶ μάλιστα πρὸς τοὺς Ἀθηναίους καὶ Δηλίους, ἐκ παλαιῶν χρόνων παρειληφότας τὴν εὔνοιαν ταύτην. καὶ τῶν Ἑλλήνων τινὰς μυθολογοῦσι παραβαλεῖν εἰς ὑπερβορέους· καὶ ἀναθήματα πολυτελῆ καταλιπεῖν, γράμμασιν ἑλληνικοῖς ἐπιγεγραμμένα· ὁσαύτως δέ καὶ ἐκ τῶν ὑπερβορέων Ἄβαριν εἰς τὴν Ἑλλάδα καταντήσαντα τὸ παλαιόν, ἀνανῶσαι τὴν πρὸς Δηλίους εὔνοιαν τε καὶ συγγένειαν. *Et singulari Græcis benevolentiâ ab antiquis inde temporibus confirmatâ, addicti sunt, inprimis ATHENIENSIBUS & DELIIS. Quin Græcorum nonnullos, ad Hyberboreos trajecisse, & dona-*

f. Diod. Biblioth. Lib. 2. p. 130. Hanov. 1604

donaria (illic) *pretiosa reliquisse Græcis literis inscripta, fabulantur. Sic & Abarin g. quondam in Græciam ab Hyperboreis profectum, PRISTINAM cum Deliis AMICITIAM & COGNATIONEM renovasse* tradunt: unde inquam, hæc tanta inter prædictos non solùm familiaritas sed & *cognatio*, si non exinde, quod multi antiquissimi Græciæ incolæ, suos consanguineos etiam in Scythia habuerint? Fuisse autem nostros majores è numero talium, hic liber attente & cum judicio perlectus, dubitare lectorem non sinit; & quomodo iidem, pártim in Græciam partim in Scythiam fuere olim disjecti, infra ‡ audiemus. Scribit etiam Herodotus, *h.* ἱρὰ ἐνδεδυμένα *i.* ἐν καλάμῃ πυρῶν ἐξ ὑπερβορέων φερέμενα, *Sacra alligata in triticea stipula ex Hyperboreis allata*, per manus aliorum *Scytharum* ad *Græcos Dodonæos* aliosque, ac demum *ad Delphos perveniße*. Mox subjicit, se non solùm apud *Thraces*, sed & apud *Pæonios* vidisse talia *sacra*, in cultu *Dianæ* à mulieribus adhibita. Cur etiam *Toxaris*, †. Philosophus & Medicus *Scytha*, Anacharsi * quidem senior, sed ei quoque notus, adeo adamaverit *Athenas*, ut semel eo ingressus, non amplius in Patriam inde redierit, sed ibidem diem clauserit extremum? &, cur ab ipsis quoque Athenien-

 sibus

g. De hoc v. sup. p. 149. & 150. ‡ §. 33. 34. 35. 38. h. cap. *h.* Lib. 4. *i.* al ἐνδεδεμένα. † Lucian. Scytha, seu Hospes. pag. 591. & 592. Op. Tom. 1. * Ætatem Anac. vide sup. pag. 49. & 150.

ann. ante nat. Chrift. circ. 1581. *in Græciam ex Ægypto veniſſet*, atque Athenis ſedem fixiſſet; itidem cum *Cadmus* etiam ann. ante nat. Chr. 1518 ex Ægypto juxta Marſhamum, *l.* per Phœniciam, aut juxta communiorem ſententiam ex Phœnicia; atque *Danaus* pariter Ægyptius annis ante nat: Chr. 1510. in dictam Græciam appuliſſent; præter Ægyptios, quorum lingua longè diſſimilis fuit à Græcâ, etiam Phœnices ſecum adduxerunt; præſertim de Cadmo nullum hic dubium eſſe poteſt, quin multos ſecum Phœnices in Bœotiam adduxerit, qui & literas Phœnicias Græcos primùm docuerit. Poterant ergo Græci *Megaræ* nomen à Phœnicibus habere, vel etiam Urbem ab iiſdem fundatam, ad poſteritatem cum nomine tranſmittere. Alterius dubii ratio hæc eſt; quia nullum videtur vel veſtigium in antiquitate, quomodo & quando Hungaricæ Nationis majores olim in memoratas Græciæ Regiones, dudum ante belli Trojani tempora, penetraſſent.

XXIV. Verùm, reſpondeo ad primum. Non eſt quidem dubium, olim inter tot migrationes Ducum atque populorum in Græciam, etiam *Phœnices* præſertim cum *Cadmo* migraſſe in Græciam; de *Ægyptiis* autem hoc adeò clarum eſt, ut ipſi Græci Scriptores olim, *m* Atheni-

l. Vid. Marſham. Chronic. Can. pag. 122. & 123. ed. Lipſ. *m.* Vid ex Theopompo Jul. African.

thenienses Ægyptiorum colonias esse, tradiderint: at verò, cum in Græcia non solùm Urbs dicta fuit *Megara*, sed etiam personæ sunt nomine illi cognato frequentissimè insignitæ; in quibus eo nomine denominandis, quà proprium eis erat, nullus ad Urbem *Megaram* quà Urbem, exstitit respectus; quod exemplô *Megarei* Onchestani perspicuum est; non autem constat Phœnicibus pariter in usu fuisse, nomine *Megar*, aut *Magar*, personas insignire; annon æquo judicio rem hanc pensitanti clarum est, Græcos hæc nomina *Megaron*, *Megara*, *Megarus*, & *Megareus*, ab illis potiùs, quam ab ullis aliis accepisse, qui in hunc usque diem, non solùm locum quempiam nuncupant *Megyer*, (quod idem cum *Megar*,) non solùm totam gentem ejusdem originis voce designant, (quod Phœnicibus nunquam in usu fuit;) sed etiam personas adhuc frequenter hoc cognomine, à tota Natione, eoque quod ferè semper in ore habetur, desumpto, *Magyar* denominant? quod non esse illis novum, sed à Majoribus acceptum, exemplum *Moageri*(h. e. *Magari*,) Hunni, supra † memorati, nos docet. Et sane ipsa ratio exculta suadet, *Magaricæ* potius, quàm ulli alteri in Mundo Nationi debere tribui tam frequentium

apud Euseb. Pr. Evang. Lib. 10. c. 10. & Diod. Sic. Lib. 1. & Marsham, pag. (mihi) 110

† Huj. cap. §. 6.

tium apud Græcos, nominum prædictorum, *Megara*, *Megareus*, & cognatorum, originem. Quis enim non videt, originem vocabuli alicujus controversi, illi potius genti adjudicandam esse, quæ non solùm in particulari quopiam usû olim illud habuerit, sed velut indelebile totius sui Corporis ejusque membrorum insigne, quotidie in ore communiter habeat, quàm quæ particulari tantùm in re designanda, eodem usa fuerit? Non ergo negamus hîc vocabulum *Magar* imò & alia quædam, Phœnicibus & nostræ Nationis majoribus communia fuisse; quin potius ex eo, quòd Græciæ olim partes, tum Phœnices atque Ægyptii, tum etiam Scythica progenies, (ut mox docebitur,) eodem tempore incoluerint, ultrò concedimus, multum ab invicem, memoratas illas gentes in rebus ac personis denominandis, mutuatas, aut saltem in continuandis veteris linguæ (nondum confusæ ac divisæ) reliquiis, mutuâ linguæ cognatione & ad Hebraicam vicinitate, adjutas fuisse; non tamen inde sequitur à Phœnicibus potiùs vel Ægyptiis, quàm a *Magarica* Nationis majoribus, nomen Urbis *Megaræ*, profectum esse. Eventus enim in hunc usque diem docet, vocabulum *Magar*, longe usitatius, & per hoc magis familiare ac domesticum, *Magaricæ* Nationi, quam Phœnicibus vel Ægyptiis fuisse.

XXV. Ad

XXV. Ad Alterum dubium dico. Obscurum quidem primâ fronte esse, quomodo *Hunniacæ* seu *Magaricæ* Gentis majores in partes Græciæ supra memoratas, penetraverint; verùm in sequentibus dicenda, accuratè pensitanti, non minus hoc clarum erit, quàm *Cecropem*, *Cadmum* & *Danaum* cum sociis, venisse aliquando in Græciam. Ad hoc autem maxime expendenda nobis veniunt, *Deucalionis* & *Promethei* genus ac loca gesti principatus.

XXVI. *Deucalion* ac *Prometheus* illius parens, quòd fuerint origine *Scythæ*, jam in primo quoque Libri hujus capite * docuimus. Cum verò illic præclarum de Prometheo in hanc rem Herodori cujusdam (sive Heracleotæ, † sive Pontici,) testimonium, alienis tantùm verbis retulerimus, eò quod tunc nondùm Græcum authorem ad manus habuimus; nunc jam quod ibi neglegimus, resarcimus. Sic autem hoc testimonium refert Apollonii Scholiastes: *n.* καὶ Ἡρόδωρος ξένως περὶ τῶν δεσμῶν τοῦ Προμηθέως ταῦτα. εἶναι γὰρ αὐτὸν Σκυθῶν βασιλέα φησὶ καὶ μὴ δυνάμενον παρέχειν τοῖς ὑπηκόοις τὰ ἐπιτήδεια, διὰ τὸ τὸν καλούμενον ἀετὸν ποταμὸν ἐπικλύζειν τὰ

πεδία

*Supr. pag. 22. *n.* Scholiast. In Apollon. Argonautic. Lib. 2. v. 1252. † Vid. Voss. de Hist. Græc. Lib. 3. in Herodor.

πεδία, δεθῆναι ὑπὸ τῶν Σκυθῶν. H. e. *Et Herodorus peregrinâ dicendi ratione, de Vinculis Promethei, hæc* scribit. *Regem enim Scytharum fuisse eum dicit: qui cum non posset necessaria suis subditis subministrare, propter fluvium dictum Aquilam campos inundatione obruentem, vinctus est à Scythis.* Iam verò in superioribus, idem Scholiastes, etiam ex *Agræta* Libro 13 tio Scythicorum, protulerat testimonium, in eundem ferè sensum, de flumine *Aquila*, jecur, hoc est, optimam Regionis Promethei partem corrumpente. Et sicut *Herodorus* narrat, ab Hercule huic fluminis crebræ violentiæ, (per ejusdem aversionem in mare,) remedium allatum fuisse; ut per hoc Prometheus à vinculis (præcipuè curarum & mœrorum) solveretur; sic *Agrætas* etiam apud dictum Scholiastem, eadem ferè refert: ut ex horum testimoniis constare possit, veteres in ea fuisse sententia, Prometheum non solùm Scytham, sed & *Regem Scytharum* fuisse. Accedit, quòd nullus veterum docuerit unquam, Prometheum fuisse Græcum. Meritò igitur inquirimus, cujus fuerit Nationis & prosapiæ. Cum autem ex omnibus illis, quæ de *Prometheo*, (ejusque filio *Deucalione*) narrantur à veteribus, nihil aliud tam ultrò & evidenti sequelâ concludere possimus, quàm eum fuisse ex eadem stirpe, è qua proximè *Scythæ* originem duxerunt; hinc fixum etiam tenemus, eum

fuisse

fuisse unum ex præcipuis *Scythicæ* Nationis majoribus. Nam quod Diodorus Siculus, o. scribit *Prometheum* & *Herculem*, tanquam viros sapientissimos, à Rege *Ægypti* Osiride Provinciis Ægypti præpositos, ibique damna illa, quæ alii in Scythia contigisse scribunt, per Nili, (qui ob celeritatem Ἀετὸς tunc erat dictus,) inundationem, Regioni seu Præfecturæ ejus, illata fuisse; hoc minimè evertit nostram ac veterum de origine *Promethei* sententiam. Cum enim veterum calculo, vir sapientissimus esset, atque etiam vita longa pro illo adhuc ævo, ei suppeteret; poterat benè in sua juventute, etiam in *Ægypto* res magnas gerere, antequam supremum inter *Scythas* Principatum tenuisset: atque etiam filius ejus *Deucalion*, (quem sive in Scythia, sive potius in Græcia, ante Ægyptiacam Præfecturam, sive in Ægypto, genuerit, ad scopum nostrum perinde facit,) commodissimè poterat unà cum *Cecrope* ex Ægypto in Græciam transire; ac *Cecrope* Atticam occupante, *Thessaliæ* partem sibi pro sede eligere. Socios vero Scythas unde secum habuerit, paulo post audiemus.

XXVII. Porro cum jam in superioribus p. audiverimus, Deucalionem a *Luciano* absque ulla hæsitatione vocari *Scytham*; an dubitabimus hâc in parte de hominis natione *Assyrii*, ac per hoc veteri *Scythiæ* valde propinqui testimo-

o. Bibliot. Lib. 1. p. Pag. 22.

monio? qui meliùs quàm quilibet Græcorum ſcire poterat ob majorem ſuî ad *Scythas* vicinitatem, quinam olim fuere inſignes è *Scythica* gente Heroës. Ideoque non mirum quod tam confidenter Deucalionem, *Scytham* dixerit. In hoc ſanè conformiter cum illis Græcis locutus eſt, qui Patrem Deucalionis *Prometheum*, Regem fuiſſe *Scytharum*, tradiderunt. Habemus ergò jam genus *Promethei* & *Deucalionis Scythicum*, uberiùs & clariùs, quam in principio Libri, demonſtratum.

XXVIII. Nunc jam ſpecialiter illud videamus; an horum aliquis olim in Græcia regnaverit nec ne, & quâ viâ ſuos populares eò deduxerit? De *Deucalione* † in *Theſſalia* ad Parnaſſum regnante, ubique confertim occurrunt teſtimonia veterum Scriptorum. Nos contenti erimus, unum vel alterum hîc in medium proferre: quorum primum ſit illud, quod in Chronico *Marmoreo* de Deucalione legitur in hæc verba: *q.* Ἀφ' οὗ Δευκαλίων παρὰ τὸν Παρνασσὸν ἐν Λυκωρεία ἐβασί-

† Nota, cum præter hunc noſtrum, tres adhuc nominentur hujus nominis apud Scholiaſten Apollon. in Lib. 3. v. 1086. nempe, unus, de quo *Hellanicus* agit; alter, *Minois* ſecundi *filius*; tertiùs *Abantis filius*; res ipſa docet nos non de ullo horum, ſed de primo & antiquiſſimo *Deucalione*, hîc agere. *q.* Epoch. 2. num. 4. & 5. pag. 157. & 159. edit. Oxon. 1676.

λευσε, βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Κέκροπος, ἔτη ΧΗΗΗΔ. *A quo Deucalion apud Parnassum in Lycoria regnavit, regnante Athenis Cecrope, anni MCCCX.* Epocha erecti Marmoris, ab anno ante natum Christum, 263. monstrat nobis pro hoc tempore regni Deucalionis, annum ante Nat. C. 1573. uti etiam supra r. consignavimus. De eodem Deucalione, & diluvio, quod sub eo contigit in Thessalia, hæc in eodem Chronico marmoreo habentur: f. Ἀφ' οὗ κατακλυσμὸς ἐπὶ Δευκαλίωνος ἐγένετο, καὶ Δευκαλίων τοὺς ὄμβρους ἔφυγεν ἐκ Λυκωρείας εἰς Ἀθήνας, προ.... ον καὶ τοῦ Διο............. τὰ σωτήρια ἔθυσεν, ἔτη ΧΗΗΠΔΔΠ βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Κραναοῦ. *A quo diluvium tempore Deucalionis evenit, & Deucalion imbres fugit, e Lycoria Athenas,* [veniens,] (supplet hîc *Prideaux* lacunam, indeque talem dat versionem: *ad Cranaum, & Jovis Phyxii & Olympii Templum extruxit, &c.*) *sacra pro salute fecit, anni MCCLXV. regnante Athenis Cranao.* Hoc est, anno ante Nat. Chr. 1528.

XXIX. *Strabo* autem de regno *Deucalionis* hæc paucis tradit: s. ἱστορεῖται ὁ Δευκαλίων τῆς Φθιώτιδος ἄρξαι, καὶ ἁπλῶς τῆς θετ]α-

r. Pag. 25. f. Epoch. 4. num. 6. 7. & 8. s. Geogr. Lib. 9. pag. 432.

θετ]αλίας. *Deucalion Phthiotidi*, *& simpliciter Thessaliæ imperasse dicitur.* Et paucis paginis ante hæc, de eodem, ejusque uxore *Pyrrha*, scribit: *t.* ἐν ᾗ τῷ Κύνῳ Δευκαλίωνα φασὶν οἰκεῖσθαι, καὶ τῆς Πύῤῥας αὐτόθι δείκνυται σῆμα, τοῦ ᾗ Δευκαλίωνος Ἀθήνησι. *Cyni* (Oppido navali Locridis) *habitasse ferunt Deucalionem*, *& monimentum ibi monstratur Pyrrhæ*, *ut Deucalionis* † *Athenis.* Hæc testimonia è duobus fide dignis hac in re authoribus deprompta, stent loco omnium, quæ hîc congeri possent. Certum igitur est, e testimoniis veterum, *Deucalionem* aliquando in Græcia regnasse. Imò si *Apollonio* credimus, *Deucalion* planè in ipsa Græcia fuit à *Prometheo* generatus, ut paulo post audiemus. Quod non pugnat cum eo, quod posuimus supra Deucalionem cum Patre suo in Ægypto fuisse, aut saltem esse illic potuisse. Poterat enim Pater eum in Ægyptum secum auferre, sive directè è Græcia, sive ad suos primum populares Scythas divertens, eò penetraverit. *Prometheus* sanè adeò Græcis notissimus & familiaris erat, licet in *Scythia* præcipuam imperii sui sedem habuerit, ut Panopenses (in Phocide,) jactaverint se habere reliquias (*u.* τοῦ πηλοῦ ἐξ οὗ καὶ ἅπαν ὑπὸ τοῦ Προμηθέως τὸ γένος πλασθῆναι τῶν ἀνθρώπων.)

t. Eod. Lib. Pag. 425. † Confer de hoc Pausan. in Attic. pag. 32. *u.* Pausan. in Phocic. sive lib. 10. pag. 615.

luti illius, *ex quo* juxta fabulam Græcorum, *universum genus hominum a Promotheo fuit effictum.* Huc pertinet, quod & Athenis in Academia, *x.* ara fuerit *Prometheo* consecrata. Apollodorus, (sive ejus epitomator satis antiquus,) qui circa annum ante Nat. Chr. 240. floruit, testatur, *Deucalionem*, ὑποθεμένου Προμηθέως, *y. consilio Promethei arcam* ante exundationem aquarum *fabricasse*, *in eamque ad vitam transigendam rebus necessariis impositis*, *cum Pyrrha uxore ingressum esse.* Quæ licet ex Historia Noachi, fabulosè mutuata sint, tamen satis arguunt notissimum olim fuisse Græcis *Prometheum*, utpote sæpiùs in eorum regionibus commorantem. Consilium hoc Prometheus *Deucalioni*, (qualecunque illud fuerit,) licet tunc haud præsens in Græcia, benè tamen per nuntios poterat dare, etiam ex alia parte Orbis terrarum, cum tam celeberrimi nominis Rex exstiterit. Sed redeo ad *Deucalionem.*

XXX. Quàm fuerit *Deucalion* gestis suis olim in Græcia, non solùm Politicis vel Oeconomicis, sed etiam Sacris ac Religiosis celebris, satis ostendunt hæc sequentia testimonia. Primum *Apollonii* Rhodii, (qui floruit circa annum ante N. Chr. 220.) hunc in modum, (verbis Jasonis,) & de solo *Deucalionis* natali, & de ejusdem eximiis in Græcia gestis, scribentis:

Est

x. Idem in Attic. pag. 58. *y.* Apollodor. lib. 1.

z. Ἔστι τις αἰπεινοῖσι περίδρομος οὔρεσι γαῖα,
Πάμπαν εὔρρηνός τὲ καὶ εὔβοτος. ἔνθα Προμηθεὺς
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα.
Ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις καὶ ἐδείματο νηοὺς
Ἀθανάτοις, πρῶτος γε καὶ ἀνθρώπων βασίλευσεν.
Αἱμονίην δὴ τὴν γε περικτίονες καλέουσιν.

Est quædam arduis circumventa montibus tellus,
Insigniter opulenta & pascua; ubi Prometheus
Japetionides bonum generavit Deucalionem:
Qui primus statuit urbes & excitavit Templa
Diis; primus autem & hominum exstitit regnator.
Atque eam dicunt Hamoniam accolæ.

Hamonia est Patria Jasonis, ipsa nempe *Thessalia*, † seu Pelasgicum Argos, Hæmonia, seu Æmonia prius dicta, ab *Æmone* nepote Pelasgi, ac patre Thessali. Ad hæc verba Apollonii de erectis à Deucalione Templis, hæc inter alia annotat Scholiastes Apollonii: Ὅτι δώδεκα θεῶν βωμοὺς Δευκαλίων ἱδρύσατο, ἑλλάνικος ἐν τῷ αὐτῷ (πρώτῳ τῆς Δευ-

z. Apollon. Argonaut. lib. 3. vers. 1084-. 1089.
† Plin. lib. 4. c. 7. Confer Steph. de Urbib. in Æmonia; & Scholiasten Apollon.

καλλιονίας,) φησι συγγράμματι. *Quod duodecim aras Deucalion erexerit, Hellanicus* * *in eodem (primo de rebus Deucalioniciis,) libro aſſerit.* Idem etiam paulo antea allegaverat; niſi quod illic duodecim Deorum *aram*, in ſingulari dixerat. Pauſanias etiam ſcribit, quod Athenis, *a.* (τοῦ δὲ Ὀλυμπίου Διὸς, Δευκαλίωνα οἰκοδομῆσαι λέγουσι τὸ ἀρχαῖον ἱερόν.) *Jovis quidem Olympii vetuſtiſſimum Templum, Deucalionem ædificaſſe,* vulgò *proditum* fuerit. Subjicit, ſignum hujus rei, & inhabitatarum aliquando à Deucalione Athenarum, monſtrari ſepulchrum ejus non procul à memorato Templo. Adeò autem Græcis perplacuit *Deucalion*, ut pars eorum ab ejus filio *Hellene b.* nomine ſibi ſumpto, dicti ſint *Hellenes*; cum antea (præter antiquiſſimum ſuum *Javan*,) dicti fuerint communi ad hoc uſque tempus nomine, *Græci*; à quibus demum, ad alios etiam Græcorum populares, nomen illud dimanavit. Abſque dubio, per matrimonia factum hoc eſt, ut ab alio, quàm ſuæ ſtirpis homine, vellent denominari.

XXXI. His præmiſſis lucem ſimul accendimus, ac viam ad ea, quæ ſtatim dicenda ſunt, præſtruximus; ne quiſpiam alicujus judi-

* Floruit Hellanicus (Mityleneus,) anno ante nat. Chr. circiter 455. *a.* Pauſan. in Attic. pag. 32. *b.* Vid. Chronic. Marmor. Item. Plin. lib. 4. c. 7. & notas Lydiati in Chron. Marm. pag. 20. 21.

judicii & discretionis, dubitare de eo amplius possit, an tantus Princeps, quantus erat *Deucalion*, magni Parentis magnus filius, multos etiam è suis popularibus Scythis, socios ac subditos secum in Græcia habuerit. Nunc id solum restat ostendendum, quando & quo pacto, populares Deucalionis, potuerint migrare in Græciam, inprimis in eas partes Græciæ, in quibus *Deucalion* regnabat? Ad hoc primò ita resolvo. Si ponamus Deucalionem ex Ægypto, Patris sui, Præfecturam tunc illic gerentis consilio, venisse in Græciam, poterat etiam inde secum aliquos Scythas à latere parentis abducere in Græciam. Quàm facilè autem suis meritis sapientissimus illo tempore inter gentes Prometheus, Regique Ægypti valde charus, obtinere apud eundem potuit, ut ex Scythia (seu Aramea Syris vicina,) multi ejus cognati ac populares etiam in Ægyptum advenirent, ibique suis obsequiis Regi & Prometheo adsisterent; exemplum Josephi *c.* & fratrum ejus cum sene Parente, luculenter nos docet. Singularis Dei tunc super Josephum & ejus fratres providentia, non tollit favorem Regum bonorum, erga alios; qui obsequiis suis possunt Regi & Regno, eximio quopiam modo prodesse. Ex illis ergo suis popularibus, quos secum Prometheus habebat, poterat aliquos tanquam Princeps,

c. Gen. 45. vers. 16. 17. 18.

Principi filio adjungere, proficiscenti in Græciam; atque filius in Græcia constitutus, poterat tum suà, tum Patris (dum jam Scythis ut Rex imperaret,) authoritate, plurimos Scytharum, (seu Arameorum,) è Scythia ad se accersere, iisque sedes sufficientes in Græcia monstrare. Quàm latè enim patuerit honor, potentia & auctoritas Deucalionis, cum in Thessalia regnaret, apparet vel ex eo, quod teste *Luciano*, † multi olim in Syria tradiderint, Templum Deæ Syriæ Hierapolitanæ, à Deucalione fuisse excitatum. *d.* Οἱ μὲν ὖν (inquit ille,) πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Σκύθην τὸ ἱερὸν εἵσαϑαι λέγουσι. *Multi quidem DEUCALIONEM SCYTHAM, Templum hoc exstruxisse ferunt.* Facile igitur erat Deucalioni, suos in Græcia (utpote sede Regni sui) populares adaugere.

XXXII. Verùm (secundò) præter hasce Colonias à Deucalione in Græciam adductas vel accersitas, altius adhuc ego peto primum Scythicæ Nationis in Græciæ partes (toties memoratas,) adventum. Nam & *Jazorum* origo vera a nobis infra * assignanda, & Græcorum de Prometheo traditio, id nobis suadent. Licet enim *Scytharum*, utpote suæ Nationis, Rex fuerit *Prometheus*; (uti jam visum;) attamen in Græcia adeo fuit notus & familiaris

† Floruit Lucianus an. D. 170. *d.* Lucian. de Dea Syria. * Cap. 10.

ris, ut de ipſo Græci, tanquam terræ Græcorum ſi non filio, (quanquam & hoc innuere aliquando videntur,) ſaltem per frequentem ac diuturnam illic converſationem, cive & radicato incola facto, loquantur. Quod utrumque, nempe & in Græcia diu multumque eum converſatum eſſe, magnaque illic geſſiſſe, & in Scythia regnaſſe, (ut taceam nunc Ægyptiacam ejus Præfecturam,) per vitæ longitudinem (pro illo tempore) fieri potuit.

XXXIII. Dico igitur, *Scythicæ* gentis quoſdam majores, una cum parte quadam poſterorum *Semi*, (unde quibuſdam *e. Pelaſgi*, à *Peleg* deſcendiſſe videntur,) eo tempore penetraſſe primùm in toties memoratas Græciæ partes amœnas, quô poſt confuſionem ſermonis & conſilii hominum, in ſtruenda Urbe & Turri Babel, anno circiter 2213. ante N. C. factam, *f. diſperſit eos Dominus* à Babel *in ſuperficiem Terræ*; ſicque cœperunt homines, hujus conſilii rei, tum ad liquidandam Dei de ipſis ſententiam, tum ob ſuî magis ac magis in dies ſenſibilem multiplicationem, in varias Mundi plagas a primo natali ſolo recedere; ita tamen (quemadmodum ſemper fit in migrationibus populorum, niſi cum Deus ipſe mediis oſtentis ac prodigiis magnis eſt populi

 Dux,)

e. Vid. Orig. Sacr. Stillinfleet, Lib. 3. c. 4. §. 13.
f. Gen. 11. v. 8.

Dux,) ut aliqui etiam in suis primis sedibus remanerent. Uti autem rectè jam observatum est à Viris eruditis, homines illi variarum Nationum dispersi, terras amœniores & fertiliores primùm occuparunt, antequam eorum posteros major necessitas, steriliora etiam occupare loca, adigeret. Quis jam hic credat, solos Scythicæ gentis majores, fuisse tam stupidos & oscitantes, ut dum alii benigniores Terræ partes passim occupare inciperent, illi aut desides circa montes *Ararat* manserint omnes, aut quod magis inglorium, nullo tunc hoste urgente, & patentibus ac vacuis adhuc multis melioribus Orbis Terræ partibus, tam maturè steriles & infelices, juxta & supra *Caucasum* Scythicas regiones, petiissent?

XXXIV. Major certe jam nunc quàm antea intercedere debebat cogens necessitas, quâ adacti, multi Scytharum, eam infelicitem subire debuerint. Una & primaria fuit illa necessitas, quòd jam aliquo seculorum lapsû genus humanum valde multiplicatum esset, ac Terræ meliores incolis impletæ. Hinc bella & contentiones ortæ inter populos propter regiones desiderio digniores, earumque limites. Unde facilè intelligimus, non priùs *Scythas* juxta *Araxen* Armeniæ, ab iis qui inde jam ante versus Occidentem secesserant, residuos, inculta ac sterilia, interioris Scythiæ loca

loca petiisse, quam cum, (ut suprà † monuimus,) à finitimis bello vexarentur. Quod non citiùs, quàm dum jam genus humanum, ubique passim in melioris notæ Regionibus bene multiplicatum esset, h. e. circa tempora exitûs Israelitarum ex Ægypto, vel paulò post, contigisse, ex consideratione tum temporis, quo hæc multiplicatio, in satis notabilem ἀκμὴν assurgere potuerit, tum migrationis aliarum quoque Nationum, ut, (præter modo dictorum Israelitarum,) Ægyptiorum atque Phoenicum, in Græciam & in Africam, partim paulo ante dictum exitum, partim paulò post eum factæ, non obscurè colligimus.

XXXV. Si quis censeat, jam adhuc *Abrahami ætate*, quosdam *Scythas Septentrionem versùs excurrisse, & in montibus vicinis*, (nempe Caucasiis,) *habitare cœpisse*, uti Clariss. ac doctissimo D. Vitringâ *g.* videtur, is me non habebit refragantem, præsertim de obsesso Tractû illo *Caucasi*, qui demùm *Colchidis* nomine venit; dummodò antiquior illa migratio *Scytharum*, versùs præruptos & inamœnos Septentrionis montes, parva, & initialis tantùm statuatur; ulterior verò hæc circa exitum Israelitarum ex Ægypto, pro pleniori, habeatur. Sed ut ad præcipuum redeam scopum; stat verum ex his, *Scytharum* quoque partem aliquam,

† Pag. 21. *g.* Observat. Sacrar. Lib. I. Cap. 7. pag. 83.

quam, tempore primæ & antiquissimæ migrationis populorum, post interruptam structuram *Babel*, migrasse in amœniores Græciæ partes. [Quibuscum, sive primâ, sive iteratâ expeditione, *Javanis* quoque posteros, h. e. *Græcos*, tanquam socios, gubernationi tamen & præsidentiæ aliorum, dum novas quærerent terras, ex pacto se se committentes, unà venisse ex Orientalioribus Orbis partibus, in memoratas Regiones, quæ demùm Græcis super suos Ductores prævalentibus, Græciæ nomine venerunt, vero consentaneum est.] Ab eodem tempore factum esse puto vicibus diversis, ut etiam loca quædam intermedia inter *Araxem* & Græciam, (v. gr. tractum *Thermodontis*, partes quasdam *Phrygiæ*, & alia quædam *Asiæ* minoris loca,) popularibus ac coloniis suis Scythæ olim impleverint; qua de re, gesta & monumenta vetera Amazonum in memoratis locis, liquidò nos docere possunt. Si cui fortè dubium sit, an etiam *Phrygiæ* partes aliquando Scythica Amazonum Natio incoluerit; is solùm eximiam Eruditi Viri P. Petiti de *Amazonibus* Dissertationem consulat. Inter alia apud eum, non contemnenda sunt in hanc rem ea, quæ ipse *b.* de *Magnesia* Phrygiæ, & *Sipyli* montis nomine tradit. Mihi verò, etiam nomina quædam locorum Phrygiæ vetustissima, ut, Sepulcra-

b. Petit. Differt. de Amazon. c. 34.

pulcralis tumuli cujusdam Amazonis, (nomine Myrinæ,) juxtà Trojam *Batiea* i. (à *Batia* Teucri filia, uxore Dardani,) dicti; pagorum Strabonis ævo, sed olim *Urbium*, k. *Gordion*, & *Gorbeius*; paludisque *Tatta*, valde probabile reddunt, olim Scythas Hunniaci idiomatis, ea loca tenuisse. Poterant aliquando ex partibus etiam Cismarinis Coloniæ Scytharum duci in Asiam minorem; quod vel de tempore Dardani, Regni Trojani conditoris, eruditis non potest esse obscurum. Insuper, ego sanè etiam antiquæ Phrygum Deæ, *Agdistis*, vel *Agïstis*, (corruptè *Ajestis* apud Strabonem,) nominis originem veram ac rei congruam, ex nulla alia video lingua, tam commodè deduci posse, quàm ex Hungarica: quod etiam argumento esse debet, aliquos Hungarorum majores olim in Phrygia habitasse, à quibus hoc nomen Deæ illi primùm fuit impositum. Verba Strabonis de Dea illâ hæc sunt: † Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ [Φρύγες] τιμῶσι, καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ, μητέρα καλοῦντες θεῶν, καὶ Αιέστιν (lege Αγίστιν) καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην. ἀπὸ δὲ τόπων, Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμήνην. &c. *Rheam ipsi quoque (Phryges) colunt, eique Orgia peragunt; Matrem appellantes Deorum, & Agistin, & Phrygiam, magnamque Deam. A locis autem, Idæam,*

i. Vid. Homer. Iliad. β. & Petit. Differt. de Amaz. c. 40. k. Strab. Geogr. Lib. 12. pag. 568. ed. An. 1620. † Geogr. Lib. 10. pag. 469.

Idæam, *Dindymenen*. *&c.* Animadvertit rectè jam Casaubonus ‡ corruptè hîc legi Αἰέςιν; ideoque loco ejus ipse legit ex Hesychio, Αγδίςιν *Agdistin*. Hesychius enim Αγδιςιν, dicit esse *Matrem Deorum*. Hoc jam vero propius est. At verius adhuc existimo legi debere Αγίςιν, *Agistin*, ita ut solummodo γ transierit in ι apud Strabonem, (nam ε pro ι in medio, nullam hîc in re ipsa diversitatem facit,) quod sanè facilimum erat; quod etiam interpres Xylander videtur animadvertisse, vertendo, *Agestin*. Exinde puto derivari illud Græcorum, ipsis exoticum, * Αγιςεῖν, pro σέβειν, *colere*, *honorare*. Est ergo Αγίςις (*Agistis*,) Græcâ terminatione, Græcis idem, quod à nostris olim dictum est de Dea Phrygia, *Agg-Isten*, (unde posterius *g* fortè apud quosdam, transiit in *d*,) h. e. *Vetus* ac *decrepita Dea*. Congruum sane hoc erat nomen *Rheæ*, matri Deorum, h.e. Uxori Saturni, ob antiquitatem, & maternam suî relationem ad alios fictos Deos Deasque. Posterioris, nempe ꝫ *Isten*, originem jam supra dedimus. Prius autem illud, *Agg*, inde habet sine dubio originem, unde & Turcarum *Aga*; quo nomine Nobiles suos solent intitulare. Non dubito olim vocem illam, aut sub radice nunc Hebræis inusitata אגה (Aga,) aut sub עוג (*Og*, unde

‡ Not. in Strab. Lib. 10. * Vid. Phavorin. Lexicon.

unde & celebris ille Rex Basanis *Og* nomen ducit,) repertam fuisse, in significatione antiqui, vel præeminentis. Quin & ipsum nomen *Phrygum*, suspicor, annon ex idiomate Majorum nostrorum habeat originem. Certè *Frigyes*, (nam & per *i*, * scribitur prima syllaba,) sive *Friges*, idem nobis est, ac *Fœderatus*, vel *Confœderatus*; quo nomine rectè vocari poterant ob fœdus mutuum, diversæ Nationes, *Chunorum, Thracum*, aliorumque, postquam ex Europa, migrarunt in Asiam. Cognomen etiam Jovis *Vrii*, † cujus fanum olim in Bithynia Asiæ, in vicinia Phrygum erat, non video commodiùs deduci posse; quàm ab Hungarico, *Vr*, h. e. Dominus: ita ut *Vrius* Jupiter, significet *Dominicum*, seu *Dominantem*, vel etiam *Excelsum* Jovem. Tam enim *Dominicum* quam *Excelsum*, (*Fö* aliàs) significat apud nos adjectivum *Vri*, ab *Vr*. Hanc de Jove *Vrio* nostram sententiam, juvat titulus Jovis *Vrii* apud *Gyllium*, αὐτόπτην fani ejus adhuc exstantis testem: ‡ *Jupiter* (inquit) *Vrius IMPERATOR, quamdiù multumque Bospori angustias*

* Vide Steph. de Urbib. † Vide de hoc *Arrianum* in Periplo Ponti Euxin. ubi loca a Bosporo Thracio Trapezuntem usque recenset. τὸ ἱερὸν (inquit) τοῦ Διὸς τοῦ Οὐρίου, διέχει ἀπὸ βυζαντίου σαδίους εἴκοσι καὶ ἑκατὸν. *Fanum Jovis URII à Byzantio distat centum & viginti stadia.* Confer de hoc etiam Menippum apud Stephan. de Urbib. in voce χαλκηδὼν. ‡ Gyll. de Bosporo Thrac. lib. 1. pag. 20.

gustias tutatus sit, declarat Fanum Jovis Urii in hunc usque diem. Et paulò post. *Nec arce sua prius cessit Urius, quàm Christus ei successit verus Jupiter URIUS & IMPERATOR.* In his implicitè nos docet, (fortè ex traditione populi illius Regionis,) *Urium*, Jovis Epitheton, significare *Imperatorem*; quod à parte rei idem est cum eo, quod ego clariùs ex origine vocis expressi. Esse autem nomen *Uri* (quo etiam Nobilis familia, in hunc usque diem cognominatur apud nos,) antiquum Hungaricum, & olim apud nostros majores usitatissimum, argumento sunt quidam populi Helvetiæ, *Uri* nunc etiam dicti; qui nomen illud agnoscentibus aliis præter nos, ab Hunnis olim acceperunt. Sic enim de illis *Uris* scribit Hofmannus: * *Orti dicuntur ab Hunnis, qui ibi consederant, cum Gothi, Hunni, Wandali in Italiam irrumperent.* Nempe cum Gothi & Wandali, sub quorum ductu hi pauci erant, plures ipsis essent, facilè cum tempore lingvam avitam amiserunt. Fuere olim etiam circa Pontum † populi *Uri*, & circa fl. Indum. Fallar sanè, si etiam *Urania*, Venus *Syria*, à Scythis quoque ‡ olim culta, idem non sit, quod *Ur-Anya*; h. e. Domina Mater, vel *Excelsa* seu *Illustris Mater.* Emisi verbum; quod facile mihi esset probare; sed

* In Lexic. Universal. ad vocem, Urienses. † Ort. in Thes. Geog. Plin. lib. 6. c. 20. ‡ Herod. Lib. 4. quem vid. sup. p. 49. & 50.

ſed non eſt hujus loci, omnia talia ad ungvem excutere.

XXXVI. Porrò de modo etiam tranſitûs Scytharum aliorumque his junctorum, tam antiqui, in ciſmarinas Græciæ regiones, aliquid hîc interſerere, non eſt nobis nimis difficile. Nam præterquam, quod non omnem penitùs navigandi peritiam, præſertim circa littora, & inter frequentes ſibique vicinas inſulas, (quales ſunt in mari Græciam & Aſiam interjacente,) poſſumus veteribus negare; facillimè ſanè inter Pontum & Propontidem tranſire olim ſicco pede potuerunt, ſi admittamus illa, quæ non ſine fundamento, docuit olim *Strato* Phyſicus, (qui floruit Olympiad. 123. ſecundùm Voſſium, *l.* h. e. anno circiter ante N. Chr. 286.) de Ponto Euxino. Scribit nimirum ille apud Strabonem, Euxinum olim nullum habuiſſe exitum in Propontidem juxta Byzantium; ita ut arida ibi quondam fuerit, ubi nunc eſt Boſphorus Thracius inter Conſtantinopolim & Chalcedonem. Mens *Stratonis* ſic proponitur apud Strabonem: *m.* Τοῦ δὲ Στράτωνος ἔτι μᾶλλον ἁπτομένου τῆς αἰτιολογίας, ὅτι φησὶν οἴεσθαι τὸν Εὔξεινον μὴ ἔχειν πρότερον τὸ κατὰ Βυζάντιον στόμα. τοὺς δὲ ποταμοὺς βιάσασθαι,

Dd καὶ

l. Voſſ. de Hiſt. Græc. lib. 1. pag. 130. ed. An. 1641. Lugd. *m.* Strab. Geogr. lib. 1. pag. 49. edit. Par. 1620.

καὶ ἀνοῖξαι τοὺς εἰς αὐτὸν ἐμβάλλοντας. εἶτ᾽ ἐκπεσεῖν τὸ ὕδωρ εἰς τὴν Προποντίδα, καὶ τὸν Ἑλλήσποντον. *Strato autem ad causæ explicationem magis* (quam Xanthus) *accedens, existimare se ait, Euxinum mare caruisse aliquando exitû, qui est ad Byzantium; sed flumina quæ in id effunduntur, vi eum aperuisse; itaque aquam in Propontidem & Hellespontum erupisse.*

XXXVII. Hîc licet Strabo disputationem contra Stratonem instituat, non tam directè propositam ejus sententiam negans, quàm rationes, quibus eam Strato adstruere nisus est, improbans; attamen ea *Strato* dicit in allegatis verbis, quæ nemini, vel mediocriter in Historiis versato, & antiquas Marium terræque tractuum in aliquot Orbis partibus mutationes non ignoranti, ullo modo absurda vel incredibilia, videri possint. Notum est olim Siciliam, cum parte Italiæ ad Rhegium, contiguam aridam fuisse; (quod vel ex ipso Strabone *n* discere possumus;) nunc verò jam à multis seculis, mediante maris freto ab eadem divisa est. Sic & *o Lesbum* ab *Ida*, *Prochytam* & *Pithecusam* à *Miseno*, *Ossam* ab *Olympo*, *Capreas* ab *Athenæo*, mari abruptas esse credidit Antiquitas. Ipsa etiam angustia oris Ponti, seu Bosphori Thracici, (Latitudinis inter Byzantium & Chalcedonem *Polybio p.* stadiorum 14.) quô

n. Geogr. Lib. 1 pag. 60. *o.* Ibid. *p.* Polyb.

quô Pontus se miscet Propontidi, & inde Hellesponto, non refragatur probabilitati sententiæ Stratonianæ. Quomodo autem juxta illam sententiam *Pontus* olim reliquo mari supernè non contiguus, tot flumina in se recipere potuerit; exemplum Maris *Caspii*, nulli mari reliquo visibiliter contigui, nos docere potest. Non enim desunt subterranei meatus & venæ (imo voragines) marium, per quas aquæ marinæ aliis aquis marinis se se immiscere queant. His positis, non est igitur quod quispiam intra se solicitus sit de eo, quomodo Scytharum majores, aliique populi Asiatici olim in Thessaliam, aliasque Græciæ regiones, transire potuerint.

XXXVIII. Ex ante-dictis, facilè & illud

Hist. Lib. 4. pag. 427. ed. Amst. 1670. Srabo Lib. 7. pag. 319. inter Templum Byzantinum & Chalcedonense, numerat stadia 20. Uterque longè infra milliare Germanicum ponit hanc latitudinem. *Plinius* Lib. 5. c. 32. septem tantum stadiis distare scribit Chalcedonem ab Urbe Byzantio. Sed *Polybii* calculus huic præferendus est. Si tamen spacium illud consideretur, quod est inter Rupem ex Europa in fretum istud instar promontorii prominentem & littus oppositum, jam sic quinque tantum stadiorum latitud. est os Ponti tum Polybio tùm Straboni. Atque de hoc spatio intelligendum est, quod dicit Herodotus, (Lib. 4.) os Ponti 4. Stadiorum esse. Confer hîc præcipue Gyllium de *Bosporo* Thrac. Lib. 1. c. 2. & 3.

cum hactenus asserta de parte Scytharum sententia, conciliabitur; quòd nimirum Hungaricæ Nationis majores, seculo quarto, quinto, & sexto, uti etiam nono, non ex plagis Mundi, Pannoniæ ac Daciæ Australibus, sed ex Orientalibus & Septentrioni ac Orienti intermediis, advenere; imò multis seculis jam ante illa tempora, illi & alii Scythæ, horrida passim Scythiæ loca inhabitarunt. Jam enim dictum est, non omnes Scythas, ac per consequens, non omnes etiam Hunniacæ nationis majores, migrasse in Græciam, sed multos mansisse etiam penes fluvium *Araxem* in Armenia; usque dum à finitimis ulteriora ac minùs benigna Scythiæ loca petere coacti sunt. Hi tamen quoad usque juxta *Araxem* resederunt, absque dubio, aliquod commercium cum ceteris quoque ejusdem Nationis, sparsis per Asiam minorem, & Græciam Majoribus, diu retinerunt; cujus rei, linguæ ejusdem apud utrosque olim usus, qui passim in hoc libro lectori attento à me demonstratur, certum est argumentum.

XXXIX. Qui Asiam minorem, ad Thermodonta, & ultra versùs Occidentem (ex eadem gente,) incoluerunt, eos absque dubio existimo, partim eo tempore, quo Amazones *q* Themiscyranæ (post eversam Trojam,) à Græcis infestatæ, Scythicas sibi sedes

q. Vid. Herod. Lib. 4. c. 110.

des inter suos populares deligere, sunt coactæ, partim posteà, aliorum suorum fratrum Scythicas jam dudum Regiones tenentium vestigia, fuisse secutos; exceptis illis, qui (ut fit in hujusmodi migrationibus,) pristinas ita sedes retinuerunt, ut tandem aliis Nationibus immixti, & ab iis velut absorpti, etiam nomen suum pristinum amiserint. Qui verò in Græcia sedes suas habuerunt, illi partim longo seculorum decursû, mutato idiomate & nomine, cum Græcis, utpote post longam aliarum Nationum in medio suî præsidentiam, victoriam & supremam authoritatem adeptis, coaluerunt; (quod & in aliis Regionibus videmus, post multa secula, nationem fatis ita ferentibus, inferiorem, à superiori non rarò absorberi;) partim verò in proximam Illyridem, atque inde in vicinam Pannoniam & magnum Danubio ac Tibisco interiacentem Terrarum Tractum, se se contulerunt; ita, ut nostri *Jazyges* & *Baranyæ* seu *Breuni*, sint magna ex parte posteri illorum *Megarorum*, sive Scytharum Megarici & Hunniaci idiomatis ac generis, qui Græciam olim inhabitarunt; ex parte verò, illorum, qui longè ante Hunnorum in Europam adventum, è Scythia profecti, præsentes suas sedes obtinuerunt. Quomodo autem hæc pars *Jazygum*, eò pervenerit, jam supra (cap. 2.) à nobis est enucleatum.

XL. E Græcia verò, noſtros majores, (præter colonias, quæ ab antiquiſſimis temporibus, dum adhuc noſtri in Græcia ſui juris eſſent, poterant facilè uſque ad Danubium & Tibiſcum emitti;) ex eo tempore puto paulatim cœpiſſe migrare verſus *Pannoniam* & hodiernam *Jazygum* terram, ex quo adeò victores paſſim Græci exſtiterunt, ut etiam Trojam annis circiter ante N. C. 1208. everterint. Porrò cum legam apud Herodotum, quoſdam r. Græco Scythas, & Gelonos Scythas, utroſque è Græcis factos, inter Scythas, hos mixtim cum Budinis, illos verò ultra Boryſthenitarum emporium, in Scythia olim habitaſſe; proclive eſt mihi ex hactenus dictis conjicere, illos fuiſſe mixtam quandam Nationem, ex Græcis, Hunnis atque Sclavis; qui cum neceſſiitudinem ſuam cum Scythica potius quam Græca gente ſeruare vellent, nec tamen ſibi commodum inter alios Scythas in Pannonia, Dacia, ac Jazygum regione habitandi locum invenirent, (præſertim quod nec inter ſe fuerunt Scythæ ſemper bene concordes,) in ulteriores ſe ſe Regiones Scythicas receperunt; ex illo nimirum tempore, ex quo etiam alii Scythæ cœperunt in Græcia è priſtina ſua authoritate degradari. Nam quis credat ſequioribus demùm ſeculis, (imprimis poſt belli Trojani tempora,)

r. Herod. Lib. 4. c. 17. Ibid. c. 8. 9.

pora,) quibus subinde Græci tam victoriosi & gloriosi exstiterunt, genuinos ac puros Græcos, desertâ patriâ feliciore, squalidas Scythiæ regiones pro sedibus sibi delegisse? Sed Græci dicti sunt illi à Græcis, etiam dùm in Scythia habitarent, quia non solùm lingvæ Græcorum gnari suo modo essent, sed etiam ut proximè in Græcia nati, Græcorum ritus & mores etiam in Scythia (quantùm possent,) *f.* observarent. Valde suspicor, annon etiam nostri illi *Cuni*, (h. e. *Chuni* apud Ptolemæum,) qui olim ultra Borysthenem, non nimis procul à veteris Daciæ finibus, suas sedes habuerunt, eodem tempore illuc migrarint una cum Græco-Scythîs, quô Hunniacæ gentis majores in Græcia turbati sunt ac loco moti. Propinquitas enim eorum ad Daciam, id mihi suadere videtur; ac præterea quod tam distinctè per tot secula, *Chunorum* nomen, (quasi veterum *Chonum* in Græcia reliquiæ,) medios inter alios Scythas, procul ab aliis consangvineis suis *Hunnis* dissiti, retinuerunt. Annon etiam *Achæi* illi, qui Pontum inter & *s.* Caucasum olim Ponti erant accolæ, quosque putat *Dionysius* Halicarnasseus *t.* *Græcos* aliquando fuisse, at vero *inter Barbaros*, omnes Græcanicum morem exuisse, sermonemque prio-

 rem

f. Herod. Cit. Lib. 4. c. 8. *s.* Plin. Lib. 6. c. 11
t. Dionys. Antiquit. Rom. Lib. 1. sub fin. Floruit hic temp. August. an. 7. ante N. Ch.

rem amisisse, ac *omnium Barbarorum agrestissimos* evasisse, annon inquam fuerint Scythica progenies origine, è Græcia eò profecta; ego affirmativam hîc partem valde probabilem esse censeo.

XLI. Verùm unus hîc restat nodus adhuc solvendus; is nempe, quem posset quispiam nectere ex verbis Josephi Ben-Gorionis, (larvati nempe illius, alterum mentientis Josephum, † post annum Christi sexcentesimum;) si fides ei hac in parte danda esset. Nos enim hactenùs innuimus, Nationem Mcgaricam seu Hunniacam, originem suam ducere, præcipuè per Prometheum & Deucalionem è stirpe Magogica, seu specialiùs Scythica apud verum Josephum dicta: at verò Ben-Gorion, longè aliter de Hungarorum origine docet; eos nimirum esse ex Gomero, per minimum ejus filium *Thogarma* dictum. Sic enim scribit verbis jam a magni nominis Bocharto citatis: תוגרמה הם עשר משפחות *n.* מהם כוזר ופצינך ואליקנוס ובולגר ורנביג וטורקי ובוז וזבוך ואונגרי וטילמץ H. e. *Thogarma sunt decem familiæ, scilicet, Chozar & Patzinac*

nac

† Ita tenet Vossius (de Hist. Græc. Lib. 2.) post Scaligerum. Verùm, ex solo nomine nostræ Nationis hîc posito, à Latinis ut videtur acceptô, colligo eum, circa A. D. 900. aut post vixisse; nisi fortè ex Oriente hoc nomen habuerit. Vide, que de tertio Hunnorum adventu scripsimus, Cap. 6. *n.* Vide hæc in Bochart. Geogr. Sacr. Part. 1. Lib. 3. c. 15.

nac & Alichanus, (Bocharto, *Anchialus*,) & *Bulgari*, & *Ragbiga*, (Boch. *Raguza*,) & *Turca*, & *Zaboch*, (Boch. זבולך *Zanolch*, five *Zabolch*) & *HUNGARI*, & *Tilmats*. De his omnibus figillatim aliquid videre cupientem, ad Bochartum relego; ego quod mei eft propofiti, id exequar. Dico igitur, facile effe nugaciffimi Gorionidis os hîc obftruere. Nam ut taceam aliarum gentium quoque, imprimis Turcarum & Bulgarorum, perperam ab eo affignatam originem, (habitâ principalitatis hîc ratione, non qualifcunque intermixtionis alienæ,) in Hungarorum fanè origine datâ, turpiffimè fallitur. Cum enim *Thogarma* pofteri non nifi latiori quodam fensû poffint dici Scythæ; ficut verus Jofephus *x*. rectè eos à Scythis κατ' ἐξοχὴν fic dictis, diftingvit, dum folos Magogi pofteros, peculiari *Scytharum* nomine vocari fcribit; hinc fequeretur Hungaricam Nationem non fuiffe è *Scythis* fpeciali ratione fic dictis; quo nihil falfius in re hiftorica dici poteft. Si enim ulla ufquam Natio, v. gr. Turcica, Tartarica, Bulgarica, vel alia quæpiam, dici debet verè Scythica; noftra vel maximè e numero talium, quoad originem fuî Scythicam excludi non poteft; ut probe notum eft omnibus, qui unquam de Hunnis melionis notæ Hiftoricos legerunt: quos velut in cumulo lectori fiftit in

 hanc

x. Antiqu. Lib. 1 c. 7.

hanc rem, ſuis locis, hicce Libellus. Concedamus ergo Gorionidi, (juxta ſuperius dicta) aliquos etiam è *Thogarma* poſteris, Hungaricæ nationi olim fuiſſe admixtos; ſicut tum ex *Semi*, tum ex *Chami*, imò & *Javanis* patris Græcorum, progenie, in tam variis majorum noſtrorum ſedibus & viciſſitudinibus, ultrò recognoſcimus, aliquos, vel forte etiam multos ex hac vel illâ, fuiſſe immixtos; (quod imprimis e *Thogarmitis*, hoc eſt Cappodocibus & Phrygibus, fieri potuit;) attamen juxta Hiſtoriarum veritatem, principalis origo totius Nationis, non per Thogarma ejuſque Patrem Gomerum, ſed per Magogum à Japheto, communi tum Gomeri tum Magogi & aliorum quinque fratrum parente, eſt deducenda.

XLII. Hæc de origine nominis *Magyar*, aliquanto latiùs extendere debuimus, atque etiam ad Hiſtorica quædam re id exigente, excurrere; ut ipſius quoque Nationis, quæ hodie ſe totam communi nomine, (ſuâ lingvâ) *Magyar* vocat, origo, clarior & plenior exiſteret. Nunc ad ulteriora mihi eſt procedendum.

CAP. X.

CAP. X.

In quo, *nomen* Jazygum *explicatur. Hoc nomen Hungaris est* Jász, *seu* Jáz ; *è cujus plurali* Jázok, *intellectô quasi* Jazug, *formarunt Græci suum plur.* Jazyges. *Plinii* Jasi & *Ptolemæi* Jassii, *iidem in re. Radix τȣ* Jáz, *est* יעז, (Jaaz,) *robustum esse. Ex* Loez *Psal.* 114. *v.* 1. *collato cum* Noaz, *Isa.* 33. *v.* 19 *non sequitur* Jáz *olim idem tantùm significasse, quod* Barbarus. *Vestigium significationis nativæ τȣ* Jáz, *apud Hungaros videtur esse* Jász-hal, *Piscis quidam. Usus ejus frequens quondam apud eosdem ex* Jász-óll, & Jászó, *patet. Duo Viri illustres & antiquissimi, e prosapia Regum* Argivorum *in Peloponneso olim* Jáz, (*Græcis* Ἴασος) *dicti.* Argus *Panoptes, fortitudinis familiæ* Jazidum *exemplar.* Jasius *Heros Hesiodi.* Jaseus, & Jasii *aliquot. Item,* Jasion. *Omnia hæc nomina ejusdem sunt fontis cum* Jáz, *non verò à Græco ἰάομαι.* Iason *Medeæ conjunx, cum antiquo aliquo* Jaso *non est confundendus.* Jasos *Hungaricæ Nationis, ab alterutro dictorum (nomine* Jasi) *Heroum, vel ab utroque nomen accepisse, vero consentaneum est; sicut* Itali *ab* Italo *Rege,* Teutones *à* Theut (*Mercurio*) *sunt denominati. Primum hujus rei* argumentum *est, convenientia nominum utrinque, collata cum pristinis sedibus* Magaricæ *Nationis. Alterum, quòd olim Attica dicta fuit* Jas *testimonio Strabonis. Pro scopo facit, quod &*

Illyria

Illyriæ pars quondam juxta Steph. nomine Ias *venit.* Jones & Jasi, *item* Jonia & Jas, *non rectè confunduntur. Cum* Stephanus *de parte Illyridis,* & Strabo *de tota Attica loquatur, benè* Stephani *verba stare possunt. Strabonis locus de* Varaliis *in Illyride; quod nomen, (stante lectione Strabonis,) idem videtur sonare, quod* Var-allyi, *h. e.* sub arce situs, a, um. *Nomina* Vardæi & Vardei *in Illyride salvant* Ου *seu* V, *in voc.* Varalii. Ardii *nomen ab* Ardó *vel* Erdö, *videtur esse. Huc facit etiam* Chalcocondylæ *testimonium de* Pannoniis *Getis olim dictis, sub Monte* Hæmo *sedes habentibus.* Jazos *ab antiquis* Argivorum Heroibus *ortum ducere, argumento videtur esse etiam nomen vetus* Regiorum Jazygum *in Scythia. Quomodo* Jazi *è Græcia in Scythiam penetrârint? Scrupulus de* novitate *nominis* Jazygum *sub hac flexione, tollitur. Sub alia enim flexione antiquissimum est eorum nomen. Ita* Argos, *dicitur* Jazon Argos *apud Homerum. Est etiam* Iasidæ *mentio apud eundem, quâ supponitur plures etiam fuisse dictos* Iasidas *olim. Et Plinius* Iasiorum, Dianæ *addictissimorum, tanquam antiquissimi populi, meminit.* Diana, *idem quod* Dij Anya; *h. e.* Pretiosa, *vel* Dignissima Mater. *De* Breunis *seu* Baranyis. *Ejusdem cum* Jazygibus *censentur esse Prosapiæ. Conjecturâ de eo, quòd* Brenni, Breuni, *vel etiam* Breuci *fuerint vocati à Græcis? Mentio* Brenni *Gallorum.* Baranya *idem quod* Bor-annya, *Vini*

Mater

Mater. Ratio nominis. Annon Braurones *Græcorum fuerint olim* Baranyæ, *in medio relinquitur. Mentio* Siculorum *Tranſylvaniæ*; *quorum nomen à* Szék-hely, *h. e. Locis Sedium ſeu Caſtrorum, Hungaris eſt* Szekely. *Non ſolùm veterum qui cum* Athila *fuerunt* Hunnorum, *ſed etiam vetuſtiorum* Urgorum, *h. e.* Ugrorum & Jazygum *Strabonis*, *ſunt reliquiæ.*

1. Explicato & illuſtrato nomini *Magarico*, ſuccedat origo nominis *Jazygum*, (noſtri quippe ſangvinis,) inveſtiganda. *Jazyges*, (ut jam alibi *a.* dictum,) noſtro idiomate vocantur *Jáſz* in ſingulari, & *Jáſzok* in plurali. Perinde autem eſt, etiamſi *Jáz* & *Jázok* dicantur: nam nos tantùm ſonum ipſius z & ſ tunc conſtringimus, cum utrumque conjungimus. Quod Græci *Jazyges* eos (ſeriùs demùm,) dixerint, id hoc fundamento factum eſſe puto, quòd ex plurali *Jázok*, formaverunt ſibi plurale *Iazyges*, ita noſtros majores intelligentes, quaſi dixiſſent *Iazug*; (ut *o* & *u*, item *k* & *g* facilè ſuum mutuò ſonum inter ſe permutant, non ſolum à parte audientium, ſed & à parte loquentium;) inde ſingulare nominis, juxta leges lingvæ Græcæ, debuit eſſe *Iazyx*. Vera tamen ſcriptio & pronuntiatio nominis hujus eſt *Iáz*; (quod nobis hodie frequentius *Iáſz*;) unde Latinè ſcribendum eſt *Iazus*, vel *Iaſus*, ſive etiam *Iaſius*; & Græ-

a. Supr. c. 2. §. 5.

co

cè pariter Ἴαζος, vel Ἴασος & Ἴασιος. Cujus rei evidentissimum argumentum est, quod ipsa Natio se ipsam, ac contribules ejus eandem omnes ita denominent.

II. Atque hinc facilè perspici potest, quòd populi illi *Iasi* dicti, quos *Plinius* b. collocat juxta Dravum in Pannonia, non alii sint vel fuerint, quam ipsissimi nostrorum *Iazygum* sive *Iazorum* contribules & populares: qui quod Latinis ad Occidentem propiores quam alii Jazyges essent, & fortè etiam ex solis Austri partibus, sine mixtura Sarmatarum, eo penetrassent, dicti sunt à Latinis *Iasi*, quemadmodum alii Orientaliores a Græcis ob jam dictam rationem *Iazyges*. Nec enim ullam aliam Nationem quispiam tempore Plinii, (h. e. anno D. 78.) inveniet, juxta Dravum, cui *Iasorum* nomen recte applicari possit, quam eis, vel eorum consanguineis, quos in hunc usque diem nos appellamus *Iazos*. Qui Plinio *Iasi*, iidem apud Ptolemæum c. sunt *Iassii*; (ut supra in quadam margine d. notavi,) hoc solùm discrimine, quod Ptolemæus paulo diversum ab eo quem Plinius, eis assignat locum, in orientali nimirum parte superioris Pannoniæ; hoc est, supra Dravi cum Danubio mixturam, tractum illum, qui est juxta Danubium in Pannonia; ubi nunc sunt, Quinque ecclesiæ,

Buda,

b. Plin. Hist. Nat. Lib. 3. c. 25. c. Ptolem. Geogr. Lib. 2. c. 16. d. Supr. pag. 58.

Buda, Strigonium, & Comarum. Ex parte hîc proximè ad Plinium accedit Ptolemæus. Quòd verò latiùs *Iassiorum* sedem extendit, quàm Plinius *Iasorum*, ratio hæc est; quia ejusdem nominis natio in Pannonia, latiùs sine dubio se olim extendit, quam solùm juxta Dravum. Uti enim de *Iasis* Plinii diximus, sic etiam de *Iassiis* Ptolemæi dicimus, nullam aliam pro *Iassiis* ævo Ptolemæi, ad Orientem Pannoniæ, posse nationem assignari, quàm consangvineos ac populares aliorum *Iazygum*.

III. Originem nominis *Jáz*, absque ullâ hæsitatione recta deduco ab antiqua radice Hebraica יָעַז, (Iaaz,) *robustum esse*: unde participium Niphal, נוֹעָז, (Noaz) *robustus*, Isa. 33. v. 19. Ad amussim plane convenit radix illa, cum nostra pronuntiatione. Nos enim *Iáz*, ita semper cum tono pronunciamus longiore, ac si per geminum *a* scriptum esset hoc modo: *Iaáz*, & *Iaázok* in plurali. Rectè autem potuêre olim majores eorum sic denominari, non solùm ob fortitudinem bellicam, (quæ eorum, vel in sera posteritate virtus, nota est tum ex frequentibus bellis Iazygum defensivis, adversus Romanos, *e.* sub potentissimis Ethnicis Imperatoribus, tum etiam ex eo, quod, teste Plinio, *f.* *Dacos* olim è planis

e. Vid. Epitom. Dion. apud Xiphilin. *f.* Plin. Lib. 4. c. 12. *Campos & plana Jazyges Sarmatæ; montes verò & saltus, pulsi ab his Daci.* &c. Sic in edit.

nis & campeſtribus Patriæ noſtræ locis, ad ejuſdem montes & ſaltus pepulerint; quæ tunc occupata, in hunc uſque diem tenent;) ſed in genere, ob validam ac robuſtam corporis conſtitutionem, tum ad bella gerenda, tum ad varios labores ſuſtinendos. Dabimus infra exemplum cujuſdam è ſtirpe veterum *Iaſidarum*, fortisſimi. Non ignoro, Rabbi Salomoni, g. *Noaz* ex *Iaz*, Iſa. 33. v. 19. & לועז, (Loez,) *Barbarus*, Pſal. 114. v. 1. per commutationem ל & נ idem eſſe; unde poſſet quiſpiam conjicere, *Iaáz*, in denominandis olim noſtris Iazygibus, idem tantum ſignificaſſe, quod *Barbarus robuſtus*; erant enim ſanè olim noſtri majores, præſertim in *Scythia*, valde *barbari*: verùm antiquisſimis temporibus, cum primum *Iazygum* majores, nomine illo cœperunt inſigniri, nullo modo eſt probabile ad barbariem eorum fuiſſe in hoc reſpectum; cum nomen illud non eſt ipſis adventititium, ſed domeſticum. Nec deſunt illuſtres viri apud antiquos, (ut ſtatim videbimus,) qui hoc nomine *Iáz*, vel *Iaſos*, a ſuis parentibus ac proximis ſunt denominati: quos ad fortitudinem potius (ſub ſpe) reſpexiſſe, quam ad Barbariem, unuſquiſque diſcretionis alicujus compos, ultro ſibi perſuadet. Quicquid Rabbi Salomon hic dicat; tamen communisſima eru-

dito-

Frauc. An. 1608. g. Vide proxime Lex. Hebr. Buxtorf. in יעז.

ditorum ſententia tenet, apud Iſaiam τὸ נועז à יעז (*Iaaz*) robuſtum ſignificare. Viderunt etiam LXX. interpr. Pſal. 114. verſ. 1. vocem לועז (Lohez) *barbarum* ſignificare; at *Noez* Iſa. 33. verſ. 19. eundem habere ſenſum, nequaquam viderunt. Verterunt enim, Μικρὸν καὶ μέγαν λαόν. &c. *Parvum & MAGNUM populum.*

IV. An autem memoratæ ſignificationis nativæ veſtigium ſit adhuc apud nos in cujuſdam *piſcis* denominatione, qui dicitur noſtris *Jász Keſzeg*, fortè quòd ſit vegetus, vividus & robuſtus; noſtri ad hoc dubium piſcatores, meliùs reſpondere poſſunt. Etſi enim nomen ejus mihi ſatis notum, ejus tamen ab aliis piſcibus apud me diſtinctio, non ita eſt clara. Quantùm ſaltem aliena relatio formam & agilitatem ejus menti meæ revocat, eſt ſane piſcis ſatis vividus, ac celer in ſubſultatione. Vertitur à noſtris Latinè *Thymallus.* Præterea, vocabulum etiam *Jász-óll*, (contractè *Jászol,*) quod *præſepe* vel *caulam* nobis ſignificat, & nomen Oppidi *Jászó*, redolent nativum ac frequentem olim apud nos, verbi יעז *Jaaz* uſum.

V. Non eſt autem putandum, ſimul & ſemel, hoc nomen in univerſam aliquam multitudinem dimanaſſe; ſed ut in aliis quoque nominibus Gentium fit ut plurimùm, perſona aliqua primùm excellens & ſingularis, illo nomine *Jáz*, vel *Jas*, (Græcè Ἴασος,) fuit denominata; à qua deinceps, ejus tum

posteri tum consanguinei, ob nominis ejus celebritatem, idem nomen sunt consecuti. Legimus inter antiquissimos è prosapia Regum Argivorum, qui longè ante Græcos in Peloponneso regnarunt, duos etiam viros illustres hoc nomine insignitos. Qui sine dubio, cum Græci non essent natione, (ut notum eruditis,) sed ab Oriente ex alia progenie eo profecti, *Jaaz*, vel *Jaez*, (in partic. Præs. *Kal* Chald)& contracte *Jáz*, sive *Jás*, usurparunt; Græci verò suo more terminationem *os* in fine addiderunt. Illorum, de quibus feci mentionem, primus est frater *Agenoris*, juxta *Pausaniam*, atnepos *Phoronei* filii *Inachi*, (ex filia Niobe,) secundi Argivorum Regis, & pronepos *Argi* primi, (à quo *Argos* dicta Peloponnesus,) ex filio Triopa; qui regnavit in Peloponneso, (nondum sic dicta,) circa tempora nativitatis Josephi Patriarchæ, annis circiter 1770. ante natum Christ. *Apollodorus* tamen non pronepotem, sed filium fuisse *Argi*, Jasum scribit, & Agenorem, non fratrem, sed filium *Jasi*. Uterque in hoc consentiunt, quod *Iasum* ex Phoroneo per *Nioben* descendisse scribunt. Nos utriusque verba de hoc *Iaso* in medium producemus. *Pausanias* postquam præmisisset de Argolide, *h. Regio, ab Argo Phoronei ex filia nepote, qui post Phoroneum regnavit, nomen accepit*; illicò subjicit: Ἄργου δὲ Πείρασος γίνεται καὶ Φόρβας. Φόρ-
βαν-

h. Pausan. in Corinthiac. seu Lib. 2. pag. 112.

βαντος δὲ Τριόπας, τελόπα δὲ Ἴασος καὶ Ἀγήνωρ. *Argo Pirasus nascitur & Phorbas; Phorbante Triopas; Triopâ, IASUS & Agenor.* Quod verò etiam imperium aliquod gesserit *Iasus*, (licet *Tatianus i.* alios secutus, ob nimiam forte ejus imperii brevitatem, in recensione Regum Argivorum Jasum omittat,) apparet ex his *Pausaniæ* verbis ibidem subjectis: Κροτωπὸς δὲ ὁ Ἀγήνορος ἔσχε μετὰ Ἴασον τὴν ἀρχήν. *Crotopus verò Agenoris filius, IASO in imperium successit*

VI. *Apollodorus* autem hæc de hoc *Iaso* habet; *k.* Ἄργος γήμας Εὐάδνην, τὴν Στρύμονος καὶ Νεαίρας, ἐτέκνωσεν Ἴασον, Πείρανθον, Ἐπίδαυρον, Κρίασον. -- ἐξ Ἰάσου δὲ Ἀγήνωρ γίνεται. *Argos ducta uxore Euadne, Strimonis ac Neæræ filiâ, IASUM, Piranthum, Epidaurum & Criasum genuit. -- Ex IASO autem Agenor nascitur.* Parva hîc in genealogia recensenda, inter hunc & illum discrepantia, nihil scopo nostro incommodat. Mox idem Apollodorus etiam alterius *Iasi* facit mentionem, qui fuit nepos Agenoris, fratris prioris *Iasi.* Scribit enim ex Agenore, *Argum* alium *Panopten* dictum, fuisse genitum. Deinde ex *Argo* Panopte, iterum *Iasum* hunc, nempe alterum, de quo jam loquimur. *k.* Ἄργου δὲ (inquit) καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ παῖς Ἴασος, οὗ φασὶν Ἰὼ γενέσθαι. *Argi verò & Ismenes Asopi filiæ Iasus est filius; ex quo Ionem ortam esse tradunt.* Quod hanc *Ionem*, priori *Iaso* Pausanias adscri-

i. Orat. cont. Græc. *k.* Apollod. Lib. 2.

bit, nec illud quicquam institutum nostrum turbat. Notum enim est, vel ex ipso Apollodoro, quam incerti sunt de eo Græci Scriptores, quibus parentibus *Ionem* assignare debeant. Porro de fortitudine *Argi* Panoptæ, nepotis prioris *Jasi*, scribit Apollodorus hunc in modum: *l.* ὑπερβάλλων δὲ δυνάμει, τὸν μὲν τὴν Ἀρκαδίαν λυμαινόμενον ταῦρον ἀνελὼν, τὴν τούτου δορὰν ἠμφιέσατο. *Hic* (Panoptes) *viribus etiam præstans, sublato, qui Arcadiam vastabat tauro, ejus se corio circumtexit.* Subjicit, quòd etiam *Satyrum, qui Arcadibus vim inferebat, eorumque pecora abigebat, fortiter pugnans, interfecit. Quin etiam Echidnam interemit; ac sublatis cædis authoribus, Apidis* (filii Phronei,) *interitum ultus est.* Hæc ideo refero, ut pateat creditum veteribus fuisse, familiam *Iasidarum* veterum, peculiari quadam fortitudine insignem exstitisse; ob idque non mirum esse, quod tali nomine integra demum posteritas gaudere voluerit.

VII. Facit etiam Hesiodus *m. Iasii* cujusdam *Herois* antiquissimi mentionem; qui poterat alteruter eorum esse, de quibus jam meminimus. Quam multi fuerint olim hoc nomine *Ias*, paululùm inflexô, vocati in Græcia, apparet ex scriptis Pausaniæ. Occurit enim ibi *Iaseus n.* aliquis, Phoco, (à quo Phocis regio,

l. Eod. Lib. *m.* Hesiod. in Th ogon. v. 970 Pausan. in Phocic. seu Lib. 10. pag. 667.

gio,) æqualis; item *Iasius o. Arcas*, Herculi Thebano coævus; *Iasius Cures, p.* unus e quinque Curetibus, qui fuêre: *Hercules* Jdæus, (ferè Promethei ævo,) *Paoneus, Epimedes, Jasius* ipse, (qui aliàs *Jasos* Pausaniæ,) & *Ida.* Item, *Jasius q.* (ὁ Ἐλευθῆρος) *Eleutheri filius*: nec non *Jasis r.* Nympha, Jonidum in Eleia Nympharum una. Est etiam celebris *Jasion*, Dardani, Regni Trojani annis circiter 1483. ante N. C. conditoris frater, *Jasius s.* Virgilio dictus, & *Iason s.* Stephano de Urbibus. Hi omnes ab eodem fonte antiquo, nomen suum traxerunt. Frustra enim quæras, genuinam nominis *Ias*, vel *Iasos*, originem in lingvâ Græca, quasi ab ἰάομαι (a sanando,) & proxime ἀπὸ τῆς Ιάσεως, (à sanatione,) illud descenderet; cum constet antiquissimos illos, qui primi hoc nomine insigniri cœperunt, non fuisse Græcos. Dum Græci suos, hoc tandem nomine nuncuparunt, ab aliis mutuatô & translato usi sunt. Monitos interim hîc volo juniores & minùs exercitatos, ne ullum hactenùs recensitorum, confundant cum celeberrimo illo Duce in Argonauticis *Iasone*, conjuge Medeæ; qui claruit simul cum Hercule Thebano, annis circiter

 1286.

o. Eliac. Pr. seu Lib. 5. pag. 300. Et in Arcad. seu Lib. 8. pag. 531. *p* Eliac. Pr. p. 299. Conf. ibid. pag. 314. *q* In Boeotic. seu Lib. 9. pag. 571. *r* Eliac post. seu Lib. 6. p. 388. *s* Æneid. 3. *s.* in voce Δάρδανος.

1286. † ante nat. Ch. cui etiam, utpote in Thessalia, ex Deucalionis prosapia orto, hoc nomen exemplo majorum est impositum.

VIII. Cum tot exempla veterum occurrant Heroum, qui in Græcia, ante Græcorum illic plenius regnum hoc nomine *Ias*, vel *Iasos*, fuerunt insigniti, atque constet ex superioribus, in iis Græciæ partibus, in quibus Heroës illi claruere, Hungaricæ etiam Nationis majores olim habitasse; nemini mortalium faciemus injuriam, nec veritati ullam vim inferemus, si dixerimus valde probabile imo vero consentaneum esse, ab uno vel altero, vel etiam utroque Heroum Argivorum, paulo antè sub nomine *Iás* recensitorum, nostros olim *Iasos* fuisse denominatos; nec inveniri magis verisimilem de certo auctore, parente ac duce, illius gentis hoc modo denominatæ, originem. Si licet aliis, ab antiquissimis virorum apud Ethnicos Scriptores celebrium nominibus, suas origines deducere; ut Italis, à Rege quodam Arcadum *t.* nomine *Italo*; & Theutonibus, à *Thyot* vel *Theut*, Græcis Ἑρμῆς (Mercurio) dicto, quod eum majores

† Vide Notas Lydiati in Chronic. Marmor. ubi mentio est Herculis Thebani, qui fuit unus sociorum Jasonis. Conf. Apollon. Argon. Lib. 1. & Apollod. Lib. 1. *t.* Vid Thucyd. Lib. 6. sub initium.

majores ipſorum maximè coluerint; cur non liceat nobis noſtrorum *Iazygum* ſeu *Iaſorum* originem, à præmemorato, uno vel altero *Jaſo*, vel etiam utroque petere? præſertim cum nullus adhuc aliquem eorum, in originibus Nationum inveſtigandis, in alias partes (quod ſciam,) pertraxerit.

IX. Primum ac præcipuum mihi in hanc rem argumentum eſt, ipſa nominis hæreditarii *Iazorum*, tam accurata cum antiquiſſimo illo *Heroum* nomine convenientia, collata ſimul cum expenſione priſtinarum *Magaricæ* Nationis ſedium. Non eſt mihi animus negare, quin olim *Iaſidarum* nomen à dictis Heroibus derivatum, etiam ad aliquam partem Dacicæ, Sclavonicæ, imo etiam Græcæ Nationis, ob nimis confuſa tunc matrimonia,& alias inter ſe neceſſitudines, fuerit extenſum; at vero vel maximè noſtrorum *Iazygum* majoribus, illud negandum non eſſe, ipſum nomen, quod in hunc uſque diem noſtri *Iazi*, ut gentile ſuum ab antiquiſſimis majoribus acceptum, hæreditario gerunt, luculenter nos docet. Et ſane poſſem percontari ab eo, qui perfractè vellet hactenus à me de *Iazygum* origine poſita negare; quamnam aliam nobis nationem aſſignabit, cui tam benè de nomine ſimul & priſtinis ſedibus cum dictis *Heroibus* conveniat, quàm noſtris *Iazygibus*? Quærat ſanè, ſi inveniet. Neque etiam dici poteſt,

veterum *Iasidarum* Argiuorum posteritatem, penitùs deletam esse, ut nullibi ampliùs superſit. Nam nomen adhuc una cum gente exſtans, ac veteri nomini appoſitiſſimè conſonans, longe aliud clamat.

X. Alterum mihi argumentum eſt, quod diſerte tradit Strabo, olim Atticam, (Peloponneſo vicinam,) quà etiam Megaridem comprehendebat, dictam fuiſſe, non ſolùm Joniam, ſed & *Ias*; quod planè convenit eximiè cum noſtro nomine & ſcopo circa nomen. Etiam ſonus ς σ (*ſigmatis*) in fine *Ias*, ita Græcis ſonat, ſicut nobis *ſz*. Ipſa quoque vox eadem planè eſt, quâ nos idiomate nativo noſtros *Iaſos* vocamus. Poterat olim aliquod additamentum ei à noſtris majoribus junctum fuiſſe, dum Tractum aliquem terræ eo nomine inſignirent. V. gr. *Iáz-fõld*; vel *Iáz* tartomany; h. e. *Iazica* Terra, vel *Iazica* regio. (Hodie abſtractum ex *Iáſz* formantes dicimus *Iáſzſág*.) Sed Græci ſcriptores, non curantes additamentum, principale tantum, (hoc eſt, Gentis nomen ſed fœminino genere ſumptum,) in dicta regione nominanda retinuerunt. Verba Strabonis ſunt: u. Ἀττικὴ τὸ παλαιὸν Ἰωνία καὶ Ἰὰς ἐκαλεῖτο. *Attica antiquis temporibus dicta fuit Ionia & IAS.* Quid quæſo hîc eſt *Ias*, cum ſignanter *antiqui* temporis fiat mentio, ſi non illud eſt, quod nos contendimus & adſtruimus,

u. Strab. Geog. Lib. 9. pag. 392.

mus, olim *Iazygum* majores, eam Regionem una cum Jonibus inhabitaſſe, ob idque non ſolùm *Ioniam*, ſed & *Ias* fuiſſe dictam? Turpiter enim ille hallucinaretur, qui putaret nomina *Ionia* & *Ias*, tanquam ſynonyma ex veterum mente hìc uſurpari; cum non ſolum Strabo ea diſtingvat, ſed & rei veritas, manifeſtam eorum requirat diſtinctionem. Alii enim fuêre olim, qui *Iaſi* nomen primi in Græcia uſurpare cœperunt; alii verò *Iones*, ſeu *Iavanis* poſteri; etſi imperiti, aut minus in rem attenti, eos aliquando confunderent. A diverſis igitur, diverſæ Nationis incolis, *Ionibus* (ex Jonia oriundis,) & *Iazis*, Regio eadem, geminis hiſce nominibus fuit antiquitus vocata; ſicut & noſtra Patria in hunc uſque diem, non ſolùm *Hungaria*, ſed etiam *Dacia* ex parte, & ex parte *Pannonia*, ob diverſos nimirum incolas veteres & novos, & veterum adhuc reliquias, vocatur.

XI. Pro noſtro facit ſcopo etiam id, quod ſcribit Stephanus de Urbibus in hæc verba: *v.* Ἰὰς Ἰλλυρίας μέρος. Οἱ οἰκοῦντες Ἰάται. *Ias Illyriæ pars: habitantes Iatæ.* (Atticè pro *Iaſæ.*) Subjicit: Λέγεται καὶ Ἰωνική. *Dicitur etiam Ionica.* Partem eandem Illyridis, gemina hæc nomina olim habuiſſe, ob eandem quam paulo ante attigi rationem, puto; quia *Iones* cum *Iazis*, mixtim in ea parte habitarent. Accedere po-

v. In voce

tuit hæc etiam ratio, quòd sera posteritas, antiquorum nominum bene distingvendorum oblita, *Iones* & *Iasos*, item *Ioniam*, (vel *Ionicam* & *Ias* (sive *Iadem*,) inter se confunderet, quod jam innui: sicut ipse Stephanus, palam hæc confundere videtur, dum scribit: *x.* Ἐκ τοῦ Ἰάω τὸ Ἰάν λέγεται καὶ θηλυκῶς Ἰάς καὶ Ἰάονις, *A Iao fit Ian. Dicitur & fœmin. genere, Ias & Iaonis.* In his *Iadem* & *Iaonidem*, pro eodem Stephanus accipit, quasi utrumque ab Ἰάων ortum haberet; cum tamen *Iaon*, h. e. Javan, & *Ias*, a יָוָן, multum inter se differant. Non ignoro Thomam de Pinedo *y.* in allatis paulò ante de *Iade* Illyriæ verbis, putare Stephanum memoriâ lapsum esse, ac loco Ἰλλυρίας, legendum esse Ἀττικῆς, secundum Strabonem. Verùm, cum Stephanus de parte *Illyridis* loquatur, Strabo autem de tota *Attica*, inclusa illic etiam eâ Peloponnesi parte, quæ est Megaris; nulla ratione possumus præsumere, eum eadem tantùm voluisse dicere cum Strabone. Poterat id fugere oculos vel mentem Stephani hæc scribentis, quod Strabo habet de Attica olim *Ias* & Ionia dicta, idque ipse scribere, quod aliunde sciebat verum esse. Benè enim cum veritate stare poterat, quod hic scribit Stephanus. Nam cum in hunc usque diem, Jazyges & Breuni nostri seu Baranyæ, sint

x. In voce Ἰάων. *y.* Not in Steph. in voc. Ἰάς. num. 11.

ſint planè vicini & finitimi Illyriis, poterant adhuc tempore Stephani, (h. e. circa an. D. 500.) aliquæ *Iazygum* reliquiæ, etiam in ipſa Illyride habitare: quæ ſive jam ab antiquiſſimis tempotibus, è Græcia fuerint eo uſque extenſæ, ſive potius, aucta potentiâ Græcorum, paulatim eo ex Græcia dimotæ, perinde eſt ad noſtrum ſcopum.

XII. Poſſem hîc ex *Strabone* etiam oſtendere, quoſdam olim è noſtris majoribus, aliquam *Illyridis* partem incoluiſſe, ſi certi eſſemus, nomen quoddam Ardiæorum in Illyride, nempe *Varalii*, (ubi dicit, z. Οὐαραλίους δ' οἱ ὕστερον ἐκάλεσαν τοὺς Ἀρδιαίους. *VARALIOS autem poſteri dixerunt ipſos Ardiæos.*) non corruptum, (quaſi loco παραλίους,) ſed vere poſitum apud eum eſſe. Nam *Vár-allyi*, eum, eoſque nobis ſignificat, qui ſub Arce aliqua degunt; (hinc oppidum *Vár-allya*, in Scepuſio; atque etiam *Budalia*, Urbs Pannoniæ apud Ortelium ex Antonio, non aliud mihi eſt, quam *Buda-allya*;) ut nempe potuerit olim in monte *Ardio* Illyridis, (in cujus tractu mare ſpectante, habitarunt olim *Ardiæi*,) *arx* aliqua eſſe, indeque hoc nomen *Varaliorum* incolis ſub arce & circa arcem, ad arcem pertinentibus, imponi. Verùm quod adhuc incertum eſt, pro certo hîc ponere nolo. Textus Stephani jam

z Strab. Geogr. Lib. 7. pag. 315.

jam memoratus, pro nostro scopo satis clarus est. Illud tamen, quod tùm apud Plinium † tum apud Ptolemæum, *ejus Tractus incolæ dicuntur *Vardæi* vel *Vardei*, (eadem utrobique lit. initiali sonante, nec voce ab Hungarismo dissonante,) prohibet nos, ne temerè nomen illud Ουαρδαλεῖς corruptum esse dicamus; sed cum tempore scrutemur, annon subsistere hîc possit. Sane montis etiam (τ' Αρδίυ) *Ardii* nomen, faciliùs ab Hungarico *Ardo* vel *Erdô*, (hôc Sylvam, illo aut sylvosum locum aut arduum quid & vastum significante,) deduci potest, quam ab alio vicinorum illic idiomate.

XIII. Chalcocondylas etiam Atheniensis, (qui adhuc an. D. 1490. supervixit,) postquam præmisisset de Ungaris, seu Pannonibus, (quos Pæones vocat,) quod *a. hoc hominum genus eximiæ sit fortitudinis*, & quod *linguâ sibi peculiari utantur*; mox subjicit de iisdem: *Quidam tradunt eos antiquitus Getas exstitisse, sedesque habuisse, quas insederint sub monte Hæmo*; † qui nimirum est mons celeberrimus Thraciæ. Si sub monte illo olim aliqui nostræ nationis majores consederint, ex eo facilè mihi persuadeo, eos è partibus Græciæ, à tempore jam supra indicato, paulatim se versùs Boream, atque in ipsam Pannoniam & Jazygum regionem, contulisse. Per *Getas* hic intelligo *Iatas* Ste-

phano

a. Chalcocond. de Reb. Turc. Lib. 2. p. 38. ed. Græc. Lat. Paris. & Lat. ed fol. 233. † Huc facit

phano dictos, hoc est, *Iasos*: quod infra amplius patebit. Quod subjicit Chalcocondylas, *pulsos* inde *à Scythis*, *concessisse* in eam regionem, quam nunc tenent; de parte *Iazygum* nostrorum & *Baranyarum* intelligo: quos *Thracum* Scythici majores, aut *Daci*, *Gothi* vel similes poterant inde submovisse, longe ante aliorum *Hungarorum* adventum in Hungariam. Nam alios sane *Hunnos*, sive *Athilæ* comites, sive reliquos ejusdem vestigia secutos, non a monte *Hæmo* Thraciæ pulsos esse, sed ex Scythia in Hungariam advenisse novimus.

XIV. Porro, cum adhuc in origine *Jazygum* a *Iasis* Heroibus Argivis deducenda occupamur; succurrit mihi pro ulteriori in hanc rem lumine id etiam, quòd olim pars *Iazygum* dicti fuerunt *Regii*, ut habetur apud Strabonem, qui eos bifariam distingvit: *b.* οἱ Ἰάζυγες, Σαρμάται καὶ Βασίλειοι λεγόμενοι: *Iazyges, Sarmatæ & Regii dicti*; quos ego *Regios*, eosdem esse existimo, qui apud Herodotum, annis plusquam quadringentis ante Strabonem, generaliori nomine, dicti sunt, *c* οἱ Βασιλήιοι Σκύθαι. *Regii Scythæ*. Nullam hactenus video aliam rationem, cur hi Scythæ, signanter Jazyges, *Regios* se nominaverint, quàm quod ex antiqua traditione acceptum tenerent, se a Regio aliquo sanguine ortum ducere, atque etiam

vetus *Zirinia* Thraciæ apud Steph. *b.* Georg. Lib. 7. pag. 306. *c.* Herod. Lib. 4. c. 59.

etiam nomen inde sortitos esse. A quibusdam enim ministeriis tantùm circa Regem, non poterant hi soli hoc nomen sortiri, cum & alii *Scythæ* assumerentur in talia ministeria. Quomodo autem pars *Iazygum*, amissis prioribus in *Græcia* sedibus, in *Scythiam* olim penetraverit, non obscurum est, e capite præcedenti id colligere. Imprimis cum *Dardanus* e Samothracia, annis circiter 1483. ante natum Chr. transierit in Asiam, ibique Regnum Trojanum condiderit, poterat inter alios suos comites, habere etiam *Iasos*, seu *Iasidas* in suo exercitu; qui demum ubi Græci *Trojâ* eversâ, passim victores exstiterunt, absque dubio paulatim una cum aliis ejusdem *Magaricæ* nationis in minore Asia reliquiis, (exire inde volentibus,) in Scythiam ad suos se se populares, contulerunt. Pars eorum poterat e Græcia quoque cum *Græco-Scythis* (apud Herodotum sic dictis,) in Scythiam commigrare.

XV. Scrupulus forte circa originem *Iazygum* hactenus assertam, movetur alicui ex eo, quod Iazygum nomen non est tam vetus apud Scriptores, quam quidem deberet esse, si planè a *Iasis* Heroibus *Argivis*, ortum *Iázyges* ducerent. Mihi saltem non constat antiquiorem Strabone Scriptorem, nominis *Iazygum* cum hac flexione meminisse.(Ptolemæus enim *Lagi* vel *Aristobulus*, e quibus sua habet de Alex-

Alexandro *Arrhianus*, mentionem etiam *Jazygum* faciens, poterant ſub alia flexione hoc nomen uſurpare, vel alio nomine *Jazygas* poſteris noſcendos tradere.) Verùm reſpondeo, etiamſi nomen Jazygum, apud Scriptores non eſſet Strabone (h. e. anno D. 20.) antiquius, ſufficeret ad noſtrum ſcopum, quòd illud antiquiſſimum eſt (inde nimirum à progenitoribus primis acceptum,) apud eos, quorum eſt proprium. Et quidem illi rectiùs norunt ſuum nomen antiquum, quod eſt *Iáz*, vel *Jáſz*, quàm Græci, qui illud mutârunt in *Jazyx & Jazyges*. Quemadmodum Germanorum nomen ſuum vernaculum, *Theuſch*, eſt antiquiſſimum, licet nomen illud, Latinè *Teutones*, vel *Teutoni*, (ut apud Plinium, *d.* & utrumque apud Cæſarem ‡) non multo ſit antiquius, (tanto quippe, quanto Julius * Cæſar ætate Strabonem antecedit,) in tali flexione apud Scriptores, quàm hoc *Jazygum*, in hac forma; ſic de Jazorum etiam nomine genuino eſt cogitandum. Sed nego nomen *Iazorum*, in diverſa paulô flexione, & fortè meliore quam τὸ *Iazyges*, non fuiſſe notum & uſitatum antiquis Scriptoribus etiam ante Strabonem. Scilicet antiquiſſimi Græci, vocabant illos, *Iaſidas*

d. Plin. Lib. 4. c. 14. ‡ Lib. 1. & 2. de Bell. Gall. *Teutonos* habet, & Lib. 7. *Teutonum* in Gen. plur.
* Floruit Jul. Cæſ. an. ante N. Ch. 46.

ſidas, à *Iaſo* nimirum progenitos, ejuſque proſapiæ addictos. Hoc ex ipſo Stabone diſcere poſſumus. Poſtquam enim dixiſſet, Urbis Argivæ gloriam effeciſſe, ut alii extra eam Græci diuerſis Ducum ab ea nominibus (Pelaſgiotarum, Danaorum & Argivorum) inſignirentur, illicò ſubjicit: *e.* οὕτω δὲ καὶ Ἰασίδας, καὶ Ἴασον Ἄργος, Ἀπίαν καὶ Ἀπιδόνας οἱ νεώτεροι φασίν. *Sic* (inquit) *& IASIDAS* (à Jaſo nimirum) *& Iaſum Argos, & Apiam & Apidones recentiores dicunt.* Ubi nota cum hæc omnia, primo intuitu à recentioribus ita uſurpari dicit; illud *recentiores*, ad proximum tantùm nomen referas: ſecus enim hoc Strabonis dictum cum veritate conciliare non poteris. Nam omnia illa nomina præter *Apidonas*, ſunt antiquiſſima apud Græcos. Imo & *Apidones*, (ab *Apia* Regione & Urbe,) pluſquam ducentis annis ante Strabonem, leguntur apud *Rhianum* Poetam; *f.* qui Eratoſtheni, coævus fuit.

XVI. Miror ſanè magni nomnis virum Strabonem, quomodo hic adeò dormitaverit, cum paulo antè ipſemet, *Iaſon Argos*, ab Homero dici, retulerit. *g. Iaſum quoque* (inquit) *Argos, Peloponneſum dicit* Homerus. Ac illicò ſubjicit verſum Homeri de *Penelope*, quod

e. Strab. Geogr. Lib. 8. p. 371. *f.* Vid. Steph. de Urbib. in ἀπία. *g.* Lib. 8. v. 369. Ἴασον τὸ ἄργος, τὴν πελοπόννησον λέγει.

quòd ea plures habitura fuisset procos, si per *Jason Argos* Achivi eam vidissent.

h. Εἰ πάντες σε ἴδοιεν ἀν' Ἴασον Ἄργος Ἀχαιοί.

Si omnes te viderent per Jason Argos Achivi.

Et cum ipse Strabo, ultrò concedat nomen *Argos*, non solùm Regionem Peloponnesum, sed & caput Regionis, Argivorum nempe Urbem, apud Homerum significare, dum dicit:

i. Ἄργός τε Σπάρτη τε. --- &,
k. Οἱ δ' Ἄργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε.
Argos Spartaque, --- &,
Quique Argos tenuere, & qui Tiryntha.

Hinc facilè colligimus eundem Poëtam, etiam in τῷ *Jason Argos*, Urbis à *Jaso* denominatæ significatum non excludere, quin potiùs præcipuè id includere. Hujus autem Urbis incolas olim *Jassios* fuisse dictos, testis est Stephanus de Urbibus. Nomen etiam τῆς Ἀπίης, non tam pro epitheto, *longinquum* significante, ut vult Strabo, quàm pro ipsa potius Regione Peloponneso, olim *Apia*, ab *Api* Phoronei filio dicta, exstare apud Homerum, ipsa consideratio versûs nos docet. Longin-

h. Homer. Odiss. 18. vers. 245. *i.* Homer. Iliad. d. vers. 52. *k.* Iliad. 6. 559. Conf. Strab. lib. 8. p. 369. *l.* In Voce Ἰασσὸς, sub finem.

quitas enim terræ, de qua illic *Nestor* loquitur, alio vocabulo adverbialiter exprimitur.

m. Τηλόθεν ἐξ Ἀπίης γαίης.

Longè ex Apia terra.

Habemus etiam apud Rhianum *n.* & Apollodorum, *o.* *Apiam* dictam fuisse ab *Api*, Phoronei filio. Quibuscum confer si placet etiam Pausaniam, *p.* Scriptorem doctissimum.

XVII. Sed jam de nominis etiam *Jasidûm* antiquitate (quò præcipuè hîc collimamus,) aliquid afferamus. Poterat sanè Strabo videre, etiam id nomen in singulari apud Homerum exstare, cum Amphionem *Jasidem* vocat his verbis:

q. Ὁπλοτάτην κούρην Ἀμφίονος Ἰασίδαο.

Minimam natû puellam † Amphionis JASIDÆ.

Patronymica talia sunt, quæ non solùm singularem, sed & pluralem numerum admittunt. Cum Poëta Amphionem hunc vocat *Jasidem*, intelligendum nobis dat per hoc, etiam plures fuisse *Amphionis* ævo, (13. circiter seculis ante N.C.) qui Jasidæ dicerentur, aut

m. Iliad. *α.* vers. 267. *n.* Apud Steph. Byzant. in voc. *Ἀπία*. *o.* Apollod. lib. 2. sub initium. *p.* Pausan. in Corinthiac. seu. lib. 2. p. 94. *q.* Homer. Odyss. 11. † *Chloris* hæc fuit, mater Nestoris.

aut posteri, magni illius *Jasi* Herois, sive primi sive secundi, aut verò arctam cum ejus posteris necessitudinem habentes. Hic enim *Amphion*, cum fuerit Antiopes, filiæ Nyctei, ex Jove (ut Græci fabulantur,) filius, non poterat ideò dici *Jasides*, quia proximum parentem *Jasum* quempiam habuisset, sed sine dubio ob arctam cum *Jasidis* in sanguine coalitionem; & fortè propter Epopeum, r. Antiopes maritum, ex Deucalionis prosapia descendentem, eo nomine insignitus est. Nota hîc obiter, Ovidio ‡ (qui ut notum tempore Augusti floruit,) nomen Jazygum est in recto sing. *Jazis:* quod etiam propius est ad Homeri *Jasidem*, quàm ad recentiorum Græcorum *Jazygas*.

XVIII. Meminit etiam Plinius *Jasiorum* tanquam antiquissimi populi, cum Græcis olim commercium habentis: quod utrumquè patet ex opere illo quod illis adscribit. ſ. *Ostendunt* (inquit) *& JASII Dianam manibus eorum factam. Et in ipsa Chio narrata est operis eorum Dianæ facies in sublimi posita, cujus vultum intrantes tristem, exeuntes exhilaratum putant.* Non alii sanè poterant hi *Jasii* esse, quam ex celeberrima *Jasorum* Argivorum Heroum prosapia descendentes. Nec *Jatios* (quasi *Jasios*,) apud eundem Plinium, s. in tractu montium Caucasiorum,

r. Apollod. lib. 1. coll. lib. 3. ‡ De Pont. lib. 4. Eleg. 7. *Ferox-Jazis.* ſ. Plin. lib. 36. c. 5. sub init. s. Lib. 6. c. 16.

rum, alios fuisse puto, quàm Scythas nostræ Nationis ex sanguine *Iazico* originem ducentes. Quos enim quæso alios populos quispiam eo nomine nobis in illo tractu monstrabit? Quod verò signanter circa *Dianam* adeo fuerint *Iasii* nostri religiosi; & hoc mihi aliquam lucem ad has Origines subministrat. Nam τὸ *Diana*, ubi penitiùs excutio, non aliud esse invenio, quàm Hung. *Dij-anya*; ‡ h. e. *pretii*, vel *valoris Mater*. Quasi diceres: *Pretiosa*, *valentissima* ac *dignissima Mater*. Ita etiam Græcum ejus nomen, Ἄρτεμις, videtur esse mihi, *'Erdemes*, h. e. Meritoria, Dignissima: quanquam & τὸ *'Ertelmes*, (quod Vulgus aliquando dicit *Erteumes*,) h. e. Ingeniosa, Prudens, videtur non multùm recedere à Græco. Dignitas ejus apud suos, liquet, Act. 19. vers. 27. 28. Quod speciatim *Mater* in nomine ejus involvitur, ratio est, quia † τὴν τῶν νηπίων παίδων θεραπείαν, *parvulos tractandi rationem*, & *cibos quosdam naturæ tenellæ convenientes invenisse* credebatur, ac *ea de causa*, *Puerorum Nutrix appellabatur*.

XIX. Atque hæc jam satis superque nos instruere possunt, de vera & antiqua nominis ac nationis *Iazygum* Origine. Nunc paucis etiam de *Breunis* seu *Baranyis* nostris aliquid subjiciamus.

Breu-

‡ Utriusque vocis & *Dij* & *Anya*, etymon in his Originibus invenies; Cap. 11. & c. 7. † Diod. Sicul. Hist. Lib. 5. p. 340. ed. Hanov.

XX. *Breunos* ego ſeu *Baranyas*, noſtræ Nationis veram progeniem, atque eodem cum ceteris Hungaris idiomate utentem, origine ac proſapiâ eosdem eſſe cenſeo cum *Iazis* ſeu Jazygibus; ita ut antiquitus non alio quam nomine *Iazorum*, ii quoque venerint. Atque hinc eſt, quòd *Iaſos* Plinius, & *Iaſſios* (eandem progeniem,) Ptolemæus, inter Panno- niæ incolas recenſent. Puto autem *Brennos*, vel *Breunos*, (atque inde corrupte *Breucos*,) à Græcis tantùm poſterioribus, à quodam *Brenno* Duce Gallorum, per errorem fuiſſe dictos. Cum enim legam apud Strabonem, *t.* olim *Scordiſcos* quoſdam Gallos, ad Pariſum (ut ille habet,) amnem, h. e. vel ad Mariſum, vel ad Pathiſſum, (quod probabilius,) atque etiam in finibus Pannoniæ, *Celticas* gentes *Bojos* & *Tauriſcos*, habitaſſe; atque inſuper conſtet è Scriptis veterum, celeberrimum olim Ducem Gallorum *Brennum*, circa annum ante N. C. 295. tunc adversùs Græcos & alios bello contendentem, ſignanter etiam dum *u. in Pannoniam iret*, una cum *Acichorio* exercitui præfuiſſe; hinc poterat aliquod ſuæ præſentiæ memoriale in *Pannonia*, præſertim inter Celticas gentes, relinquere;

 quod

t. Strab. Lib. 7. pag. 313. *u.* Pauſan. in Phocic. ſeu. Lib. 10. pag. 644. Τοῖς δὲ ἐς Παιονίαν ἰοῦσι, Βρέννος ἦσαν καὶ Ἀκιχώριος ἄρχοντες. Conf. Juſtin. Hiſt. Lib. 24. c. 4.

rum, alios fuisse puto, quàm Scythas nostræ Nationis ex sanguine *Iazico* originem ducentes. Quos enim quæso alios populos quispiam eo nomine nobis in illo tractu monstrabit? Quod verò signanter circa *Dianam* adeo fuerint *Iasii* nostri religiosi; & hoc mihi aliquam lucem ad has Origines subministrat. Nam τὸ *Diana*, ubi penitiùs excutio, non aliud esse invenio, quàm Hung. *Dij-anya*; ‡ h. e. *pretii*, vel *valoris Mater*. Quasi diceres: *Pretiosa*, *valentissima* ac *dignissima Mater*. Ita etiam Græcum ejus nomen, Ἄρτεμις, videtur esse mihi, *'Erdemes*, h. e. Meritoria, Dignissima: quanquam & τὸ *'Ertelmes*, (quod Vulgus aliquando dicit *Erteumes*,) h. e. Ingeniosa, Prudens, videtur non multùm recedere à Græco. Dignitas ejus apud suos, liquet, Act. 19. vers. 27. 28. Quod speciatim *Mater* in nomine ejus involvitur, ratio est, quia † τὴν τῶν νηπίων παιδίων θεραπείαν, *parvulos tractandi rationem*, & *cibos quosdam natura tenellæ convenientes invenisse* credebatur, ac *ea de causa*, *Puerorum Nutrix appellabatur*.

XIX. Atque hæc jam satis superque nos instruere possunt, de vera & antiqua nominis ac nationis *Iazygum* Origine. Nunc paucis etiam de *Breunis* seu *Baranyis* nostris aliquid subjiciamus.

Breu-

‡ Utriusque vocis & *Dij* & *Anya*, etymon in his Originibus invenies; Cap. 11. & c. 7. † Diod. Sicul. Hist. Lib. 5. p. 340. ed. Hanov.

XX. *Breunos* ego ſeu *Baranyas*, noſtræ Nationis veram progeniem, atque eodem cum ceteris Hungaris idiomate utentem, origine ac proſapiâ eosdem eſſe cenſeo cum *Iazis* ſeu Jazygibus; ita ut antiquitus non alio quam nomine *Iazorum*, ii quoque venerint. Atque hinc eſt, quòd *Iaſos* Plinius, & *Iaſſios* (eandem progeniem,) Ptolemæus, inter Pannoniæ incolas recenſent. Puto autem *Brennos*, vel *Breunos*, (atque inde corrupte *Breucos*,) à Græcis tantùm poſterioribus, à quodam *Brenno* Duce Gallorum, per errorem fuiſſe dictos. Cum enim legam apud Strabonem, *t.* olim *Scordiſcos* quoſdam Gallos, ad Pariſum (ut ille habet,) amnem, h. e. vel ad Mariſum, vel ad Pathiſſum, (quod probabilius,) atque etiam in finibus Pannoniæ, *Celticas* gentes *Bojos* & *Tauriſcos*, habitaſſe; atque inſuper conſtet è Scriptis veterum, celeberrimum olim Ducem Gallorum *Brennum*, circa annum ante N. C. 295. tunc adversùs Græcos & alios bello contendentem, ſignanter etiam dum *u. in Pannoniam iret*, una cum *Acichorio* exercitui præfuiſſe; hinc poterat aliquod ſuæ præſentiæ memoriale in *Pannonia*, præſertim inter Celticas gentes, relinquere;

 quod

t. Strab. Lib. 7. pag. 313. *u.* Pauſan. in Phocic. ſeu. Lib. 10. pag. 644. Τοῖς δὲ ἐς Παιονίαν ἰοῦσι, Βρέννος ἦσαν καὶ Ἀκιχώριος ἄρχοντες. Conf. Juſtin. Hiſt. Lib. 24. c. 4.

quod vel hoc potuit esse, quod ejus nomen & memoria subinde in ore incolarum versaretur. Atque hinc Græci occasionem sibi arripere poterant, tales *Brenni* celebratores, *Brennos* vocare, ac inter eos, vel maximè illos implicare, qui vero nomine à suis popularibus, *Baranya* vocabantur; ex hujus autem plurali *Baranyák*, collato cum alio *Brenni*, vel *Breuni*, formare per depravationem etiam *Breucos*; imò succelsû temporis, ob aliquam soni hujus & illius nominis similitudinem, solis ferè *Baranyis* illud *Brennorum*, vel *Breunorum*, & *Breucorum* nomen, proprium facere. Aliam sane nominis ejus originem hactenùs ego non video. Non enim cum nostro congruit idiomate, illos, *Brennos*, *Breunos*, vel *Breucos* vocare. Nec possum adduci, ut credam, tantummodò ex Hungarici nominis *Baranya* corruptione apud Græcos natum esse, ut nostros Baranyas *Brennos* vel *Breunos* vocarent, nisi jam prius *Brenniani* nominis imaginatio, cerebro eorum insedisset Si quis meliorem nati primùm *Brennorum* Pannoniorum nominis originem dare poterit, ei non reluctabor. Ego quod per conjecturam hîc assequi poteram, in publicum dedi. Ceterùm, verum eorum nomen nostro idiomate est id, quod jam aliquoties innui, *Baranya* in singulari, & *Baranyák* in plurali. Est autem nomen illud compositum, quod etiam dudum insinuavi,

x. sci-

x. ſcilicet, ex *Bor*, vinum, & *Anya*, mater; ut ſit *Bor-anya*; & ſonô prioris vocalis leviter mutatô, junctim *Baranya*, h. e. *Vini Mater*; ipſa regio primùm, ab optimi præſertim circa Sirmium, atque etiam copioſiſſimi *Vini* proventu, ſic dicta; deinde verò etiam incolæ ejus noſtratibus, eodem nomine appellati.

XXI. Inter has curas, dum legerem de *Braurone*, *y.* Oppido ac populo olim *Atticæ*, ab *Heroë Braurone* nuncupato; (unde & *Brauronia* celebris *Dianæ*, ortû *Taurica*,) cœperam fateor cogitare, annon populi illius, noſtri *Baranyæ* reliquiæ eſſent, quorum prius nomen, in Pannonia demùm, ob ſuam ſedem vini generoſi feraciſſimam, à noſtris exiguâ flexione ita mutatum eſſet, uti nunc denominantur. Verùm hanc ego cogitationem in medio tantùm relinquo, uſque dum clariora in hanc rem documenta mihi occurrant. Nomini autem *Siculorum* Tranſylvanorum, (Hunniacæ proſapiæ,) exponendo, ut hîc multùm immorer, nulla requirit neceſſitas. Non enim ullo modo ex Siciliæ *Siculis* aliqui nomen illud eis dederunt; [niſi forte dicamus, antiquiſſimos eorum majores, ex antiquiſſimis Italiæ *Siculis*, (ante nomen hoc Latinitate

x. Supr. pag. 64. *y.* Vid. Strab. Lib. 9. pag. 399. Plin. Lib. 4. c. 7. Pauſan. in Attic. pag. 62. & Steph. Byz. in Βραυρών. Conf. Herod. Lib. 4. c. 145. & Lib. 6. c. 138.

donatum,) qui Græcis Σικελοὶ, *Siceli*, quod propè accedit ad *Székelly*, Oenotrorumque posteri apud Dionysium * Halicarnasseum ex Antiocho Syracusano dicti, nisi inquam ex his dicamus aliquos olim à vicinis populis infestatos, venisse in eam Regionem, ubi nunc nostri *Siculi* suas sedes habent:] sed cum verum eorum nomen idiomate Hungarico esset *Szék-helly*, (ut supra z. innuimus,) & in plural. *Szék-helyek*, † loca sedium, h. e. loca Castrorum, stantium & quiescentium, veterum Hunnorum; inde paulatim nostri in Latino idiomate, nomen illorum ad similitudinem nominis *Siculorum* corruperunt, vel potiùs transformarunt. Nam in hunc usque diem nostro idiomate vocamus eos, *Székely*, & *Székelyek* in plurali; quod veram ac pristinam nominis eorum rationem, liquidò demonstrat. Hoc unum de illis addam; me non putare eos, tantùm Hunnorum illorum, qui post Athilæ mortem, & filiorum ejus infelix imperium, (multis in Scythiam redeuntibus,) in extremis Transylvaniæ manserant, esse reliquias; sed illis quidem auctos numerum eorum, at verò jam ante illa etiam tempora, aliquos eorum majores, h. e. incolas, nostro idio-

* Antiq. Rom. Lib. 1. pag. 11. edit. Hanov. 1615. z. Cap. 1. † Nota; cognatum huic videtur etiam τὸ *Szek-ülö*, & inde plur. *Szek-ülök*; h. e. *In Sedibus* (occupatis) *sedentes*, seu *manentes*.

idiomate usos, in finibus Transylvaniæ habitasse, ex iis, quæ Strabo, * de *Urgis*, h. e. *Ugris*, & quibusdam *Iazygibus*, tum Sarmatis tum Regiis, utramque Istri ripam aliquando incolentibus, tradit, non obscurè colligo. Atquè hanc puto præcipuam fuisse rationem, cur olim *Hunni* frequentes in illis locis stationes haberent; (quemadmodum *Athila* etiam sedem sibi inter *Iazyges* † elegerat;) quia in iis fratres ac populares suos invenirent, quibuscum etiam idiomate communi uterentur. Omnes eorum mores, privilegia, atquè dialectus sermonis, hanc videntur redolere antiquitatem, quam hîc ex *Strabone* eis vindico.

Residua hujus Operis, inveniet Lector in subsequente *Parte Secunda*.

* Vide ejus verba Supr. p. 63. & conf. 153. 154.
† Vide Supr. pag. 104. 108.





ADDENDA

PRIMÆ PARTI.

Pag. 38. lin. 1. poſt voc. Bocharti. *Adde hæc:*

Non me latet (ut obiter moneam) Doctiſſimum D. Thomam *Hyde*, * pro *Magog* Plinii in Syria, legere *Mabog*, Syri cujuſdam Scriptoris Plinio longè recentoris authoritate fultum. At verò, cum nullo conſtet argumento Syrum illum, antiquum Hierapoleos Orientale nomen hîc nobis proferre, quin potius ſuſpectiſſimus ſit de recenti ac depravato; *Plinius* verò è contra antiquiſſimo & notiſſimo nomine Orientali Hierapolim hîc inſigniat; nulla ratione induci poſſum, ut mihi perſuadeam *Plinium* in eo nomine eſſe mendoſum: quin potius cenſeo, pro illa antiquitate de qua loquitur, retinendum hic eſſe *Magog*, pro Syro ſeu Aramæo nomine Hierapoleos. Nam in hunc uſque diem noſtri, quorum majores *Syris* fuere & ſedibus & ſermone vicini, habent *Mágocs*, h. e. *Mágoch*, nomen loci, (& inde *Mágocſi* ſeu *Mágochi*, h. e. Magochienſis;) quod in re eſt ipſiſſimum *Magog*, ג mutatô in ח/ quod facile & frequens eſt inter

* Not. in Itin. Mund. Perits. p. 42. 43.

inter Orientales. Ita etiam pro *Góg*, quod certò scio cognomen in Hungaria quorundam esse, aliqui itidem vice cognominis, dicunt *Gócs*, seu *Góch*; quod etiam experimento mihi notum. Nihil ergo obstat, quo minùs vel antiquissimi Scythæ, utpote Aramæi, vel ipsi Syri, nomine Orientalibus notissimo *Magog*, Urbem in *Syria* insigniverint.

Ead. pag. 38. lin. 20. post voc. approbarunt. *Adde:*

Quod non poterant non approbare, cum non alienum, sed domesticum, nec dedecoris, sed honoris nomen, *Scythas* dici apud ipsos fuisset; quantumcunque forte alii ex hoc ipsos, tanquam *tuguriosos* vel *tentoriosos*, haud sine illusione memorassent. Nam cum omnis Natio vel Multitudo, semper ab uno vel à paucis soleat nomen trahere; facilè concedere possumus, fuisse olim unum aliquem *Scythen* dictum, (sive Herculis † sive Jovis * filium, id nunc non disputo,) à quo hoc nomen juxta Diodorum Siculum ‡ ad *Scythas* dimânarit. Poterat nempe hic aliis excellere, in ædificandis per suos, atque habendis multis Tuguriis, Tentoriis & incolis eorum, tum militaribus tum tributariis, ut magnus Dominus terrestris; atque ex iis denominari *Scythes*, (vel *Eskütes*,) h. e. Tuguriis & tentoriis potens; à quo pri-

† Juxta Herodotum. * Juxta Diodor. Sicul. & Plinium. ‡ Hist. Lib. 2. p. 127. ed. Hanov.

primùm (ut fieri solet,) ejus filii nomen sumsere; mox vero hoc nomen à vicinis *Liguribus*,† (quos etiam tum ex usu domestico & *Scythes*, tum ex nomine ipso λίγυς, *Ligüs*, quasi nostrô *Lúgas* & *Lógós*, [h. e. conjunctim dependens,] aut *Legis*, (à *Leg*,) [præcipuus,] cognatum cum Scythis habuisse sermonem, & ex sedibus eorum * juxta *Colchidem*, socios ac confœderatos Scythis antiquis fuisse, conjicio,) in integram Nationem Magogicam & magnam partem Gomeritarum, aliosque populos his in Scythia arctè conjunctos, fuit extensum. Quod Scythæ nequaquam recusarunt, se unius e suis majoribus præcipui nomine insigniri.

Pag. 40. lin. 5. post voc. scribit. *Adde:*

Nec obstat de Scythis, quod doctissimus Bochartus † dicit *turpi errore cum Scythis Aramæos* à Plinio *confundi*; aut fortè *Plinium Arimaspos* hîc *scripsisse*. Nam sedes antiquissimæ Scytharum ad *Araxen* in *Armenia*, ultro suadent, rectè olim hoc nomen Scythis ceu incolis veteris *Aramææ*, communicatum fuisse.

Pag. 126. lin. 8. post voc. veteres Scythas. *Adde:*

Si verò quispiam contendat, *Priscum* hîc ratione à se paucis assignatâ, utrumque implicitè

citè

† Asiaticis nempe. * Steph. de Urb. in voc. λιγυστινη. Et Th. de Pined. in Not. ibid. † Phaleg. Lib. 2. c. 5. p. (mihi) 84.

citè de *Athila* facto confirmare, videlicet tum uxorum pluralitatem, tum licentiam ducendi filiam propriam in uxorem, quod utrumque Scythis sua Lex permitteret; tum dicendum est, *Scythas* hujus Legis partem de licentia ducendi filiam in uxorem à *Persis* vicinis accepisse; de quibus testatur *Agathias*, ‡ quod citeriori ævo inter eos, non solùm fratres *cum sororibus*, sed & *Patres cum filiabus* impunè *rem habuerunt*. Suspendo tamen hîc de Athila & Scythis sententiam, usque dum aliunde clarius quid in hanc rem videro.

Pag. 147. lin. 7. post voc. *Thynus*. Add.

Hinc illud Lindebrogii loco in margine citato: *Chunos vocat* Ammianus, (*uti & Ptolem. in descript. Sarmatiæ & Sid. Apoll. carm.* VII.) *quos alii Hunnos, vel Thynos, ut Priscianus Perieget.*

Hinc Thynus sequitur, post fortis Caspia proles.

Neque de fide ejus lectionis dubitandum est, quam ita variè efferri etiam Eustath. in Dionysium notat: Οὖννοι ἢ Θοῦννοι μετὰ τοῦ θ στοιχείου, Κάσπιον ἔθνος εἰσὶ Σκυθικόν. *Dionysius tamen dixit:* Οὖννοι δ᾽ ἑξείης ἐπὶ δ᾽ αὐτοῖς Κάσπιοι ἄνδρες.

Pag. 150. lin. 27. post voc. *Abarimon*. Add.

Est porrò (ut obiter hîc subnectam,) vocabulum in hunc usque diem apud nos *Abár*; quod significat crassum & fæculentum jus, a car-

‡ De Imp. & reb. Justinian. Lib. 2. p. 61. ed. Paris.

à carne ultrà medium cocta, post lotionem ejus manens. Videtur autem hoc potiùs ab עבר / (*Abar*,) Transiit, (quia transit, i. e. decerptâ inde pingvedine, mox effunditur,) quàm ab אבר (unde *Abarum* nomen,) deducendum esse. Nisi fortè dicamus τὸ אבר / olim juxta notionem *robusti*, etiam *crassum* significasse Sic rectè etiam ab אבר / (Abar,) *crassæ* lotionis nomen deducetur. Ad hoc saltem valet hoc nomen, ut suâ similitudine innuat, etiam aliud *Abar*, (scilicet *Abarum* nomen,) Originis Hungaricæ esse.

Pag. 173. lin. 16. post voc. *Bajon*. Adde:

Illud autem *Bán*, quô hodie utimur in Ducibus Croatiæ ac Dalmatiæ intitulandis, præter contractionem ex *Baján*, non ineptè, imò ut videtur meliùs quàm per contractionem, deduces ab ipso Hungarico verbo *Bán*, (quasi *Baán*,) h. e. Procurat; (unde, *Véle bánó*, h. e. Ejus curam gerens:) quod iterùm est ipsissimum Hebraicum בִּן / (*Ban*,) h. e. *Animadvertit*. Si quis etiam alterum τὸ *Bajános*, dicat esse tantùm vel *Baánó*, (Curam agens,) vel *Baánós*, (Curam agere solitus,) à nostro verbo *Baán*, non multùm ei refragabor. Sensus ex utraque notatione (& à *Baj*, & à *Baán*,) idem ferè prodit.

Pag. 220. lin. 2. post hæc, *sui compellans*. Adde: Quæ hîc iterùm mutatio à parte Abarum adversùs Constantinopolitanos, circa an

D. 626.

D. 626. secuta est; ea videri potest apud Nicephorum ‡ P. C.

Pag. 284. lin. 21. post *verb.* evanescere. *Add.* In asperiorem autem aspirationem seu crassum *H* transire, crebra docent exempla in idiomate Hungarico.

Pag. 294. lin 8. post voc. Menippo. *Adde:* ἥρως tamen Græcorum & Latinorum *Herus*, non ineptè deducitur etiam ab *Erő*, h. e. Robur; (quod est ab ארי; *) unde adjectivum *Erős*; h. e. Fortis, Robustus.

Pag. 297. l. 27. post *verb.* significat. *Adde:* Vel est compositum ex Hungaricis vocibus *Szak* (h. e. plenitudo sub mento,) & *'All*, h. e. mentum. Utrumque Hebraicum seu Orientale originè. Illud a זָוַק / (Zavak,) *plenum esse*; hoc verò est quasi עַל *Al*, id quod supernè est; vel superiorem habet situm, eminentiam. Ergo sic *Szak-áll*, est quasi *mentum eminens.* Vel si dicas hoc esse quasi *Szak ally*, (ubi *ally* est אליה / *infimum*,) jam sic erit, id, quod *prominenti mento subest.*

Pag. 299. lin. 4. post voc. acquiritur. *Adde:* Vel potius dicendum; esse hoc cum levi vocalium mutatione ipsissimum Hebræorum חֹסֶן / (*Hoszen*,) h. e. Thesaurus, Possessio, Opes, Facultates. Atque hæc notatio longè propior est ad nostrum *Hasʒon*, quàm העין; (Heiz;) cum nec paragogico in חסן opus sit, nec literâ Hee-

‡ Brev. Hist. p. 12. * Vid. Orig. Part. 2. p. 63.

Heemantica ה ab initio; de qua posset moveri suspicio, an locum hîc habeat.

Pag. 302. l. 5. post verb. parit. *Adde:* Vel etiamsi per mutationem *m* in *n*, placeat deducere ab Hebr. אֵם / (*Em*,) & Chald. אִמָּא / (*Imma*,) h. e. Mater, non reluctabor.

Pag. 303. lin. 11. post voc. vocem. *Adde:* Vel à זֶמֶר / (Zemer,) quod quibusdam est *Camelopardalis*. Poterant nostri eadem voce aliter paululùm inflexâ *Asinum* denominare. Utraque tamen radix quoad literas sibi invicem valdè vicina est.

Pag. 305. lin. 2. post. voc. Lex. *Adde:* Possumus tamen τὸ *Nemes* etiam à vernaculo *Nem*, h. e. Genus, (quod est à נעם / *Naam*, jucundum esse,) formare, additô more nostro *es* in fine. Atque sic propriè significabit *Generosum*, imò magis proprie ex sua radice; *Iucundum genus habentem*. Unde, ratio nominis superiùs data, erit jam hic potiùs consequens. Quia nimirùm *Nobilis* in nostro idiomate significat eum, qui ex jucundo seu præclaro genere ortus est, vel tale genus habentibus, per privilegium jam est connumeratus; ideò vel maximè Nobilibus in nostra Patria incumbit, ut curam legum Divinarum & humanarum habeant, iisque (sub obedientia Regi debita) Regnum administrent.

Ead. p. (305.) l. 14. post voc. Origo. Adde: Subjungo hîc vocem obscurissimæ Originis,

Ka-

Karácſon, quæ nobis hodie *Natale Domini Feſtum* notat. At vero, cum vox per ſe nullo modo ſignificet ejuſmodi *diem Natalem*, nec etiam ſit nobis adventitium, ſed domeſticum, ut nomen loci *Karácſond*, oſtendit; ideò exiſtimo rectè hanc vocem ab Hebr. קָרַח *Karach*, (quod nobis eſt *Karács*,) deduci poſſe, addito *on* paragogico in fine. Et quidem, *primo*; quà vox hæc Hebræis ſignificat *gelu*, *glaciem*. Sic nominis ratio erit hæc; quia tempore Natalis Domini incipit præcipuè *glacialis* hyems. *Secundo*, quà vox illa ſignificat Hebræis (inter alia,) etiam *oriri*, *germinare*; item, *creſcere*: ut ſic *Karácſon* eſſet *Ortus*, nempe Domini ſecundum Carnem. Si ſic; tum dicendum eſt, antiquiores Hungaros primitus converſos, hoc nomen *Natali* Domini dediſſe, cum adhuc in uſu noſtris fuiſſet hoc in ſignificatione *ortûs* uſurpari. Hodie enim vix aliquod apparet in uſu vulgari hujus ſignificationis veſtigium à dicta radice, niſi τὸ *Korcsma*, (ubi *ma* eſt paragogicum,) h. e. *Caupona*, dicamus tale quid in ſe involvere; eò quod in *Korcsma*, *proventus oriatur* Dominis Tabernæ. Item *Korcſolya*; (inſtrumentum promovendi plena dolia;) quod *itus* & *reditûs* ſignificatum in ſe videtur comprehendere. Unde verbum, *Korcſolyázni*. An floſculus *Kikircs*, quaſi compoſitum *Ki-kircs*, quod maturè *exoriatur* verno tempore, hanc radicem agnoſcat, proba-

 bile

bile videtur. At verò *Karcsú*, h. e. gracilis, sive quod graciles non rarò *frigidioris* sunt naturæ quam alii, sive quod in adolescentibus gracilitas *crescendi* signum est, palam a קרח / (*Karach*,) descendere videtur.

Pag. 315. l. 2. Post voc. *nostra*. Adde; Limito per τὸ *hic*; nam extra hujusmodi constructionem, potest legi sub iisdem literis, *reménségnek*; h. e. Spei. At huic lectioni, nullus est locus (ob nullum sensum,) in præsenti versiculo.

Pag. 321. l. 24. *post* modo: *e*. Adde: Quamquam vulgus noster in quibusdam locis, *e*, pro acuto *é*, sono ad *a* accedente pronuntiat, ac si longum esset; ut *én*, *ég*, profert, ac si esset *Ean*, *Eag*.

Pag. 342. l. 11. post verbum, efferebant. *Adde*: Vel fortè (quod valde probabile est,) certa familia Hunniaca, olim *Gór* fuit vocata.

Pag. 344. l. 17. post vocem, *Hunniacam*. Adde: Præter hactenùs de Etymo *Ogor* dicta, seriùs aliud etiam succurrit mihi quippiam, quod hîc non esse celandum duxi. Nimirum τὸ *Ogor*, potuit quondam nostris esse quasi *'O-Gór*, h. e. Antiquus *Gor*, seu antiqua familia *Gór* inter Hunnos. *Gór* enim esse Hungaricum, norunt benè genuini Hungari. Usus ejus hodie pro epitheto *altiorum* Gallorum & Gallinarum, videtur monstrare ejus significatum, esse, *Magnum* vel *procerum*; a גור

nem-

nempe; eò quod qui *Gór* eſt, plus aliis in ſtatura *progreditur*. Niſi dicamus, hoc epitheton ab ipſa Tribu *Goritica*, deſumptum eſſe. Puto autem etiam τὸ *Gara* cognomen, cognatum eſſe τῷ *Gor*: quod etiamſi, a גרה, (Gara) *bellum miſcere*, deducas, neque ſic procul diſtabit à *Gor*; cum & hoc potuerit olim robuſtiores corpore, & aptiores ad bellum, ſignificare. Alterum *'O*, vel puer apud nos, novit eſſe *antiquum*. Si hoc detur de *Ogor*, tum dicendum, quod etiam nomen *Viguri* apud Menandrum *Hunnica* Gens, potuit noſtris fuiſſe, *Vj-Gór*; h. e. Nova familia vel Nova Tribus *Gór*; ad diſtinctionem ab antiquiori *Gór*, in eadem Natione *Hunniaca*, ac forte ſpecialius etiam *Huno-Gurica*. Quæ verò præferenda hîc ſit nominis origo, non facilè nunc dicere poſſum. Dies forte docebit.

Pag. 432. l. 12. poſt verbum, addiderunt. *Adde*: Quamquam *Jázos*, rectè etiam Hungaricum (adjectivum) eſſe poteſt; (frequentiſſimum enim nobis eſt per *os* adjectivum formare;) ſignificans eum, qui vel commercium & amicitiam colit cum *Jazis*, vel eorum mores & inſtituta ſequitur, ac per hoc ſe *Jazis* conformat.

Pag. 3. lin. 5. 6. leg. quibusdam pag. 5. l. 7. † dele. ead. pag. l. 10. *πρεύεσθαι*. leg. *ποςεύεσθαι*. ibid. l. 15. 16. leg. *potisi* leg. *potiti* p. 7. l. 11. pro porrò leg. porrò Ib. l. 13. *τῆ* leg. *τῇ* p. 8. l. 20. 21. leg. Regina. p. 8. l. ult. & p. 9. l. 1. leg. *debilitabant*. p. 10. lin. 21. post hæc: *non utebantur*, insere, *vel quia exurebant mammas*; p. 11. l. 1. leg. privatis p. 12. l. 22. 23. & 24. *Borythenis* leg. *Borysthenis* p. 14. l. 16. leg. *omnium* p. 15. l. 13. leg. *extra* p. 18. l. 22. 23. *leg.* adhuc p. 21. l. 15. Mœtidem leg. Mæotidem & *ibid.* 18. leg. vetustissima ibid. l. 21. quidem *leg.* quidam p. 26. l. 9. is *leg.* hic p. 27. l. 2. post voc. posteris *adde*: aliqui ibid. l. 26. leg. subinde p. 28. l. 5. & p. 29. l. 24. *ὑππημολγὺς*, *leg.* *ἱππημολγὺς*, p. 30. l. 14. leg. communiori p. 31. l. 8. *δευτέρα* leg. *δευτέρᾳ* pag. 32. l. 16. 17. (quo etiam Itali *Ligures* efferuntur,) dele totum. ibid. l. 24. *autem* leg. *autem* p. 35. l. 5. leg. militantium. ibid. l. 20. leg. *ἱπποτοξόται*. ibid. l. 22. (in marg.) Meldom. leg. Melpom. p. 37. l. 14. leg. *προσαγορευομένους*. p. 39. l. 6. leg. festinat venire, p. 40. l. 15. non aliunde illam *leg.* non aliunde ut videtur illam apud quosdam p. 49. l. 22. leg. *Ἀγάλματα* p. 56. l. 13. *leg.* ostensurus p. 57. l. 22. flav. leg. fluv. p. 58. l. 2. leg. *Pannonia* p. 61. l. 17. *leg.* præcurrisse p. 65. l. 28. *leg.* ullo modô p. 74. l. 20. *leg.* Etsi p. 77. l. 27. licet *Hunni* leg. insuper & hoc constat, quòd *Hunni* p. 84. l. 7. *leg.* spoliando p. 87. l. 10. leg. *depopulati* p. 91. l. 13. 14. *ἄςυχορείας*, leg. *ἄςυ χορείαις*, p. 92. l. 3. *δῆσις* leg. *δῆρις* ibid. l. 7. 8. *secundum Urbis choreas*, leg. *per Urbem choreis*, ibid. l. 22. *fatum* leg. *contentio* p. 93. l. 17. *leg.* conjecturam p. 94. l. 3. leg. Bibliotheca p. 98. l. 7. vocari *leg.* innotescere. p. 102. l. 9. 10. leg. *veterum testimonia*. p. 104. l. 20. leg. itineris, p. 111.

l. 13.

l. 13. 14. & si *leg.* etsi p. 113. l. 1. leg. *Hunnis* ib. l. 8. *leg.* svasit ibid l. 21. *leg.* artifices p. 115. l. 21. leg. *Theodosium* p. 117. l. 19. leg. *adornare*. p. 119. l. 14. 15. leg. *præparata* ib. l. 15. leg. *argenteis* p. 128. l. 8. diviti *leg.* divite *ibid.* p. 129. l. 9. leg. *munera* l. 17. *leg. Valentinianum* p. 131. l. 14. leg. *Quidam* p. 132. l. 10. leg. *sine* p. 133. l. 23. & si leg. etsi p. 137. l. 1. *jure jurejurando* leg. *jurejurando* ibid. l. 4. 5. leg. *Deinde* ib. l. 9. 10. *leg.* Romanorum, p. 145. l. 3. & si *leg.* etsi ibid. l. 4. leg. progeniei. ib. lin. 11. Nicephorum CP. dele. p. 152. l. 14. 15.--22. Præcipuè *Hunnos* illos non dubito esse Turcas, qui vocantur &c. *corrige sic*: Sed præcipuè de *Hunnis* illis, qui vocantur &c. (*reliqua maneant, ut sequuntur; deinde vero lege:*) expugnarunt, dubito adhuc, num veri *Hunni*, vel aliquâ suî parte *Turcæ* fuerint. Nam ut ex prolixioribus Prisci Excerptis, cum Procopii Historia collatis, colligere possum, videntur *Hunni Kidaritæ* fuisse, aut *Hunni Nephtalitæ*, (seu Ephtalitæ,) aut pars eorum; quos non minus hostiliter subjugavit olim Turca, (seculo sexto,) quam alios Hunnos; ut constat ex Menandro & Simocatta. [*Post hæc sequatur: Akatiri* autem &c.] Pag. 157. l. 8. *leg.* transpositionem p. 159. l. 19. *leg.* inspiciamus, p. 160. l. 10. *leg.* egressorum, p. 163. l. 19. leg. *Augusto* p. 172. l. 5. *leg.* facillimè, p. 174. l. 3. quâ *leg.* quô p. 175. l. 1. & 2. leg. *populosissimam*, p. 176. l. 11. leg. *quidem* p. 183. l. 5. leg. *everterunt*, p. 185. l. 27. leg. etsi p. 204. l. 12. leg. *Iniquus* ibid. l. 14. leg. *auctoritate* p. 209. l. 7. 8. leg. obsidione. p. 211. l. 11. etiam *leg.* enim p. 215. l. 17. quamvis *leg.* quanquam p. 230. l. 6. 7. contra contra *leg.* contra p. 248. l. 6. leg. *incarnationis* p. 264. l. 11. *leg.* etsi p. 265. l. 14. leg. *progressi* p. 270. l. 2.

l. 2. & ex *leg.* iique ex p. 271. l. 26. *auro*, *cupro*, leg. *auro*, *argento*, *cupro*, p. 284. l. 22. mutari (at raro,) *leg.* mutari non nunquam; p. 292. l. ul. §. 33. *leg.* §. 35. p. 29 . l. 3. subeunda *leg.* obeunda. p. 295. l. 11. leg. בָּגַל p. 269. l. 5. leg. *dierum* ibid. l. 18. ין, leg. זין p. 297. l. 20. דַּרְכְּנָאִים leg. דַּרְכְּנָאִים p. 304. l. 20. Kametz Katuph. *leg.* Kametz Chatuph; vel veriùs, transiit in Cholem. p. 326. l. 15. חנח leg. חנה. p. 330. l. 23. χῶνες, leg. χῶνεις, p. 376. l. 16. potuit, leg. potuit citerioribus præsertim seculis, ibid. l. 23. *leg.* etsi p. 384. l. 27. Natione *leg.* Natione avitâ p. 386. in marg. l. 38. Vide Suidam in voce *Lege sic*: Vide Suidam, (qui videtur vixisse an D. 870.) in voce p. 389. l. 22. (*Apaturi*,) leg. (*Apaturi*, &c.) p. 400. l. 24. *leg.* autem p. 408. l. 20. 21. *leg.* infelicitatem p. 409. l. 17. 18. *leg.* Caucasiis, p. 416. l. 25. mari *leg.* aquis p. 417. l. 24. 25. in marg. Sed Polybii calculus *leg.* Sed *Polybii* (qui floruit circiter annis 180. ante N. Chr.) calculus p. 422. l. 21. *n.* leg. *u.* p. 423. l. 28. leg. melioris p. 429. 15. [illegible], leg. [illegible], p. 434. l. 15. Phronci, *leg.* Phoronci p. 443. l. 1. *Jasos* leg. *Jasos*: [Si quis sub initium pag. 2. lin. 11. τὸ *statuerit* velit corrigere per Indicat. præt. *statuit*, & ibidem etiam lin 13 τὸ *conferat*, per *confert*, liberum ei per me esto. Lego similem constructionem etiam cum Subjunctivo, at frequentius cum Indicativo.] Porrò, paginam post num. 95. corrige per 96. delet 672. Et post 362. corrige per 363. Et post 364. corrige per. 365.

[Qui pleniorem harum *Originum* usum vult habere, ne negligat etiam *Præfationem* evolvere.]

I N-

INDEX

Rerum & Verborum memorabilium Primæ Partis harum Originum.

[*Quædam ex his quærenda in Margine.*]

A.

Ai-

Athila

Caro-

C.

Deu-

E.

F.

G.

H.

Ex-

L.

M.

Me-

 Moſco-

N.

O.

Paj-

P.

R.

S.

Scla-

Xa

X.

Z.

[Pauca *errata*, quæ vel seriùs sunt in *Præfatione* deprehensa, vel per ipsam typorum dispositionem ultimam in eam irrepserunt, sic corrigantur: Pag. IX. lin. 24. 25. *credenbus* leg. *credentibus* p. X. l. 30. & *&* leg. *&* p. XVIII. l. 19. *uum* leg. *suum* ib. l. 30. Meöz, *leg.* Mezö, p. XIX. l. 11. leg. *Cadit*, p. XXVII. l. 1. leg. *explicat*; p. XXX. l. 7. *leg.* Tribubus Quod in titulo *Dedicationis*, vocem *Ordinum*, voci *Statuum*, non studio, sed inadvertenter, contra nostrum in Hungaria morem, præposuerim; benignus & eruditus Lector, facilè in bonam partem interpretabitur.]

F I N I S.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]